
ARN. CLAPMARIUS
De
ARCANIS
RERUM PUBLICARUM,
Iteratò illustratus
A. IOAN. CORVINO IC.
Accessit
CHR: BESOLDI
De eadem materia
Discursus.
Cor. Cl. Duysend sculp.
Amsterodami,
Apud Ludouicum Elzeuirium. Anno [illegible]44.

ARN. CLAPMARII

DE

ARCANIS RERUMPUBLICARUM

Libri sex iteratò illustrati

A JOAN. ARN. CORVINO JC.

Accessit V. Cl.

CHR. BESOLDI

De eadem materia discursus,

NEC NON

ARNOLDI CLAPMARII

Et aliorum conclusiones de

IVRE PVBLICO.



Amsterodami,

Apud Ludovicum Elzevirium, 1644.

Celſiſſimo Principi,

U D A L R I C O,

Friſiæ Orientalis Comiti ac Domino, Domino Eſenæ, Stedesdorpi, VVidmundæ, &c.

AB eo tempore, quo ex rerum mearum ſtatu, poſt neceſſarium à Patria ſeceſſum ad T. C. territorium diverti, nihil habui antiquiùs, quàm eam, quâ me honoratiſſimę memoriæ T. C. pater, & infelix frater gratiosè comprehenderunt, humanitatem publicè teſtari. Eſt id omnino, ut ſemper exiſtimavi, pars officii mei. Tantò magis erga te, Celſiſſime Princeps, quantò magis à ſe creſcere T. C. & augeri iſtam voluit gratiam. Quod debitum non exſolvi; cùm alia, tum temporũ impediit converſio. At cœlum mu-

tavi, non animum. Defixus is est, juxta patriam, in eam Provinciam, in quâ non ipsemet modò, sed & majores mei difficilibus temporibus quietem invenêre. Adfectum augent quos posteri consecuti sunt honores, & dignitates. Debitum modò testor hujus libelli oblatione. Exigui sanè, si ex corporis pensetur quantitate; minimè, si ex argumento. Solent Typographi, quæstum intuentes, minoribus formis excudere opera excellentissima; inde, licèt istac ratione peregrinantibus inserviant, minimè metienda. Hoc munusculum ex argumenti dignitate, nec minùs sincero offerentis affectu T. C. ut penset, futurum confido. De arcanis agit Rerumpublicarum, eaq; ex variis Historiarum libris comportata exponit. Imperii sunt ista, sed occulta stabilimina. Quæ revelare

velare nefas esse judicant; utpote ἐν πυκτοῖς πίναξι obsignari solita. Non tamen minùs laudandus Clapmarii labor, si sparsim observanda, exemplis ornata intercisè proposuit. Nec est ista revelatio, sed ad singularem usum ea adhibendi Principatum tenentibus monstrata via. Sanè historiarum superficiem modò vulgus spectat, rerum corpus & animam Princeps rimatur. Si ex Romanâ historiâ sua arcana formavit Clapmarius; firmari multò magis ea possunt ex recentioribus. Nemo inficias ire potest, quę in præsentem veniunt meditationem, & præteritorum magis firmare memoriam, & futurorum providentiam. Nunquam stat hæc circumspecta doctrina, nũquam est eadem. Variant Rerumpublicarum formæ, variant regimina; fucantur variè & teguntur artes seditiosorum ci-

 vium,

yium, & machinationes. Quantacunque verò sit ista varietas, ad eam hujus generalis doctrinæ prodest accommodatio. Omninò mihi gratulabor, si T. C. æquo animo accipiat, me audere profiteri, T.C. liberis, & imprimis futuro imperii hęredi, hoc studium maximè convenire. Exsurgunt quidem in ortum suum generosa semina; fortes creantur fortibus: sed omninò adjuvat ars naturæ felicitatem. Est & ex arcanis imperii, quod curare Princeps debet, Principalis soboles magnis adhibenda negotiis, in imperii ut crescat magnitudinem. Tenerâ ætate virilis virtutis prodere germina, maximam imperii hæredibus apud subditos conciliat autoritatem. Unde non minùs ad civilem prudentiam, quàm ad militarem est exercenda fortitudinem. Legibus armata non minùs, quàm ar-

mis

mis decorata debet esse Majestas imperatoria. Dictum est Imperatoris Justiniani,& ratio, ob quàm in unam compagem redegit jus civile. Privatum quidem maximè. Sed non minùs, imò verò magis, juri publico attendere Princeps debet, sive leges privatis ferat, sive abroget, sive subroget. Boni enim publici in his omnibus est intuitus, & limitanei (ut loquuntur) juris ex eo mensura. Ad cujus prudentiam si tener imbuatur Princeps, næ ad eam natus potiùs, quàm institutus videbitur. Est ista arcanorum scientia in tali maximè utilis imperio, quod in proprio non consistit regimine. Equidem in eo, si ullo alio, Princeps debet esse circumspectissimus. Constat T.C. imperium suâ formâ; at non desunt in eâ, ex quibus metiri possimus usum arcanorum. Ausum quod hoc opus T.C. offerre non

erubuimus,istâ nititur meditatione.Non est quidem proprium:attamen nec est in eo illustrando labor noster exiguus. Cum scholiis marginalibus, tùm conciso Breviario totum opus ad analysin reduximus. Et hoc in priore editione. Hac recognitâ scholia auximus, Breviarium in discursum,qui id ipsum comprehenderet, mutavimus. Laxius sanè & majore curâ argumentum dignissimum, quàm antè, nihilo tamen minus concisè exposuimus. Ad gustum id fecimus gratiorem, cùm Lectorum;tum maximè Magistratus gerentium.Equidem iis, quæ in ipso opere sunt generosa frangendo, cætera simplicius meditandi præbemus occasionem. Sanè delumbatæ sententię magis, quàm laxa rerum meritò placet tractatio. T. C. rogo, ut ex sincero affectu oblatum benignè accipere

pere

pere dignetur hoc munuſculum. Deus Opt. Max. T. C. una cum Celſiſſimâ Principe conjuge, Principalibuſque liberis, tum Illuſtriſſimæ domûs, tum imperii bono diu ſoſpitet. Quod vovet affectu ſincero

T.C. obnoxius

Ioan. Arn. Corvinus IC.

Lectori

Lectori benevolo. S.

DEderat nobis Ludovicus Elzevirius Typographus, viri Clarissimi Arnoldi Clapmarii de Arcanis Rerumpublicarum libros, juxta Cl. Christophori Besoldi de eodem argumento discursum, & tres de jure Publico disputationes recensendos. Paruimus viro amicissimo, & cum petiti recensûs ea esset sententia, ut minore, quam meditabatur, formâ, non modò nitidiùs, sed & correctius prodiret laudatum, juxta ac avidè expetitum opus; utrumque studuimus. Scilicet exemplar nobis traditum ab infinitis mendis typographicis, quibus scatebat, expurgavimus; voces à Typothetis hiulcatas restituimus; textum majore characterum varietate distinximus. Sed verò etiam, ut majorem libro nitorem induceremus, Discursum Cl. Besoldi, simulque Disputationem, additis planè novis ad marginem scholiis; ipsos de Arcanis Rerumpublicarum libros, veteribus interpolatis, illustravimus. Equidem iis, quæ ad Grammaticam potiùs, quàm Logicam pertinebant doctrinam, omissis, planè, ut argumenti dignissimi major esset cognitio, ad

operis

operis analysin omnia accommodavimus. Non spectavimus, quid ferrent exigui margines. Tua, benevole Lector, utilitatis habuimus rationem. Fuimus sanè in hoc illustramento eo audentiores, quòd Grammatica ista scholia aliunde, quàm ab Authore esse persuasum haberemus. Tum verò etiam, quòd rerum analytica in usum sit aptior, quàm vocum Grammatica annotatio. Ipsius operis summam conciso Breviario complexam addidimus. Etenim & hoc non mediocrem utilitatem habere videbatur. Non caruisse successu operam nostram, Typographo gratulamur. Equidem & ipsius commodo statuimus. Operis gloriam Autori sartam tectam esse omnino voluimus. Prodit nunc ex iteratâ recensione opus, & quidem ex eâ auctis ad ipsius Clapmarii libros scholiis, & converso in discursum Breviario nostro. Continetur id eo, sed paulò laxius. Non alio fine auximus cùm marginaliibus cõtenta, tum ipsum Breviarium, quàm ut majore cum fructu percipi posset tam dignum argumentum. In alieno quidem adhuc versamur opere; sed dum proprium meditamur. De jure publico dictum accipe. Etenim de eo in Enchiridio datam fidem liberare studemus. Varia inde exspectamus, sed non metuimus, judicia. Profectò ea non

debet

debet metuere, qui palàm loquitur. Nec potest à vetere nostra professione alienum putari, docere, non esse ἀντικείμενα Θεολογεῖν καὶ πολιτεύειν; *nec ab hac novâ, si utramque juris civilis tractare studemus positionem. Tu, benevole Lector, laboribus nostris fave, & vale.*

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM

ſecundùm ſummaria ſingulis Capitibus præfixa.

LIBER PRIMUS,
DE IVRE IMPERII.

CAP. I.

OCcultæ atque abſtruſæ artes Reip. conſtituendæ atque conſervandæ. Rationes & Leges quid apud plebem poſſint. Simulacra Deorum.

CAP. II.

Variarum ſcientiarum atque artium arcana ſive σοφίσματα, σοφίσματα τῶν χρωμάτων. Belli commenta. ἐνδόμυχον. Doli Medicorum· χωρισμοί. Fictiones Iuris. Arcana parietum. Dialecticorum σοφίσματα, peccare in Repub. cum beneficio.

CAP. III.

Arcanum, arcere, arheivum. ἀπόῤῥητον. Arcana ſacra: Βίβλια ἀπόῤῥητα. Arcani milites, Arcanorum præfecti. Arcana Principum quomodo obſignari ſolita. Arcanum Ciceronis, τεχνύφιον. Cella Imperatorum.

CAP. IV.

Σοφίσματα τῶν πολιτειῶν. κρύφια. artes. delinimenta. blandimenta. tela Patrum. Imperii arcana: arcana dominationis. arcana domûs. arcana inania. jura regni. Fürſtliche Reſervaten vnd Hochheit.

CAP. V.

Definitio Arcanorum; finis eorundem. boni

INDEX.

LIBER

LIBER SECUNDUS, DE ARCANIS IMPERII, SIVE SOPHISMATIBUS.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

stiæ, nimis elatum non præcipitare, sed sinere. ut à se ipso ruat.

CAP. XII.

Factiones alere, sed cavere ne erumpant, vel arte dirimere. Πολιτικὸν opus, πολιτικὸν σκέμμα: Ne duo ex una familia uno tempore in Senatu sint. Ne magna Imperia in unâ familia continuentur.

CAP. XIII.

Arcana plebis sophismata contra Optimates: & quomodo ingenia Democratica discernenda sint à Patriciis & Regiis. Lex Licinia. Lex repetundarum. Liberæ accusationes. Ne plebs penuriâ laboret.

CAP. XIV.

Arcana Democratica contra Regnum. jurare neminem passurum regnare, bona regia diripere, destruere domum ejus qui regnum affectat, Regum imagines abolere, memoriam damnare. Statuas frangere. Innominabiles. Imperia non prorogare, cavere intestina bella. ὀδύναι Rerumpubl.

CAPUT XV.

Arcana regia, sive arcana Imperii contra plebem, πρόφασιν ac titulum excogitare occupati Imperii, colorem quærere. Lex regia, sive lex Imperii. Lex Valeria. Donatio Constantini. Solymanni prætextus ad occupandam Romam. Veneti quomodo sint Domini Maris.

CAP. XVI.

Ἀκκισμὸς sive tergiversatio in accipiendo Imperio, ὕστερον semper deliberat. Ingerens se suspectus fit. Blæsi inepta recusatio.

CA-

ribus

CAP. XIV.

Præſidiis ſe munire. Armatum, loricatum eſſe. Nimia ſecuritas Cæſaris ϰ̀ ἀπαιδευσία in dimittendis Prætorianis militibus. Regalis corporis cuſtodiæ.

CAP. XV.

Non omittere ſedem Imperii; id eſt, caput rerum. Et diſcutiuntur rationes, propter quas Tiberius, Antoninus, Iuſtinianus, Carolus Rex Galliæ, Ammurates ab urbe non diſceſſerint. Imperatoriæ Majeſtatis eſt præcisè agere. Gallorum imprudentia in deſerendo Mediolano.

CAP. XVI.

Imperium intra terminos coërcere. Metus pro conſilio & prudentiâ. Limites Imperii Romani ſub Auguſto. Difficultas retinendi Imperii in remotis regionibus. Reipublicę diu ægræ neceſſaria quies, Occulta cauſſa conjurationis Catilinariæ.

CAP. XVII.

Ne quis impunè Principem, etiam hoſtem interficiat. Vt acta priorum Principum conſerventur, etiam Tyrannorum. Ne facilè Princeps ſupplicio afficiatur.

CAP. XVIII.

Arcana Dominationis Ariſtocraticæ. Nimiæ largitiones. Nimiæ affinitates. Ne quis munitam domum habeat. Ne Patricius in arce, aut Capitolio habitet. Ne penes alios quàm Patricios auſpicia ſint. Nequis impunè Senatorem pulſet, aut injuriâ afficiat. Ne Patricius facile ſupplicio afficiatur.

CAP. XIX.

Dictatoris creatio & poteſtas. Vt Patricii ſoli

LIBER QUARTUS, DE IURE DOMINATIONIS.

CAP. I.

Diversitas Iuris publici & privati. In illo magis dominatur vis & salus populi, quàm æquitas. Ius humanum. Ius belli. Belli commercia. Militaris Iurisdictionis summa lex pecunia. Quomodo juri dominationis reliqua cedant Iura.

CAP. II.

Ius Dominationis quotupliciter appelletur. Vis potestatis. Vis regni. Vis imperii. Vis principis. ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου. *Ragion di stato.* Exceptiones regiæ. Iura exorbitantia. Dispensationes. Iuris hujus definitio. Boni publici cura apud Deum & homines. Magnorum Heroum dicta.

CAP. III.

Quâ in re differant Iura dominationis ab arcanis dominationis. Disjunctio honestatis & utilitatis. Inter Ius Dominationis, & Ius Imperii quid intersit. Ius in manu positum. καὶ ἐν χειρὸς νόμῳ. Manu gubernare. Manu agere. Manu obtendere. ἐγχειρίζειν τὰς ἐπαρχίας.

CAP. IV.

Quare tantopere hæc Iura Dominationis vapulent, & an meritò. Iniquitas bono publico rependitur. Et ponuntur limites, sive possessiones hujus Iuris, Religio & fides. Item quotuplicia sint hæc Iura.

CA-

CAP. V.

Iura Dominationis regię quę & qualia sint. Apertio & Ius Asylorum.

CAP. VI.

Statuæ Imperatorum. Aræ, Ædes sacræ. Ecclesia. Iura civitatis & ordinis victis hostibus. Asylorum abusus.

CAP. VII.

Raptus Sabinarum Virginum. Vis necessaria. Repulsa. Castrensis Iurisdictio fori expers. Reip. αὐτάρκεια.

CAP. VIII.

Fratris filiam in uxorem ducere: Imperator fons ac caput Iuris civilis. Matrimonium cum fratris filiâ juri civili non repugnat. Princeps profanus.

CAP. IX.

Ne fœmina ex augustâ domo pro arbitrio nubat. Matrimoniorum cura in Principibus. Via per matrimonia ad Imperium.

CAP. X.

Prævenire iis qui nocere possunt. Bella populi Romani. Diversitas rerum privatarum & publicarum.

CAP. XI.

Ὀστρακισμός. Falsa legatio. Exilium Tiberii. Ottonis. Hadriani pontif. Ludovici XI. Miris modis frangere nimis potentes, æmulos adjungere, pecuniâ exuere.

CAP. XII.

An Sejanus, Cæcina, Parmenio, aliique juste interfecti sint. In quo casu ordo judiciarius non observetur. Et an quis possit non accusatus damnari?

CAP. XIII.

Exasperatio criminum, & acris animad-

CAP. XVIII.

Flagitia dominationis Aristocraticæ. Consulum, Dictatorum, Decem virorum, Triumvirorum regia Imperia. Regem esse & regio Imperio esse, differunt. Aspera dominatio. Mors Siccij. Proscriptiones Syllæ.

CAP. XIX.

Flagitia Dominationis popularis. Libertas vitiosa. Fraus Manlii; rem inter alios controversam sibi adjudicare. Atque obiter discutitur, an rectè Cæsarem Brutus interfecerit.

CAP. XX.

Ostenditur ratio divisionum & differentiarum in hac materia. Arcana mixtarum Rerumpublicarum. Imperium Germanorum mixtum.

LIBER SEXTUS.

De simulacris Imperii, sive de arcanis inanibus.

CAP. I.

Quid sint simulacra Imperii, sive Arcana inania. Quomodo differant ab arcanis, à jure Imperii, item ab arcanis Dominationis. Libertatis umbra. Inania jubendi jura. Imperium sine re, Imago, sive rei blandimenta. Vis ac vera potentia. *ἀπεικόνισμα, εἴδωλον.* In Republ. quomodo simulatio locum habeat.

CAP. II.

Aliarum rerum simulacra. *περίεργος, ἀπειρόκαλος.* Infrunitus. Speciosæ inscriptiones librorum. Tumores Poëtici. Inania famæ, inania

nia honoris. τὰ κενὰ τῦ πολέμυ. ἀπανικὰ. Belli ſimulacra. Tutanus.

CAP. III.

Quotuplicia ſint imperiorum ſimulacra: ſimulacra Imperii regii. Magni tituli. Sacerdos Turcicus. Regia ſepultura.

CAP. IV.

Tiridatis, Regis Parthorum, inanis & fumoſa ambitio. Ferrum non tradere, provinciales amplecti, in honore conſulari eſſe. Victis nomen, linguam, habitum & veſtes relinquere. Superba nomine, toruli fœminarum.

CAP. V.

Simulacra Ariſtocratici Imperii: Non omnia momento immutare. Eadem vocabula Magiſtratus relinquere, paulatim, ϗ βραδεῖ ποδὶ inſurgere. Cuncta per Conſules incipere. Speciem priſtinæ Reip. relinquere.

CAP. VI.

Non uſurpare novos, aut faſtuoſos titulos. Princeps Senatus civitatis, Plebis Princeps Tribunatus: à Regis, Domini, & Iovis titulo abſtinere. Servum ſervorum ſe appellare, fratrem ſe profiteri civium. Superſtitio & curioſitas circà titulos.

CAP. VII.

Senatum Principem facere comitiorum. Habere poteſtatem creandi minores magiſtratus, & gerendi. Quæſtura Romanorum. Pontifices horum arcanorum Magiſtri.

CAP. VIII.

Altercationes Senatui præbere. De omnibus rebus ad P. C. referre. Quædam ad Senatum rejicere, ut coërcitionem luxûs. Provin-

CAP. XV.

Horum. simulacrorum vis ac dignitas in Rep. Alia quædam simulacra Aristotelica. Democratica & Aristocratica. Plebejos consiliarios facere. Promulgare aliorum decreta, reos absolvere, nonnullas leges facere. Non cives, cives appellare. ἀνιςορησία ICtorum.

CAP. XVI.

Arcana quædam militaria. Iura militaria. Iura spoliorum. Flagitia militiæ. Signa dare, è tribunali alloqui milites, signa militaria, Aquilas corripere. Simulacra militaria. Milites commilitones appellare, victores gentium. Ab hisce arcanis quomodo differat ars militaris.

CAP. XVII.

Arcana quædam communis vitæ, blanditiæ. Oblata casu flectere ad consilium, aliud agendo. Videri non intelligere σώφρων ἀπιςία. Inimicitiæ clandestinæ maximè noxiæ & implacabiles.

CAP. XVIII.

Arcanorum difficultas, & circa has artes pericula, si deprehendantur. Quomodo hæc arcana adumbranda, ut colorem habeant. Et respondetur ad duo objecta.

CAP. XIX.

Quædam recondita de Imperio Germanico. Mutuus Ordinum metus. Membrorum æqualitas & συμφωνία. Caput Imperii. Prærogativa regis Bohemiæ. Supremum imperii judicium.

CAP. XX.

Quædam de Imperio Turcico, aliisque Rebusp. Constantinopolis sedes Imperii.

IO.

IOANNIS ARN. CORVINI IC.

DE

ARCANIS RERUM-PUBLICARUM

DISCVRSVS

Librorum V. Cl. ARNOLDI CLAPMARII *de eâdem materiâ breviarium recognitum continens.*

IOANNIS ARN. CORVINI IC.

DE
ARCANIS RERUM-PUBLICARUM
DISCURSUS.

DE πολιτεία qui differunt curatè, & ipsius naturam explanant (ut loquuntur) in thesi, & ipsarum Rerumpublicarũ ortum, statum, conservationem, & mutationem in hypothesi. Naturam si spectas; πολιτεία in communione versatur. Hac ab origine est hominum singularum inter se. Scilicet ex conjunctione maris & fœminæ; & quidē ex creatione, & juxta eam ordinatione divinâ. Creatione; quod homines diverso sexu creavit maximus Deus, marem & fœminam; illum priùs, hanc mari pro sociâ & adjutrice. Ordinatione; Ea est, ut duo essent in carne unâ; hoc est, ipsius conjugalis societatis; & quidem cum propagationis benedictione. Sanè non caruit ea effectu. Propagatum enim, & quidem fertili accremento humanum genus. Inde natus τῆς ὑπεροχῆς καὶ ὑπεξιότητος ordo. inter genitores nempe & genitos;

nitos; eum ipsa monstrante naturâ, parentibus imperandi concedens potestatem, liberis obediendi imponens necessitatem. Aliunde eum arcessere opera non est pretium. Est quidem aliqua mariti, tanquam capitis, in uxorem ejus legi subjectam potestas. Sed ut ea consistit modò in concubitûs, & officialium operum debito, mutuo verè, licet cùm praeminentiae ratione: ita eam non attendimus. Patria in liberos vera est potestas. Inde naturalis; quod cui vitam debemus, ei & obsequium nos debere, innata, imbuente natura, docet conscientia. Consistit ea naturalis potestas parentum, patris maximè, in mandandi liberis reverentiam, atque obsequii promptitudinem postulandi jure. Majorem sibi arrogârunt quidem, ipsi, iisq; concessêre, maximè Romana jura, usq; ad vitae & necis arbitrium. Sed est iste dominationis excessus, humanioribus deinde correctus apud eos, & Christianis planè adversus legibus.

Parentes, liberique cum ex ista conjugali societate, tum subjectionis ordine familiam faciunt; à famulis quidem (servos intelligunt) ductam; sed an sine illis familia constare non possit, arbitrii esto. Servitutem esse naturalem, asserit

rit in Politicis Aristoteles. Mirantur plures, & disputant variè Iuris civilis Doctores. Etenim eam modò Iure Gentium introductum volũt, &, ut origine bello & captivitate derivatâ, eandem dominis in vitam & necem servorum, quam in liberos sibi arrogant patres, concedunt potestatem. At verò, ut ab illa ipsa natura; ita ab hac natura nixa non minùs abhorret æquitas. Nec enim à bello, aut captivitate ducenda prima servitutis origo; sed à liberâ subjectione, quâ ex familia non orti se in eam ad voluntaria dedêre obsequia. Est sanè inde tam in dominis, quàm parentibus imperandi potestas; & tam in servis, quàm liberis parendi necessitas; sed ut ex diversa origine, ita per se diversa. Vt patria potestatis origo ab ipsâ est naturâ, jure generationis: ita ad obsequiosa liberos obligat officia. Dominica verò cum sit ex voluntariâ subjectione, eaq; mercenariâ; famulos ad serviles, h. e. viles, obstringit operas. Et ipsâ naturali nitens æquitate, fidei puta servandæ legem imperante. Sed & à bello & captivitate, posteriore fundamento, arcessita dominica in servos potestas suâ etiam æquitate nititur. Ea est, quod armis victi, cùm necari à victoribus potuissent,

servati,

servati, hoc est vitâ donati, gratiam servatoribus deberent. Quam; nisi cujuscunque generis officiorum præstationem? Accedit, quòd eodem, hoc est gentium jure, ex isto beneficio dominorum proprii facti judicentur. Unde etiam ad vitæ & necis, ac pro libitu in eos sæviendi jus, istam extenderunt potestatem. Perperàm sanè. Iniquissimum enim ex factâ gratiâ jus arcescere crudelitati. Inde verò etiam factum, quod & ipsa dominica non minùs, quàm patria potestas ad humanitatis sit restricta limites. Sed non sunt ista, nunc quidem, nostræ meditationis. Ea est quomodo cum humani generis propagatione politia ipsa creverit. Scilicet ut parentes; ita & ipsi liberi, naturali affectu, conservationi suæ speciei studentes, sociam sibi quæsivere, ac per nuptias familiam propriam facientes, cum parentum familiâ vicinitatem constituêre. Inde ex nova propagine crescente magis ac magis genere humano, multiplicatis etiam magis familiis; civitates condendi orta necessitas. In civilem sic itum conversationem. Non potuit id fieri, nisi alio præeminentiæ & subjectionis constituto ordine. Inde non leges modò natæ, quas civiles vocamus,

tanquam

tanquam communi civium bono, tuendaque civili conversationi latas: sed & Magistratus, qui cum autoritate eas tuerentur, constituti. Nempe ut sanctionibus munirentur judicatum expedire; earumq; transgressores puniendi jus delatum Magistratui. Est omnino, & esse debet istarum legum ferendarum ea prudentia, ne naturali juri adversentur, ac primogeniæ societatis fundamentum planè evertant. Planè dico. Etenim monstravit quidem civilis conversatio, juris naturalis normam abscissè sequi, non semper expedire civitati: at ut nimium ab ea recessum esse noxium, & ipse usus docet; ita nec ipsum permittit lex naturalis. Est quippe ea per se immutabilis; recessus iste non nisi de genere permissorum, & ex boni quidem publici intuitu. Non potest igitur, si tantus est, ut ipsam legem evertat, non esse nisi iniquissimus. Limites hos monstrat ipsa civilis Iurisprudentia. Nos progredimur. Auctis civitatibus, in plurium populorum paulatim itum societatem. At semper sub superioris potestatis, & subjectionis ac obedientiæ ordine. Est quidem is pro diversa consentientium mente varius; omnis tamen primogenio, unde natus, nitens ordine. Patriam designo

gno

gno potestatem, & filialem subjectionem. Quadrat huc illud Apostoli. Nullam nisi à Deo esse ὑπεροχήν. Aliunde qui eam derivant, næ summopere errant. Sarta & tecta est ex ista divinitate. Varient quantùmcunque formæ regiminis; ipsa tamen per se constat suprema potestas, nec dependet à dominandi libidine. A quâ si eam dependere velis, næ injustum facias omne imperium. Lex tamen est divina, ut omnis anima superiori sit obnoxia potestati. Rerumpublicarum plures constituuntur species. Nempe pro variè sive collatâ, sive ex istâ collatione successionis jure derivatâ, sive propriâ conferentium reservatâ potestate; Monarchica, Aristocratica, Democratica, Oligarchica. Prima unius, Secunda Patriciorum, Tertia totius populi, Quarta paucorum constat dominatione. Qualiscunque verò sit, sive primæva, sive collata potestas, & forma Reipublicæ, imprimis ejus conservandæ & tuendæ media sunt consideranda. Non uno sanè examine. Nempe vel quatenus diversarum Rerumpublicarum formas ac species per se singulas intuemur absolutè: vel relatè; hoc est, quatenus omnes Reipublicæ formas inter se comparatas simul spectamus.

mus. Modi isti vel sunt aperti, & nihil in se habent simulationis aut tegminis, sed apertâ modò vadunt & regia viâ; vel tecti & occulti. Tectos dico, non finis, sed aliâ ratione. Est enim supremus in Republica finis ejusdem salus. Est & inde eadem suprema lex, unde omnia, quæ ad eam collineant suâ justitiâ nituntur.

Salus Reipublicæ in ejusdem consistit diuturnitate, & à mutatione præservatione. Obtinentur hæc per imperantium securitatem, & legum sanctionibus munitarum curatam civium obedientiam. Sunt istorum occultorum modorum plures rationes. Omnes complector necessitate. Nempe ἐξ ἀνάγκης iis Principes utuntur. Equidem fit sæpenumero, ut in Republica, sive suppressis iis qui rerum potiuntur; sive ipsâ libertate, si seditiosi & novitates amantes exsurgant, tegenda sit ista sive dominationis, sive libertatis suppressio, & ne percipiatur, alterutrius imagines quædam sumendæ ostentui. Solent equidem tales sub specie sive re libertatis, sive dominationis restituendæ ipsi sibi quærere imperium. Quamobrem eâ utendum prudentiâ, ut quod affectant iis speciosè modò concedendo, seditiosus sistatur

statur impetus. Fluminum si nimis impetuosus est cursus, ut stagnent, obice curandum. Nec aliter facilè affectuum sistes motus; vehementes sanè. Pro obice hîc serviunt istæ imagines. Non semper equidem vis vi repellenda; sed artibus si imminet, ne inferatur, cautè providendum: si jam illata; animosè quidem, sed non minùs arte frangenda. Est omnino prudentiæ, sæpe quàm armorum major vis; & arte, quàm virtute imperii felicior assertio. Asserendi imperii artes, pro singulari ingenii sui acumine, exposuit eruditissimus Clapmarius; nos doctrinam viri, rogati illustravimus; inprimis conciso comprehensam breviario. Facimus id nunc iteratò; sed aliquantò laxius; Autori tamen reservatis exemplis, rerum modò capita notamus.

Artes istas Rerumpublicarum arcana indigitavit, ab ipsa re derivatâ appellatione. Nempe arcanum ab arca, vel arcendo dictum; quòd quæ in arcis sunt, celata sint, & abscondita. Et hæ, quidem artes conservandæ Reipublicæ sunt occulta consilia, à quorum cognitione vulgus arcetur, ut ipso earum ignaro, tutiùs iis Principes utantur. Sophismata aliàs, ex ipsarum naturâ, appellantur,

pellantur, quod modò rerum verarum ſint adumbratio, κρύφια Ariſtoteli, Latinæ conſonante nominatione. Optimè. Sunt enim ænigmata & ambages, quibus plebs, ne quæ in ſcenam producuntur cognoſcat, abducitur. Rem ut dicamus, ſunt intimæ & occultæ rationes, ſive conſilia eorum, qui in Republica principatum obtinent, tum ipſorum tranquillitatis, tum præſentis Reipublicæ ſtatus conſervandi, idque boni publici causâ. Occulta *ſunt duplici ratione, tum quod ita teguntur ut non facile perſpiciantur, tum quod tecta facile imponunt præſentem Reipublicæ ſtatum odio habentibus. Accedit quod ἐν πυκτοῖς πίναξι Principes ea ſoliti ſint obſignare. Plebi blandimenta tantùm ſunt, & ſine re mera φαινόμενα. Equidem per ea aliud intus agitur, aliud foris ſimulatur. Addo*, boni publici causâs, *quod, licet nudè & ſimpliciter conſiderata fraudis aliquam & iniquitatis habeant ſpeciem, tamen boni publici, ac Reipublicæ ſtatus reſpectu defendantur. Nempe cedunt privata publicis. Sed ut in illis aliud agatur, aliud ſimuletur, ipſæ leges permittunt. Nec enim in privatis omnis dolus eſt prohibitus; ſed modò machinatio in da-*

IOANNIS ARN. CORVINI IC.

DE

ARCANIS RERUM-PUBLICARUM

DISCURSUS

Librorum V. Cl. ARNOLDI CLAPMARII *de eâdem materiâ breviarium recognitum continens.*

IOANNIS ARN. CORVINI IC

DE

ARCANIS RERUMPUBLICARUM DISCURSUS.

DE πολιτεία qui differunt curatè, & ipsius naturam explanant (ut loquuntur) in thesi, & ipsarum Rerumpublicarũ ortum, statum, conservationem, & mutationem in hypothesi. Naturam si spectas; πολιτεία in communione versatur. Hac ab origine est hominum singularum inter se. Scilicet ex conjunctione maris & fœminæ; & quidẽ ex creatione, & juxta eam ordinatione divinâ. Creatione; quod homines diverso sexu creavit maximus Deus, marem & fœminam; illum priùs, hanc mari pro sociâ & adjutrice. Ordinatione; Ea est, ut duo essent in carne unâ; hoc est, ipsius conjugalis societatis; & quidem cum propagationis benedictione. Sanè non caruit ea effectu. Propagatum enim, & quidem fertili accremento humanum genus. Inde natus τῆς ὑπεροχῆς καὶ ὑπεξιότητος ordo. inter genitores nempe & genitos;

nitos; eum ipsa monstrante naturâ, parentibus imperandi concedens potestatem, liberis obediendi imponens necessitatem. Aliunde eum arcessere operæ non est pretium. Est quidem aliqua mariti, tanquam capitis, in uxorem ejus legi subjectam potestas. Sed ut ea consistit modò in concubitûs, & officialium operum debito, mutuo verè, licet cùm præeminentiæ ratione: ita eam non attendimus. Patria in liberos vera est potestas. Inde naturalis; quod cui vitam debemus, ei & obsequium nos debere, innata, imbuente natura, docet conscientia. Consistit ea naturalis potestas parentum, patris maximè, in mandandi liberis reverentiam, atque obsequii promptitudinem postulandi jure. Majorem sibi arrogârunt quidem, ipsi, iisq; concessêre, maximè Romana jura, usq; ad vitæ & necis arbitrium. Sed est iste dominationis excessus, humanioribus deinde correctus apud eos, & Christianis planè adversus legibus.

Parentes, liberique cum ex ista conjugali societate, tum subjectionis ordine familiam faciunt; à famulis quidem (servos intelligunt) ductam; sed an sine illis familia constare non possit, arbitrii esto. Servitutem esse naturalem, asserit

rit in Politicis Aristoteles. Mirantur plures, & disputant variè Iuris civilis Doctores. Etenim eam modò Iure Gentium introductum volũt, &, ut origine bello & captivitate derivatâ, eandem dominis in vitam & necem servorum, quam in liberos sibi arrogant patres, concedunt potestatem. At verò, ut ab illa ipsa natura; ita ab hac natura nixa non minùs abhorret æquitas. Nec enim à bello, aut captivitate ducenda prima servitutis origo; sed à liberâ subjectione, quâ ex familia non orti se in eam ad voluntaria dedêre obsequia. Est sanè inde tam in dominis, quàm parentibus imperandi potestas; & tam in servis, quàm liberis parendi necessitas; sed ut ex diversa origine, ita per se diversa. Vt patria potestatis origo ab ipsâ est naturâ, jure generationis: ita ad obsequiosa liberos obligat officia. Dominica verò cum sit ex voluntariâ subjectione, eaq; mercenariâ; famulos ad serviles, h. e. viles, obstringit operas. Et ipsâ naturali nitens æquitate, fidei puta servandæ legem imperante. Sed & à bello & captivitate, posteriore fundamento, arcessita dominica in servos potestas suâ etiam æquitate nititur. Ea est, quod armis victi, cùm necari à victoribus potuissent, servati,

ſervati, hoc eſt vitâ donati, gratiam ſervatoribus deberent. Quam; niſi cujuſcunque generis officiorum præſtationem? Accedit, quòd eodem, hoc eſt gentium jure, ex iſto beneficio dominorum proprii facti judicentur. Unde etiam ad vitæ & necis, ac pro libitu in eos ſæviendi jus, iſtam extenderunt poteſtatem. Perperàm ſanè. Iniquiſſimum enim ex factâ gratiâ jus arceſcere crudelitati. Inde verò etiam factum, quod & ipſa dominica non minùs, quàm patria poteſtas ad humanitatis ſit reſtricta limites. Sed non ſunt iſta, nunc quidem, noſtræ meditationis. Ea eſt quomodo cum humani generis propagatione politia ipſa creverit. Scilicet ut parentes; ita & ipſi liberi, naturali affectu, conſervationi ſuæ ſpeciei ſtudentes, ſociam ſibi quæſivere, ac per nuptias familiam propriam facientes, cum parentum familiâ vicinitatem conſtituêre. Inde ex nova propagine creſcente magis ac magis genere humano, multiplicatis etiam magis familiis; civitates condendi orta neceſſitas. In civilem ſic itum converſationem. Non potuit id fieri, niſi alio præeminentiæ & ſubjectionis conſtituto ordine. Inde non leges modò natæ, quas civiles vocamus,

tanquam

tanquam communi civium bono, tuendaque civili conversationi latas: sed & Magistratus, qui cum autoritate eas tuerentur, constituti. Nempe ut sanctionibus munirentur judicatum expedire; earumq; transgressores puniendi jus delatum Magistratui. Est omnino, & esse debet istarum legum ferendarum ea prudentia, ne naturali juri adversentur, ac primogeniæ societatis fundamentum planè evertant. Planè dico. Etenim monstravit quidem civilis conversatio, juris naturalis normam abscissè sequi, non semper expedire civitati: at ut nimium ab ea recessum esse noxium, & ipse usus docet; ita nec ipsum permittit lex naturalis. Est quippe ea per se immutabilis; recessus iste non nisi de genere permissorum, & ex boni quidem publici intuitu. Non potest igitur, si tantus est, ut ipsam legem evertat, non esse nisi iniquissimus. Limites hos monstrat ipsa civilis Iurisprudentia. Nos progredimur. Auctis civitatibus, in plurium populorum paulatim itum societatem. At semper sub superioris potestatis, & subjectionis ac obedientiæ ordine. Est quidem is pro diversa consentientium mente varius; omnis tamen primogenio, unde natus, nitens ordine. Patriam designo

gno potestatem, & filialem subjectionem. Quadrat huc illud Apostoli. Nullam nisi à Deo esse ὑπεροχὴν. Aliunde qui eam derivant, næ summopere errant. Sarta & tecta est ex ista divinitate. Varient quantùmcunque formæ regiminis; ipsa tamen per se constat suprema potestas, nec dependet à dominandi libidine. A quâ si eam dependere velis, næ injustum facias omne imperium. Lex tamen est divina, ut omnis anima superiori sit obnoxia potestati. Rerumpublicarum plures constituuntur species. Nempe pro variè sive collatâ, sive ex istâ collatione successionis jure derivatâ, sive propriâ conferentium reservatâ potestate; Monarchica, Aristocratica, Democratica, Oligarchica. Prima unius, Secunda Patriciorum, Tertia totius populi, Quarta paucorum constat dominatione. Qualiscunque verò sit, sive primæva, sive collata potestas, & forma Reipublicæ, imprimis ejus conservandæ & tuendæ media sunt consideranda. Non uno sanè examine. Nempe vel quatenus diversarum Rerumpublicarum formas ac species per se singulas intuemur absolutè: vel relatè; hoc est, quatenus omnes Reipublicæ formas inter se comparatas simul spectamus.

mus. Modi isti vel sunt aperti, & nihil in se habent simulationis aut tegminis, sed apertâ modò vadunt & regia viâ; vel tecti & occulti. Tectos dico, non finis, sed aliâ ratione. Est enim supremus in Republica finis ejusdem salus. Est & inde eadem suprema lex, unde omnia, quæ ad eam collineant suâ justitiâ nituntur.

Salus Reipublicæ in ejusdem consistit diuturnitate, & à mutatione præservatione. Obtinentur hæc per imperantium securitatem, & legum sanctionibus munitarum curatam civium obedientiam. Sunt istorum occultorum modorum plures rationes. Omnes complector necessitate. Nempe ἐξ ἀνάγκης iis Principes utuntur. Equidem fit sæpenumero, ut in Republica, sive suppressis iis qui rerum potiuntur; sive ipsâ libertate, si seditiosi & novitates amantes exsurgant, tegenda sit ista sive dominationis, sive libertatis suppressio, & ne percipiatur, alterutrius imagines quædam sumendæ ostentui. Solent equidem tales sub specie sive re libertatis, sive dominationis restituendæ ipsi sibi quærere imperium. Quamobrem eâ utendum prudentiâ, ut quod affectant iis speciosè modò concedendo, seditiosus si-

statur

statur impetus. Fluminum si nimis impetuosus est cursus, ut stagnent, obice curandum. Nec aliter facilè affectuum sistes motus; vehementes sanè. Pro obice hîc serviunt istæ imagines. Non semper equidem vis vi repellenda; sed artibus si imminet, ne inferatur, cautè providendum: si jam illata; animosè quidem, sed non minùs arte frangenda. Est omnino prudentiæ, sæpe quàm armorum major vis; & arte, quàm virtute imperii felicior assertio. Asserendi imperii artes, pro singulari ingenii sui acumine, exposuit eruditissimus Clapmarius; nos doctrinam viri, rogati illustravimus; inprimis conciso comprehensam breviario. Facimus id nunc iteratò; sed aliquantò laxius; Autori tamen reservatis exemplis, rerum modò capita notamus.

Artes istas Rerumpublicarum arcana indigitavit, ab ipsa re derivatâ appellatione. Nempe arcanum ab arca, vel arcendo dictum; quòd quæ in arcis sunt, celata sint, & abscondita. Et hæ, quidem artes conservandæ Reipublicæ sunt occulta consilia, à quorum cognitione vulgus arcetur, ut. ipso earum ignaro, tutiùs iis Principes utantur. Sophismata aliàs, ex ipsarum naturâ, appellantur,

pellantur, quod modò rerum verarum ſint adumbratio, κρύφια Ariſtoteli, Latina conſonante nominatione. Optimè. Sunt enim ænigmata & ambages, quibus plebs, ne quæ in ſcenam producuntur cognoſcat, abducitur. Rem ut dicamus, ſunt intimæ & occultæ rationes, ſive conſilia eorum, qui in Republica principatum obtinent, tum ipſorum tranquillitatis, tum præſentis Reipublicæ ſtatus conſervandi, idque boni publici causâ. Occulta *ſunt duplici ratione, tum quod ita teguntur ut non facile perſpiciantur, tum quod tecta facile imponunt præſentem Reipublicæ ſtatum odio habentibus. Accedit quod ἐν πυκτίοις πίναξι Principes ea ſoliti ſint obſignare. Plebi blandimenta tantùm ſunt, & ſine re mera φαινόμενα. Equidem per ea aliud intus agitur, aliud foris ſimulatur. Addo*, boni publici causâs, *quod, licet nudè & ſimpliciter conſiderata fraudis aliquam & iniquitatis habeant ſpeciem, tamen boni publici, ac Reipublicæ ſtatus reſpectu defendantur. Nempe cedunt privata publicis. Sed ut in illis aliud agatur, aliud ſimuletur, ipſæ leges permittunt. Nec enim in privatis omnis dolus eſt prohibitus; ſed modò machinatio in da-*

 mnum

mnum alterius. Quantò magis igitur ad publicam salutem tendens admittenda? Sed non est opus simulatione in omni Republicâ. Dictum puta non in tranquilla, seu Platonica politiâ; sed modò in turbata & face populi. In illâ apertâ & regiâ utendum viâ. Vtpote in quâ non placet nisi τὸ ἁπλῶς δίκαιον. In hac, juxta illud, τὸ κοινῇ συμφέρον, τὸ πολὺ ἀγαθὸν. Nempe quantumcunque mutetur Respublica, spectatur inde τὸ κατά τι δίκαιον. Δίκαιον πολιτικὸν dixit Aristoteles, καλὴν καὶ ἐπαινετὴν πανουργίαν Basilius. Sit verò licita ea qua Reipublica est utilis simulatio, boni publici ratione, cedant ei privata; habet tamen ista ars suos limites; fidem, honestatem, virtutem. Quos qui egreditur, non prudentis ampliùs & politici, sed vafri, astuti ac nefarii hominis nomen meretur. Habet exinde simulatio suam difficultatem. Nempe ut cum effectu simules, duo cavenda; cum ne turpis; tùm ne nimis aperta sit simulatio. Equidem, si in vitiorum existens confinio, ne dicam ipsas vitiorum intrans possessiones; suâ turpitudine; sive minùs tecta seipsam prodat, fallet autorem. Doli non sunt doli, nisi astu colas. *Vnde & cavendum, ne nimis,*

sed

ſed modò ſimulatè tegatur. Equidem nimis ſimulationem qui tegit, ſibi larvam ipſe detrahit. Ea hic ars eſt, ita ſimulare, ut ſimulare non videaris. Sed ipſorum arcanorum diſtinctionem ſpectemus. Eorum *alia, ſic dicta ſunt propriè, alia impropriè. Conveniunt in communi fine. Is publicum eſt bonum. Speciali differunt. Equidem illa ſpectant propriè & immediatè ipſam præſentis Reipublicæ formam; hæc eorum qui principatum obtinent ſalutem conſervandam.*

Quæ ipſius Reipublicæ *præſentis conſervationem ſpectant, ſunt varia. Scilicet abſolutè conſiderata, pro triplici Reipublicæ forma, ſunt triplicia, vel Regia, vel Ariſtocratica, vel Democratica.* Con*ſiderata ſecundùm iſtarum formarum comparationem, ſextuplicia. Puta, arcana* Regia, *ſeu Imperii contra Patricios, vel plebem. Ariſtocratica contra regnum, vel plebem. Democratica contra regnum, vel Patricios.*

Quæ ſecuritatem eorum ſpectant qui in Republicâ *principem locum obtinent, arcana dominationis propriè dicta, ſunt triplicia. Accipe, alia dominationis Regiæ, alia Ariſtocraticæ, alia Popularis; puta pro triplici, ſive Regia,*

ſive Ariſtocratica, ſive Populari dominatione. Impropriè arcana ſunt, quæ appellantur Imperii ſimulacra, inania Tacito dicta. Variant & ipſa pro diverſis Rerumpublicarum formis, non minus quàm propriè dicta arcana, ſive abſolutè ea ſpectes, ſive relatè. Puta vel Regia, ſive in Ariſtocratico, ſive in populari. Vel Ariſtocratica, ſive in regno, ſive in populari ſtatu; vel Popularia, ſive in regno, ſive in ariſtocratiâ: Quoad omnia verò arcana hæc eſt obſervatio; quædam uni Reipublicæ *formæ convenire, alia omnibus. Sunt & arcana militaria, item communi vitæ decorè inſtituendæ, aliaque Reipublicæ adminiſtrandæ ratione & uſu obſervata, de quibus* ἐξ ἐπιμέτρε *cùm agat* Clapmarius, *aliter non meditanda.*

Arcanorum, quæ formam Reipublicæ conſervandam ſpectant fundamenta, ſive cognata ſunt imperii & majeſtatis; quæ ſecuritatem eorum qui Principatum in Republica obtinent concernunt dominationis ſive jura, ſive flagitia; arcana domûs Tacito meritò dicta. Iſta cognatio cauſſa eſt, cur quo rectius ipſa Rempublicarum arcana cognoſcantur, pretium ſit ſcire, circa quæ iſta jura & ſacra verſentur. Sunt

ea:

ea: 1 *Comitia.* 2 *Magiſtratus.* 3 *Iudicia.* 4 *Arma.* 5 *Armorum uſus. Abſtruſæ artes, per quas ab iſto imperii jure, nec minus ab ipſa dominatione homines ſeditioſi prohibentur, ea ſunt, quæ imperii arcana appellantur. Confuſa quidem à multis cum jure imperii, ſed ab eo non uno modo differentes. Scilicet* 1 *Ius imperii id ipſum eſt, quod conſervandum eſt: Arcana Imperii iſtius conſervationis modi & rationes, ac principalis majeſtatis per conſenſum obedientium propugnacula.* 2 *Ius imperii in omnibus ferè Rebuſpublicis unum eſt; arcana variant pro quacunq; Reipublicæ formâ.* 3 *Ius imperii purum eſt, non ſimulatorium; arcana imperii planè εἰρωνικὰ. Verbo dicamus, jura imperii arcanorum ſunt fundamenta. Definitur jus imperii*, poteſtas abſoluta earum rerum omnium, quæ ad majeſtatem regni & Reipubl. pertinent, ſive belli titulo, ſive ſubditorum patientiâ acquiſitam. *Tale ut non facilè aliis demandetur. Nempe majeſtas propria ſolius eſt Principis.*

Conſiſtit verò jus imperii potiſſimùm in duobus. 1. *Vt Princeps legibus ſit ſolutus.* 2. *Vt civibus & ſubditis leges det. Principem dico. Sed obtinent iſta duo*

in regno Rex, in Republicâ populus, in Aristocratia Patricii. Et in istis quidem summa majestatis consistit. Equidem patet ea quàm latissimè. Inde latiùs à Clapmario explanata; ad undecim tamen adstricta capita. Primum id ipsum est, quod recitavimus, Legibus solutum esse. Nempe à semetipso latis. Iis tamen quibus majestatis Iure sit solutus vivere, Principe non indignũ censemus. In Principatu Romano legum vinculo adeò ipsi Principes soluti fuere, ut & alios solverint. Solvit lege Voconiâ conjugem Augustus, annariis liberos. Quinimò stante Republicâ, Dictatores in bellum ituri, legibus ad tempus solvebantur. Alterum Majestatis caput, est legum ferundarum, abrogandarum, & subrogandarum potestas. Nempe imperii verè est; non solùm juxta leges, sed & ipsis legibus imperare. Et cujus est leges ferre ejusdem est eas abrogare, etiam surrogare. Non tamen Principi, legi à se lata fraudem facere licet. Nec verò etiam expedit, ne quod in tali fraude cuiquam sit refugium. In tertio, quod est jus comitiorum, & creandi Magistratus, maximè elucet imperii Majestas. Nempe nullam esse in Republ. quæ non à Principe dependeat potestatem.

Vnde

Vnde hanc magistratuum creationem ad curam Principis, non favorem populi pertinere, rectè à Modestino, & creationem Magistratuum maximam esse partem muneris Imperatorii, à Zonarâ dictum. Et prudens monitum Mæcenatis, ut Augustus solus sine plebe, populo, ac Senatu Magistratus crearet. Prudens item factum Tiberii, quod Consulum renunciationem sibi soli attribuit, cæterorum Magistratuum, commendatione suâ interpositâ, vel ratihabitione accedente, modò indulsit. Non minùs elucet majestas in jure sacrato, vel sacrarum rerum; tantò magis ab antiquissimis regibus culto, quanto ipsis majorem conciliabat majestatem ac reverentiam; adeò quidem, ut idem Rex esset & Sacerdos. Est hoc jus quartum majestatis caput. Fuit Romæ ejectis regibus penes Senatum ex Senatusconsulto. Mutatâ Republica, ut omnia, ita & ea quæ ad religionem pertinebant, ad se Imperatores transtulêre, Senatui pauca tantùm juris sacri concessêre. Erant scilicet illi sacrorum Præsides scire ea & administrare Pontificum. Quo non contenti hodierni Pontifices Romani, Imperatorum sive lenitate, sive nimiâ religione, summum illud jus sibi

in sacris arrogando, imò & in Reipubl. negotia se immittendo, biceps fecerunt imperium. At verò revera ita se res habet, regum potestatem non solũ ad mundi regimen, sed & Ecclesiæ præsidium esse collatam. Quod ut adverteret, Leonem Imperatorem Leo Pontifex monuit.

Quintum *majestatis caput est jus cudendæ, & suâ imagine signandæ monetæ. Quod ipsum etiam à Triumviris monetalibus Cæsares Romani ad se traxerunt. Cujus juris in Romano imperio olim tanta erat religio, ut Imperatores in illud committentes, tanquam majestàtis reos, pœnâ capitis affecerint. Erat sanè totum ipsorum hodie in tot fere partes, quot sunt Principatus, Comitatus & Civitates distractum.*

Sextum *in vitam & necem omnium civium dominium. Gladii jus dicimus, quod pro imperii insigni pugio & gladius esset apud Romanos.* Ex *hoc jure fit, ut condemnandi, absolvendi, sententiam revocandi, delictorũ veniam tribuendi, commeatum & remeatum concedendi, honoribus & ordini, cæterisque plenè restituendi potestas penes eum solum sit, qui in* Republica *principatum obtinet. Iudex μεσίδιχος est, & cum à Principe mandatam modò habeat jurisdictio-*

risdictionem, nec lenire pro arbitrio suo sententiam, nec mutare potest.

Septimum *est jus legationis, h.e. legatos mittendi & recipiendi. Ex quo & ipsi legati sancti & inviolabiles. Paucis id olim concessêre Romani; occupato Imperio primi Imperatores Senatui reliquerunt, sed eos audiendi quidem, iisque respondendi, in levioribus; at in gravioribus non nisi accederet ipsorum decretum, limitata potestate.*

Octavum *est extrema provocatio. Quod à primis Regibus Romanis olim usurpatum, iis ejectis liber factus populus postea invasit, & pro firmo adversus Consules propugnaculo habuit, Augustus, at jure Tribunitiæ potestatis, sibi reservavit, tanquam sub imagine. Nec Tiberius quadam adversus sententiam suam decerni passus est, nisi pro simulacro & larva pristinæ libertatis. Sed extremam dicimus provocationem, intermedias hîc non attendimus. Nempe & olim à Prætore ad Prætorem, item ad Tribunos appellare licuit apud Romanos. Sed verò cum summus Iudex Princeps sit, à quo omnis derivatur jurisdictio, claudere jura nemo nisi ipse potest.*

Nonum *caput est jus belli decernen-*

 di &

dï & pacis faciendæ. Vnde apud Romanos id non licuit in Republ. nisi comitiis populi centuriatis, eâ mutatâ tantùm jussu Principis. Adeò quidem, ut qui bellum injussu Principis gesserat majestatis lege Iuliâ teneretur. Citra consensum Senatûs ac populi, & postea Imperatorum à Ducibus spondentibus inita pax rata non erat, nisi iis annuentibus. Nempe non aliunde quàm à Romæ, tanquam sede imperii, pacem peti voluêre. His accedit decimum, quod est jus vectigalium; acri quidem adhuc libertate à primis Imperatoribus, Consulibus & Tribunis aliquamdiu concessum; à posterioribus verò ita exercitum, ut sine ipsorum arbitrio tributa subditis imperantes reos egerint majestatis. Vltimum est jus Nundinarum. Nempe ut ea à nemine institui possint, sed indultus à Principe debeat impetrari l. un. C. de nundin. *Equidem regalia quæ dicuntur, tanquam à jure Imperii diversa, minimè præcedentibus accensenda. Quippe augendo patrimonio, & rebus domesticis potiùs inserviunt, ac in feudum conceduntur; non facilè jura Imperii, quæ majestatem habent, ac Principi in modum* ὑπεροχῆς *reservantur. Omnino fortè accensendum jus publicos*

blicos cursus instituendi, tanquam ad solum Imperatorem pertinens, Ius dandi civitatem, muniendi & portis interdicendi, potius referenda ad jus regiæ dominationis. Alienum minus à majestate est militare imperium, in castris tantùm, & extra Rempublicam obtinens. Est penes belli Duces. Sed quantacunque in bello expediendo eorum fuerit autoritas, concessam modò; summum tamen, cujus capita recensuimus, imperium nunquam habuerunt. Non pacis faciendæ privilegium, non legatis certa pro arbitratu, sed nō nisi pro Reipublicæ commodo consulendo, dandi mandata.

Ex summo imperii jure arcana imperiorum non tam eruuntur, quàm vera sunt ejusdem conservandi propugnacula. Equidem, ut tectè contra illud machinari & sensim solent cives factiosi, eousque, ut ad illud evertendum per gradus grassentur; ita dissimulatâ factione, istis machinationibus per artes occurrere Princeps debet. Prudentiâ hic opus est, & quidem pro Reipublicæ formâ variâ. Secundùm eam imperii arcana distinguenda. Esse ea, ex triplici imperii statu triplicia, jam ante in genere monuimus; Aristocratica, Democratica, Regia; nunc ex ordine singula

 consi-

consideranda. Prima sunto Aristocratica, seu arcana Patriciorum contra Plebem. Definimus ea, recondita consilia, per quæ in Republica ita inescatur plebs, ut putet se habere quod non habet. *Versantur secundùm Aristotelem* 4 Polit. cap. 13. *circa quinque*, 1. *Comitia*. 2. *Magistratus*. 3. *Iudicia*. 4. *Arma*. 5. *Armorum usum*.

Comitia Magistratuum spectant creationem; ad quam fenestra plebi minimè aperienda, omnino verò ab eâ, sed tectâ arte, avertenda. Ars ea est, ut juxta Patricios plebi pateat accessus ad Comitia, sancita etiam lege absentiæ; eâ ut Patriciis, ni veniant, pœna dicatur, plebi remittatur. Equidem plebs, satis habens copiam sibi dari Reipublicæ, propter privatam sui suorumque sustentandorum curam, publicorum negotiorum magnitudine deterrita, ab Imperio lubens abstinet, idque relinquit Patriciis. Eundem in finem, cum in Optimatum Republicâ expediat, ne ex plebe Magistratus fiant; hac arte utendum, ut plebi renuntiandi Magistratui fiat licentia: pœna dicatur renuncianti-bus Optimatibus. Nec ad Iurisdictionem plebs facilè admittenda. Quod licet in eâ non sit summum Imperium; dicentis

dicentis tamen jus sit amplissimum. Sine periculo ut arceatur, Charondæ exemplo, lex ferenda, quâ Patricii, nisi postulanti jus dicant, gravis pœna indicatur, plebeji minimè, vel modò leniter puniantur. Armorum jus cùm non modò sit publicum, eorundemque possessio ejus, penes quem est, summum imperium; sed verò etiam plebem armari ob dubium ejus animum periculosissimum; Reipublicæ Optimatum conservanda, ut arma habeant Patricii; imò armamentario sint instructi, similiter indictâ gravi pœnâ, plebs ut careat, concessâ impunitate curandum. Sed verò etiam, ut armis se exerceant Optimates, plebs ab isto exercitio abstineat, simili ratione providendum. Ea ratione ut hæc otio & ignaviâ torpescens per illos scientia militari instructos arceatur facilius à Republicâ. Non alio consilio in Principatu Regum liberi iis exercentur quæ conveniunt summo tuendo imperio. Nec minùs debet in Optimatum Republica Patriciorum propria esse scientia civilis, juxta dicendi & historiarum studium. Autoritatem ea conciliat apud rudem, & inexpertam plebem. Fuere verò & alia arcana à Romanis Patribus ad dementandam ple-

bem usurpata 1 Petita ac impetrata à Tribunis apud Collegas intercessio, ad componendum quod inter ipsos & plebem esset, certamen. Qua, cum parum proficerent imperii vi, temporis potius, quàm majestatis habitâ ratione, & tum, & sæpenumero plebis fregerunt insolentiam. 2. Hybernaculorum ædificatio, per quam plebi ademptâ copiâ usurpandi libertatem, & Magistratus creandi, dissolvebatur potestas Tribunitia. 3. Bellorum adornatio, & ad illa juventutis ablegatio. 4. Objectæ, post plebem exasperatam vindicatis seditionibus, pro delinimento agrorum divisiones, & deductæ coloniæ; veræ servitutis sedes; sed ad frangendum plebis impetum optima species humanitatis. 5. Religionis mantelum. Equidem cum primores Romanorum, ut plebem à Republicâ arcerent, omnia frustra tentâssent, verterunt rem ad religionem, persuaseruntque populo, ad Deos magis, quàm ad se pertinere, non vulgari honores; optare modò, ne inde pollutis sacris aliqua clades obveniret Reipublicæ, etiam aliquando ex inopinato, tanquam ominoso, casu metu incusso. Et sunt quidem hæc Patriciorum adversus Plebem fucata consilia. Occulta

sanè

ſanè. Sunt & alia manifeſta, & quibus aut nulla, aut ſaltem exigua, ineſt ſimulatio. Ea ſunt, Iuventutis ſecundùm præſentem Reipublicæ ſtatum educatio. Nempe ut exſtinctis iis, qui in priore vixerant, iſta priorem ignorans, hujus dulcedine ad eam ipſa plebem imbuat. 2. Legum ad eundem conformatio. Neque enim cuique Reipublicæ formæ eadem conveniunt. Qualiſcunque verò ſit, ad eam conſervandam leges non minùs, quàm arma ſerviunt. 3. Reipublicæ, ne ſive ex progreſſu temporum, ſive ex imperantium incuriâ (puta quod plebi fortè nimium ceſſerint) quid attrahat quo formam mutet, in ſua principia reſolutio. Denique per erectas Academias, pontes, portas, templa ad magnificentiam exſtructa, pecuniæ publicæ in ſplendorem converſio. Equidem plebi feroci magis placet iſta magnificentiâ ornari, quàm augeri opes Reipublicæ.

Circa arcana Ariſtocraticæ contra regnum maximâ opus eſt curâ. Facilè enim inter potentes aliquis, ambitione ductus, ſpem capit occupandæ dominationis. Definiuntur, occultæ artes & rationes ne unus aliquis in Republicâ Optimatum nimis potens fiat, adeoque

eoque imperium invadat. *Talia sunt, eum, qui potentia nimis creverit, specie honoris, in bellum ablegare, & obtentu minuendæ molestiæ citò revocato, præsenti honores Vrbanos offerre. 2. Nemini diu magnum Magistratum, præsertim bellicum committere. Nempe ne quis deinde iis, qui detulerunt, invitis, eum tenere ausit. 3. Nemini bis eandem potestatem deferre. 4. Nimis potentia crescentis vires, sed maximè objectis rationibus per quas à se ipso ruat, puta per invidiæ flammas viasq; suggestas, aliasque ambages frangere. Circumductione enim hic opus, ne ex subito præcipitio extrema tentandi sumat audaciam. 5. Gliscentes inter viros magnos & Principes civitatis factiones initio quidem alere, at si serpant, ut maturè, ita arte; ac prudenter dirimere. Equidem festinatione non minus, quàm prudentia hic opus est, ne, erumpente æmulatione, victoria, potens per dominãdi libidinem spem capiat invadendi imperii. 6. Cavere ne duo pluresve ex una familia uno eodemque tempore magnos Magistratus gerant. Scilicet præscriptionis, licet juri publico resistere nequeat, præveniendo obtentui.*

Arcana Democratica adversus Optimates

mates ferè, sunt eadem, sed inverso ordine, ut rectè Aristoteles lib. 4. polit. cap. 13. *Equidem in Democratia 1. plebs, ut ad Magistratum contendat mercede & præmiis allicienda, pœna nulla constituta Patriciis. 2. Curandum simili ratione, ut armorum usui & bellicis meditationibus (quod in eo statu imprimis necessarium) plebs vacet. His accedunt & alia ex historia Romana: Vt imperent qui & populares sunt, & præsentem amant statum Reip. opibus pollentes arceantur. 4. Ratio rerũ gestarum sæpenumero petatur à Magistratu. 5. Leges sint populares. 6. Popularis educatio. 7. Liberæ sint Patriciorũ accusationes. 8. Cura ne plebs penuria laboret. 9. Ex diverso ut per occultos, at legitimos sinus divites emungantur.*

Contra eos, qui vel animi mobilitate novis student imperiis, vel ipsi dominandi libidine imperium affectant, (à quibus in populari statu maximum est periculum) alia sunt arcana specialia stabiliendæ libertati. Tale fuit factum Bruti, quo ejectis Regibus populum Romanum juramento adegit, neminem se passuros regnare, bona regia diripienda plebi dedit, domum Regiam, ut area oppressa nefariæ spei esset monumento, extemplo

templo dirui jussit. 2. Prohibitio ne quis in Republica Romanâ Tyranni haberet imaginem 3. Memoria cum eorundem, tùm aliorum regnum affectantium damnatio, & si quæ fortè eorum facta monimentis tradita, ex iis revulsio. 4. Modus temporis magnis imperiis, ne diuturna sint, lege constitutus, ob periculosam eorum prorogationem. 5. Seditionum & bellorum civilium, tanquam regnum parturientium, aversio.

Regia arcana contra plebem, quorum erepta ei libertate, ad valida regni jacienda fundameta usus est maximus, tanto plura sunt, quanto difficilius, eam libertati natam ad leges regni cogere. Talia sunt 1 *Occupati quomodocunque imperii ex ementitis sive extortis legibus, sive SCtis, quæsitus titulus ac color; ut ex populi cõcessu haberi videatur.* 2. Ακκισμὸς *eorum, quibus imperia & dignitates demandantur; hoc est, inducta dubitatio, ut eas flagrantissimè expetitas, specie recusantium, quasi coacti suscipere videantur. Vtilis, ut Procerum voluntates introspiciant, & plebem ad ea, quæ dissimulando petunt, acrius accendant. Quà sanè arte prudenter usi sunt primi Imperatores Romani ut non tam ambitu imperium*

qua-

quæsivisse, quàm, & communi quidem bono, injunctam servitutem recepisse viderentur. At in hac, ut in cæteris, difficultas maxima non minorem postulat prudentiam. 3. Plebis, omniumque præsentem Reipubl. statum odio habentium in bellum missio; Quando eo opus non est, per alios labores fatigatio. Equidem otio plebi ablato, turbæ caventur ac conjurationes. 4. Accedit civium, & quidem ex insolescenti animorum tentamine discretio. Scilicet ut separendi ii, qui popularibus studiis plebis animum rapientes, inhiant dominationi, ab obsequio promptis, ac dominationi & imperio præsenti faventibus; iis maximè, quibus claritudo sua tuenda obsequio. Equidem sic adversa imperio consilia detegi, & ne palàm erumpant, obices iis poni possunt.

Arcana Regia adversus Patricios plura sunt. 1. Vt creatio Magistratûs sit penes Imperatorem. 2. Imperia, præsertim in recenter occupato principatu, ne prorogentur. Ratio, quod istoc modo ad priorem statum Respublica reducatur, aut saltem occasio pluribus gratificandi Principi, præsertim novo, eripiatur; omnino ad augendam ex benevolentia civium potestatem necessaria. 3. Si prorogatio,

rogatio utilis videatur, ne fiat nisi τοῖς ἀρεσκοις, hoc est, viris immobilis pietatis erga Principem, at mediocribus saltem virtutibus præditis. 4. Vt magna Imperia viris togatis potiùs, quàm rei militaris peritis, quamvis tenui origine natis, committantur. 5. Ne extra Romam, sive Imperii sedem Princeps creetur; sive quod in ea, tanquam intra Lares, fortuna ejus habitet, & exinde auspicatò alibi Princeps fieri non possit; sive quod hoc ad ipsius Imperatoris conferat majestatem. Nempe legibus hac ratione subjici Imperii sedem ad infringendam maximè pertinet libertatem. 6. Quovis tempore sit certus heres Imperii. Ne Rege sine herede mortuo, vel in partes distrahatur, vel in aliam Reipublicæ formam mutetur Principatus. Nempe ubi incertus est successor, facilis Reipublicæ in pristinum statum est relapsus. Ex adverso præsentia, & certitudo hæredis spem tollit mutationi inhiantibus. 7. Ne quis jura majestatis tractet præter Principem. 8. Vt omnia, quæ ad majestatem regni pertinent, solus Princeps agat & administret, & penes unum sit vis imperii: Nec enim Principatus consortem patitur, nec ratio imperandi constat aliter, quàm si uni

uni reddatur. εἷς κοίρανος, εἷς βασιλεὺς. *Est tamen boni Principis in consilium vocare viros prudentes, & eorum consilio, quæ ad imperii beatitudinem, ipsiusque gloriam redundant, ordinare. Omninò id faciendum salubri temperamento. Nempe ut ne aliquis, quocunque prætextu, locum obtineat principalem; sed ipsius Principis sint cuncta arbitrio, & ab eo, veluti fonte hausta quasi rivi, quæ prudentes iis administrant, decurrant. 7. Cura sedula, ut in Principatu, præsertim novo, ea amomeantur, quæ Rempublicam ad pristinum statum possent reducere. Et est quidem hic prima prudentia, providere ne viri magni premantur inopiâ, egeni vel aucto censu, vel statutâ annuâ pecuniâ, & quidem servato ipsorum ordine juventur. Puta ne talium animos ad pristinam Rempublicam recuperandam res angusta accendat. Nempe res novas moliendi ex inopiâ præcipua est audacia. Omnino verò cavendum, ne viris magnis & incolis à tergo relictis homines novi vel ex plebe nati, dignitum ornamento nimis attollantur. Præstantissima & secura præsentis Reipublicæ conservandæ ratio, est moderata gubernatio ac cura, ne quem pœniteat præsentis status.*

Est

Et ſunt quidem iſta imperiorum arcana eò directa, ne Reſpublicæ mutentur, vel in aliam formam fluant; atque ita eas immediatè ſpectantia; εἰρωνικὰ *pleraque & ſimulatoria. Conjuncta iis & confinia, diverſa tamen, ſunt ea, quæ arcana dominationis dicuntur, & imperantium ſecuritati immediatè inſerviunt. Confinia ſunt, quòd illa Reipublicæ ſint præſidia; hæc ſunt munimenta eorum, qui rerum potiuntur. Quippe inde & ipſa Rempublicam, licèt mediatè, ſpectant. Nec enim poteſt ea eſſe ſalva, niſi ſalvo Principe. Diverſa ſunt, quod ibi pleraque, hîc pauca ſint ſimulatoria. Ipſam dominationem definimus,* ſummam imperandi vim, cùm aliqua violentiâ conjunctam, quâ ii utuntur, qui noviter occupârunt, vel occupatum tenent imperium. *Vnde & ipſa imperium eſt; ſed paulò violentius; legitimum tamen, ac in tali Republicâ, tanquam ſeditioſorum hominum plenâ, omninò neceſſarium. Arcana dominationis, ſunt,* intima, recondita, ac occulta conſilia ſive rationes non tantùm ipſius ſtatus conſervandi, ſed, & imprimis quidem, eorum qui in Republicâ principatum tenent, ſive unus is ſit, ſive plures, ſecuritatis causâ intro-

introducta, contra eos qui Principibus imperium student extorquere. *Minime sanè confundenda cum jure Imperii; utpote à quo differunt non uno modo. Equidem* 1. *Iura imperii eadem sunt in omni Republicâ; jura dominationis pro Reipublicæ forma varia.* 2. *Iura Imperii omnibus sunt conspicua; arcana dominationis abscondita.* 3. *Iura Imperii augusta & Majestatis plena; arcana dominationis humiliora. Vnde in illa committens reus est majestatis; in hac impingens minimè. Sunt verò arcana dominationis totidem, quot jura Imperii. Scilicet arcana dominationis Regiæ, Aristocraticæ, Popularis. Regiæ dominationis arcana sunt*, occultæ rationes ad securitatem Regis, vel Principis pertinentes, adversus eos qui imperiis non tam Regni, quàm Regis aut Principis odio inhiant. *Talia sunt:* 1. *Lex Augusti, ne cui ex Senatoribus fas esset intrare Alexandriam. Puta, ne ex opulenta, & simul natura seditiosa Provincia periculum crearetur imperiali dominationi, si quis ad seditionem pronus eam insideret. Nempe claustrum ea erat annona, quo talis, societate gentis ductus, fame urgere Italiam posset.* 2. *Lex, ne Senatores, vel viri illustres*

sive

sive injussu, sive sine permissu Principis peregrè abirent, vel, & quidem multò minus, ad exercitum cõmearent; ob studia militum aucupandi facilem occasionem. 3. Cui simili SCtum, Ne milites salutandi caussâ domus Senatorias adirent. Eadem ex caussâ factum. 4. Cursionum publicarum prohibitio. Vt mittendi nuncios aut literas ad seditiosos praecideretur occasio? Quo consilio etiam cautum, ne quis ad Senatum, vel exercitum publicè scriberet, praeter Principem. Eâ ratione, ne per publicas tales literas moliri adversus eum res novas posset. Nec verò etiam scribere aut loqui publicè est privati. 6. Lex, Ne quis Principis scripturam aut picturam imitetur aut mutuet l. 23. ad L. Corneliam de falsis. *Quod istâ ratione Principem miris modis suspectum ac invisum reddere; sibi verò ad imperium patefacere aditum possent. Vt acta publica sint penes solum Principem, vel ejus ἀρχείῳ Praefectum. Vnde Actuarios habere, criminis loco fuit. 8. Ne quis per ambitionem studia militum quaerat, nec eos alloquatur, stipendia iis vel praemia decernat, praeter solum Principem. Itidem ob caussam hanc, ne favore militum res novas moliatur. 9. Lex Romuli,*

muli, ut mœnia existimentur sancta, ob muri transilitionem, fratris Remi morte stabilita. 10. *Prohibitio, ne cui liceret arcem exstruere, civitatem mœnibus circumdare, sine indultu Principis. Scilicet ob justum ex ista munitione insidiarum metum. Inde rebelles murorum demolitione, pracidendo novo ausui puniri solent, & privilegia civitatibus concedi, ne propè eas intra unum vel duo miliaria castrum ædificare liceat; ad metum à vicinorum potentiâ adimendum.* 11. *Ne quis nimis splendidè ædificet; ob suspectam civium magnificentiam; ne quasi ejus gloriâ, superato Principe, ad ipsum ausint grassari Principatum.* 12. *Ejusdem notæ est, Ne quis in castris cespititium tribunal exstruat, vel adscendat & ex eo verba faciat, utpote quod proprium erat Principis, aut ab eo missi Ducis, vel Imperatoris.*

Emanârunt verò à Principibus firmandæ dominationi & aliæ constitutiones. Tales sunt. 1. *Ea quâ cautum, ne Consules pecunias spargerent, Tollendæ puta umbræ dominationis.* 2. *Ne quis privatos carceres haberet; itidem quod speciem habeant Imperii.* 3. *Ne quis privatus titulos prædiis suis vel alienis imponeret, vel regia vela suspenderet.* 4. *Ne quis fisci nomine aliena loca invaderet; Quod ea occulta sit ad*

Imperium repens via. 5. Ne quis auratas vestes gerat præter Principem, aut Principi, ejusq; domui dicatas vestes usurpet. 6. Vt effata Imperatoris non lustrentur nisi purpureâ inscriptione, tanquam ipsius propriâ. l. 3. C. de diversf. rescript. *Sed rectè Clapmarius, ultimum librum Codicis nihil ferè continere, nisi arcana dominationis. Ista enucleare opera quidem est pretium; at non instituti nostri. Ipsum sequemur Clapmarium. 7. Huc referenda imperii insignia; hoc est, quem imperii heredem vis designare, ejus cingere insignibus. Equidem soli ea tribuebantur Principi. Vnde & qui illa habet, & imperium habere judicatur.*

Hisce arcanis accedunt alia. Et 1. quidem hoc, ut licèt in principatu Reipubl. imò & ipsius Principis, quo pluribus munimentis insistat, intersit ne successor sit in incerto; caveatur, si duobus spes sit ad imperium, neuter ne nuncupetur; eâ providentiâ, ne alteri præcisâ spe, desperatio temerariam in eo pariat audaciam. 2. Ne mentio fiat hæredis, vivo adhuc Principe. Nempe ne in eum à Principe aversa stud a subditorum concitentur; aut si duobus spes sit imperii, alter in alterum animetur. 3. Ne quis rei gestæ gloriam ad se trahat, præter Principem. Omnino enim

hoc

hoc necessarium, ut salva ei maneat majestas. Equidem quando rerum autores gestæ rei famam ad se trahunt, & Principis majestatem existimationemque opprimunt, & hac militari gloriâ facilè ad Imperium contendunt. Eo obtentu, quòd & ipsi felices bello suis Ducibus, suisque exercitibus auxerint Rempublicam. 4. *Ne quis alterius imaginem colat præter Principis. Equidem in Imperatoris imagine colitur, & inde ex altero cultu inferiori dignitati adæquata quàm maximè læditur majestas imperatoria. Vnde fit, ut secùs facientes majestatis sint postulati.* 5. *Vt pro solius principis incolumitate vota suscipiantur.* l. 1. C. de oblat. & votis. *Hac ratione, quod si idem aliis fiat honos, dignitate majestati Principis æquentur. Quam ob causam privata sacra habere nemini licuit, præter Principem, aspersâ infamiâ id ausis. Quod id non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere judicatum. Ne quis de salute Principis aut Reipublicæ alium consulat. Nec enim id opus est, nisi ei, à quo adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur aut sustinetur. Sed & ad imperium multi ausi sunt contendere eo solùm obtentu, quòd id fato sibi deberi persuasum haberent. Vnde & artis divinandi, tanquam periculosæ, ab Im-*

peratoribus emanata prohibitio. l. 1. C. de Maleficis & Mathematicis. *Tanta quidem, ut tanquam ipsam propemodùm pulsans majestatem, ex eà facta sit damnabilis.* l. 7. C. eod. *Vnde & alia cautio: Ne quis apud alium, quàm apud Principem, vaticinia profiteatur. Necessaria sanè, ne, ea prodita, subditorum inclinent studia. 7. Ne quis diu multumque cum exule versetur. Scilicet tollendæ sinistrarum machinationum suspicioni. 8. Ne conventus & conciliabula fiant, tanquam ob seditiosos sermones perniciosa in Principatu, & inde prohibita.* tit. D. de colleg. & corpor. *Scilicet,* Corrumpunt bonos mores colloquia prava. 9. *Non minimum dominationis arcanum est, regalis corporis contra seditiosorum hominum insidias custodia, sive ipse corpus suum armet, sive, qui id tueantur, armatos habeat. Equidem parum tuta sine viribus est majestas, & armis quæsitus armis tenendus Principatus. Nec est hæc Tyrannorum, sed vera majestatis, & collati imperii possessio. Equidem ejus insigne est gladius, & armorum usus solius Principis. Cur ergo ad sui corporis custodiam iis non utetur, quib. ipsum tueri debet imperium? Nec est inde hujus arcani usus solùm in turbata, sed & pacatâ Republicâ. In illa ipsius Principis, in hac*

subditorum

ſubditorum cauſa. Sed & ipſa à tyrannide in multis differt dominatio. Nempe illa, majeſtate nixa, ſuum & civium commodum ſimul ſpectat; hæc armorum munimento ad civium abutitur perniciem. Ex modo occupati imperii hæc eſt diverſitas. Tyrannis eſt ex ſceleratâ occupatione; ex diverſo, quamvis violenta, ex vi tamen & jure belli dominatio. 9. Simile arcanum eſt; Ne ſedem Imperii ſeu urbem, unde in omnia regimen, Princeps facilè deſerat. Quòd iſtâ deſertione ſe Remque publicam in caſum det, & quaſi ipſe dominationi ſuæ diffidat & potentia, conjuratorum inſidiis faciat obnoxiam. Sed verò etiam eſt majeſtatis Imperatoriæ è longinquo major, & hominum mentes vehementiùs perturbans reverentiâ. Sed & iſtac ratione eam tutiùs Princeps tueri poteſt; per Legatos intellige. Nempe Principis eſt præcisè & ad punctum agere h.e. ſine ullâ exceptione. Legatis licet perplexè agere, & prætenſo Senatûs vel Imperatoris arbitrio, uſque ad Imperatoriæ majeſtatis decretum acta ſuſpendere. Decimum *arcanum eſto, intra terminos coërcere Imperium; Ne ſi nimis dilatetur, mole ſuâ laboret. Equidem latè peregrinantibus armis, parta facilè amittuntur; Sed & difficile eſt, pergrave, ob vix obductas cicatrices, contine-*

re imperium. Nec in ejus magnitudine, sed in summâ imperandi parendique prudentiâ Reipublicæ consistit felicitas. 11. *Non facile aliquem Regii vel principalis sanguinis interficere. Puta ne id committendo, Princeps ipse suum latus denudet, & sui interficiendi det exemplum. Vnde & avertendi odii caussâ tales interfectores ad supplicia Principes potiùs traxere.*

Habet & Aristocratia sua dominationis arcana. Quod Senatus, licèt immortalis videatur, juxta Principem nefariorum civium conjurationibus sit obnoxius; Quod alia quidem, sed vel solum Catilinaria de interficiendo Senatu conjurationis docet exemplum. Definiuntur, occulta consilia ad Patriciorum ac Nobilium in Republ. tuendam salutem. *Eorum multa sunt cum Regiis communia. Sunt tamen & alia particularia. Exempla communium sunt* 1 *Largitionum, tanquam temeritatis apud plebem invitamentorum, identidem conventuum, tanquam ob eandem causam perniciosorum, prohibitio. Etenim conventibus inclinatur, largitionibus firmatur ista temeritas.* 2. *Prohibita item nimia in splendidis ædificiis magnificentia; in munito præsertim loco. Nempe ne ædificans in affectati regni veniat suspicionem, aut istâ ædificiorum magnificentiâ*

gnificentiâ plebem invitet ad seditionem.
3. *Iussum, ut Patricii & Senatores sancti sint & inviolabiles, atque inde ipsis illatæ injuriæ severè vindicentur; ipsi non facilè supplicio afficiantur.*

Et sunt quidem hujusmodi arcana in Aristocraticâ Republicâ iis opponenda, qui se Nobilium sanguine malunt polluere, quàm eorundem æquo animo ferre imperium.

Sunt præter ista etiam alia. Sanè tale est in liberâ Republicâ, 1. *Post latam provocationis legem, Dictatoris ad vim Tribunorum, ac plebis atrocitatem avertendam, etiam in pace, creatio, & quidem potestate, à quâ provocare non licebat. Eâ tamen providentiâ, ut ad sex tantùm menses duraret. Puta ne quis fretus diuturnâ tali potentiâ Rempublicam everteret. Item* 2 *Vt Patricii sint muniti, ac armati incedant: Etenim servit id ad incutiendum plebi terrorem, ipsis autoritatem augendam.* 3. *Ne facilè avitam sedem relinquant. Quod Patres istâ absentiâ, in certaminibus maximè civilibus, ad res novas moliendas, nefariis civibus, præbeant audaciam. Arcanum à Cicerone funesto Pompeji & Senatûs exemplo notatum.* 4. *Ne cum plebejis connubia jungant. Vtpote quòd ista conjunctio & affinitas Patricio-*

 rum

rum tollat nobilitatem, & ad Reipublicæ cupiditatem Plebejos accendat. 5. Huic malo pro remedio est, cum liberalitas; puta, usi splendidæ ac vetustæ familiæ ad inopiam delabantur, quantum ad splendorem opus, ex ærario accipiant: tum eâ providentiâ, ut si deficiant, novæ restituantur. 6. Vernaculæ linguæ sancta observatio: & talis quidem, ut non nisi eâ exterorum Principum Legatos Patres audiant. Gravitas à Romanis magna cum perseverantia custodita, ut Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. 7. Superioribus accedit, ut è Republicâ arceantur litui, plebem adversus Patricios animantes.

Etiam populari Reipublicæ (quamvis nihil minùs sit mortale quàm populus) dominationis arcana possunt accommodari. Tale sanè meritò videtur edictum Consulis Romani, Ne quis civem Romanum vinctum teneret, aut clausum, quo minùs nominis edendi apud Consules potestas fieret. Et illud; Ne quis militis bona, donec in castris esset, possideret aut venderet. Item lex Portia; Ne cui civem Romanum interficere liceret.

Arcana à Tribunis plebis suæ dominationi tuendæ usurpata sunt. 1. Quod sacrosancti fuerint. 2. Quòd extra urbem abnoctare

noctare iis non licuit. 3. Quòd eos, qui plebi injuriam inferebant, prehendendi habebant potestatem. 4. Quòd creato Dictatore, in potestate manebant, quamvis reliquorum Magistratuum cessante Iurisdictione. 5. Quòd ipsis liceret SCtis intercedere, imò in Curiâ subsellia habere. 6. Prohibitio, Ne in populari statu Patricii multos Lectores haberent.

Possent & alia arcana huc referri; sed observandum in omni Republica conservanda plurimum posse famæ atque existimationis studium, idque sive adversa invincibili animi constantiâ ferendo, sive in accipiendis distribuendisque muneribus magnanimitate, & munificentiâ, aliisque virtutibus, non ad id, quod sibi, sed ad id, quod famæ atque existimationi augendæ conducat, utendo. Eò scilicet præcipua rerum dirigere Principis; proprio commodo modò providere, est privatorum. Sed & nihil magis Principem ipsum conservat, quàm sarta tecta existimatio, atq; majestas. Omnium verò firmissima dominationis munimenta sunt, juxta pietatem & Dei cultum, clementia & mite imperium. A quo imperandi auspicium imprimis fieri debet ab iis, qui id noviter occupârunt. Equidem violenta imperia nemo continuit diu. Moderata durant.

Sed ipsum jus dominationis, cui jam exposita arcana inserviunt, considerandum; minimè à privato æstimandum jure; à quo unius tantùm aut alteriùs salus dependet; sed ex publico, quod circa plurium Regnorum, Rerumpublicarum, universorumque populorum salutem ac utilitatem versatur; atque adeò à privato jure inde est diversum, ut hujus in illo parva, nonnunquam nulla habeatur ratio; imò verò, ut ex supremâ publici juris lege, hoc est, ipsâ populi salute, multis modis sit juri civili abrogatum, ipsumque ab hoc regni, & dominationis jure corrigatur, ac limitetur. Vnde & ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου Aristoteli, lib. 2. Polit. cap. 8, *Ius limitatorium ICtis; aliis verò jus regni, & vis Principis appellatur. Puta de eo nemini, nisi Principi, licet disponere. Ex re definitur commodè*, supremum quoddam jus, sive privilegium contra jus commune, seu ordinarium; sed tamen à lege non alienum, bono publico, hoc est, saluti tum Principis, tum ipsarum Rerumpublicarum conservandæ introductum. Privilegium *dico, privati juris ad publicum accommodatione. Scilicet, quòd sicut privilegia aliàs circa unius, aut alterius commodum; ita Iura dominationis circa salutem multorum*

torum, hoc est, civium & principis Iuris civilis sint correctio. Dico boni publici causâ; *quod ex eo (cui omnia jura, imò ipse Princeps, cedere debet,) sustineatur. Vnde laude summâ digni, qui rerum hominumque periculo asserere nolunt dominationem.*

Confunduntur quidem à multis ista jura cum dominationis arcanis; sed differunt non uno modo. Equidem 1. *Iura dominationis pleraque sunt contra jus commune; ac speciem præ se ferunt iniquitatis; ita tamen, ut in rem ac salutem fiant Principis ac Reipublicæ. Arcana dominationis neque fiunt contra jus commune, & si maximè fiant, non habent hujuscemodi speciem injustitiæ.* 2. *Iura dominationis sunt de factis Principis, vel iis, quæ liceant Principi: Arcana de factis civium, spectantque ea, quæ civibus, vel prohibita sunt, vel permissa. Differt & jus imperii à jure dominationis, non uno modo; licèt, tanquam ex eo natum, videri possit planè convenire. Est equidem* 1. *Ius dominationis earum legum, quibus Princeps est solutus, quædam limitatio.* 10. *Ius imperii conjunctum est cum summâ æquitate; speciem iniquitatis habet jus dominationis.* 3. *Ius imperii usum habet propriè in pacatâ; jus dominationis invio-*

 lenta

lenta & seditiosa Republica καὶ ἐν χειρὸς νόμῳ. Nempe in tali Republica omnia manu gubernantur. Inde verò est, quod jura Imperii ἁπλῶς & generatim, jura dominationis relatè, pro forma cujusque Reipublicæ, sint consideranda. Accipe, quatenus ea varietas facit, ut eo ipso opus sit jure.

Quod attendendum quàm maximè, ut occurratur iis, qui hoc jus ex ista iniquitatis specie detestantur & damnant. Talibus duplici ratione occurrit Clapmarius. Tum argumento necessitatis, quæ legem potiùs dat, quàm accipit; inde firmato, quod nunquam politiam invenies Platonicam, sed plerasque turbulentas, vel saltem minùs compositas, in quibus omnia exactè & ad unguem agere, sit dementia: Tum utilitatis publicæ, quòd, quæ hic videri possit, iniquitas utilitate publicâ rependatur, ex ista verò compensatione revera talis non sit; eaq; lex sit commoda, quæ majori parti, & in summa prodest. Optimè verò vult ista jura juri divino non adversari; quod si fiat, jura non esse, sed scelera & flagitia. Equidem juri dominationis duo constituit sepimenta, divinum Numen, & Religionem; fidem sive pudorem; quibus salvis liceat nonnunquam à communi jure recedere. Non est

verò

verò huic juri solùm locus in Principatu, sed & aliis Rebuspublicis. Quarum cum tres sint species; totidem jura dominationis sunt constituenda: Nempe dominationis Regiæ, Aristocraticæ, & popularis; attamen in plerisque concurrentia. In quibus explicandis, quem, juxta Authorem, secuti sumus, ordinem servabimus.

Dominationis Regiæ jura sunt, quæ Principi, licent contra jus ordinarium, tum conservandæ, augendæq; Reipublicæ, tum ipsius securitatis caussâ. In eorum ordine veniunt. 1. Asylorum (ad quæ tria hominum genera, servi noxii, obærati, criminosi confugere solebant) apertio; nota à Mose aliisq; Gentibus data immunitate. 2. Edicta, ut idem jus perfugii esset ad Imperatorum statuas fugientibus, imagines Principales gestantibus, & aras occupantibus. Posteà ex nimio abusu abrogata Principali autoritate. 3. Data Gentibus hostilibus jura Civitatis & Ordinis, etiam contradicente Senatu, idque cum augendo populo (quod ex multitudine populi apparet magnitudo Regis) tum verò etiam & quidem imprimis; ne ex solis Romanis constitueretur Senatus, sed interessent natura obsequiosi & devincti Principi. 4. Negatorum matrimoniorum violenta, sed ad Reipublicæ statum necessa-

 ria

ria conjunctio. Sanè ex hoc jure Sabinarum virginum (post moderatam, eamque justam petitionem) raptus defenditur. Necessitatis argumento. Ea hic est, ne Respublica Romana civibus destitueretur. Ius inde est, quòd ipsa leges frangens rei illicitæ æquum suâ vi tribuat. Vnde fit, ut eâ cessante, ex privata libidine commissus raptus extremo vindicetur supplicio. 5. Conjugiorum legibus prohibitorum, ex bono publico, in illustribus personis permissio. Puta non modò, quòd in splendidis adgnatorum nuptiis dignitas consistat Principis; sed & ne splendor Augustæ domûs in aliam, eamq; humiliorem, transferatur familiam. Non fuit tamen eorum Principum minor prudentia, qui ne incestum committere viderentur, studiosè & ipsi non minùs caverunt, quàm ne Imperii heredem, tanquam ex nefariis nuptiis natum, populus sperneret. 6. Matrimoniorum pro arbitrio ineundorum fœminis Augustis adempta libertas. Nempe, ne si vel ipsæ libertatis sint avidæ, vel talibus nubant, matrimonio res novas molientibus vires conferant. Equidem ad majora nitenti ex conciliatis per ea amicis, cognatisque decus addunt & robur. 7. Per speciosas sociorum defensiones sive prolatæ sive hostibus, ne nocere possent, aversis de-

fensa

fensa Imperia. Quâ arte ad proferendum imperium suum Romani usi sunt, quàm felicissimè. 8. Ejusdem commatis est. Providere ne nocere possint potentes & efferati victoriis, & quicquid imperio obstat recidere. 9. Cautio, ut per exsertam nimis virtutem in Republica excelsi spontaneâ secessione, æmulationis evitent suspicionem; Aut honoris, legationis, studiorum, amicitiæ, vel alioqui principalium ministeriorum specie, emittantur, aliisque rationibus frangantur, qui, volentes nolentes, invisam faciunt præsentem dominationem. Ὀστρακισμὸν *dicunt, & medicorum in humano corpore boni sanguinis in purgationibus comparant abrasioni. Equidem ea regni est natura, ut, quod est excelsum, cedat Principi. 9. Turbatâ Republicâ affectati imperii suspectos militari manu potiùs in ipsa herba, quàm juris ordinario processu opprimere. Equidem ubi animis reverentia excessit, & confusa sunt summa juris, adversus seditiosos & perduelles, vi opus est, ut vis repellatur; nec ordinem servare est necesse, ubi velox debet esse supplicium; nec in jus vocandi, sed tanquam hostes puniendi sunt perduelles.*

10 *Atrocia, exempli statuendi caussâ, ob rem leviculam decernere supplicia.*

Nec

Nec belli modò, sed & pacis tempore; ut quo imprimis gliscunt seditiones. 11. *Conjuratorum in Principem socios severè punire. Nempe ut eò citiùs detegantur insidiæ.* 12. *Nonnunquam etiam in maximis conjurationibus, ne nimiis suppliciis exacerbentur subditi, crimina abolere.* 13. *In conjuratorum sobolem, etiam innocentissimam, æquè atque in conjurationis autorem, animadvertere. Prætexto fine, ut vel charitas liberorum parentes Reipublicæ faciat amiciores; vel ne vindictæ cupidine liberi ad parentum exempla succrescant. Sed & futurum putant, ut istoc terrore à regio sanguine magis abstineant Tyrannicidæ. Ista verò severitate meritò major videtur aliorum Imperatorum prudentia, qui conjuratorum liberos multis sibi beneficiis devinxêre.* 14. *Privatas res in usum publicum, sed urgente necessitate, non belli modò, sed & pacis tempore, convertere, jussis civibus jure suo recedere. Nec tamen vix aliter quàm refuso pretio.* 15. *Quibus adde, rationem agendi census. Anima est magnarum Rerumpublicarum. Cujus & hic fructus, quod inde civium in tabulas censuales relatæ innotescunt facultates, & ex earum modo vectigalia penduntur; eo æquiore civibus ferenda animo*

quod iis sibi pacem & otium redimant.

Possunt jura ista accommodari Aristocraticæ dominationi. Quæ tamen non minus habet quædam particularia. Talia sunt 1. *Ne quis ex Optimatibus Principis alicujus, aut Regis filiam in uxorem ducat. Caussam puta; sive quòd talis, nuptiali dignitate fultus, facilè dominandi sumat animum; sive quod res magni sit periculi, in libera Republica nasci Principem.* 2. *Vt ejiciantur è Republica libera dignitatibus nimis crescentes. Exemplo tum Ostracismi Atheniensium & Ephesiorum, tum Scipionis lubenter civitate cedentis. Scilicet ne, Senatu uni civium parente, publicum inde malum fiat.* 3. *Vt commisso à pluribus flagitio, ob unius necem in plures animadvertatur.* 4. *Vt proscriptorum liberi à jure petendorum honorum prohibeantur. Lex à Sylla, proscriptis quamplurimis Senatoribus & Equitibus, lata. Temporis, non hominis à Cicerone, (quod isti Reipublicæ statui cohæreret,) dicta.* 5. *Fortè etiam colorari hoc jure possint in vastis Rebuspublicis lupanaria, ad avertenda ab honestis fœminis stupra apud Romanos tolerata.* 6. *Ejusdem farinæ est ante caussam judicatam permissa, lege Valeria, cædes Tyranni. Vtpote quæ & ipsa ex jam notata*

utilitatis

utilitatis publicæ compensatione defenditur. Et populari Reipubl. pleraq; hæc dominationis jura accommodare, in proclivi est. Istis iterandis cum Clapmario supersedentes, ad hoc attendimus; dominandi hæc jura ne religionem depravent, vel pietati adversentur. Ei potiùs inservire contendit Clapmarius; quod efficiant, ut sarta tecta sit religio, & ritè colatur. Omnino indignũ est juris nomine, quod divinæ legi adversatur. Equidẽ jura omnia cedunt divino. Vnde humana majestas & potentia intra ipsius Religionis, pudoris ac fidei (ut jam meminimus) cõsistunt terminos. Vnde duo hic meritò hominum genera notanda. Vnum eorum, qui specie religionis in ambitionem delapsi, absq; ullâ probabili caussâ in eâ temerè aliquid mutant. Alterum eorum, quib. ipsa religio libidini dominandi est mantelum. Pura sanè ea est & incorrupta; fucis tamen & cerussis infecta, iis quæ iniquè aguntur tegẽdis à seditiosis obtentui sumi solet. Et tamen ipsa populo invito, ita, ut quod non credit, credat tamen, obtrudi nequit. Equidem (ut Tertull. eleganter) ad irreligiositatis concurrit elegium adimere religionis libertatem, & interdicere opinionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim. *Nec animis*

perinde,

perinde, ac linguis, manibusque imperare Princeps potest. Sed & inde non ad Reipublicæ statum Religio,*sed ad religionem ordinari debet status Reipublicæ. Ista tamen non impediunt, quo minus quædam tùm boni publici, tum aliarum circumstantiarum ratione, aliquando contra jus commune liceat committere. Nec in sacris,aut jure civili istius rei desunt exempla.In illis exemplum est Davidis petentis & accipientis à Sacerdotibus panes propositionis. Argumentum ab ipso Servatore nostro contra Pharisæos usurpatum. In jure civili multa sunt. Inter ea* l.Invitum 11. C. de contrad. emptione, *quæ generaliter vetat, ne quis cogatur rem suam vendere ex necessitatis & boni publici ratione.Lata lex ei contraria.* Tit.C. ut nemini liceat in emptione specierum se excusare. *Equidem leges publicæ servire debent utilitati. Item adversus leges, rationemque naturalem receptum, ut filius, tametsi non hæres, pro principali teneatur debito, atque uxor in pignore posteriorem caussam habere censeatur* l. 4. C. de primipil. *Nempe habet Imperator, ut rectè Augustinus, aliàs leges ferendi, & quæ non jure facta sunt (non temere tamen, sed ex justa caussà, & pro Reipubl. salute) confirmandi potestatem.*

Atque

Atque hæc quidem vidimus circa jus dominationis, inter civile imperium & Tyrannidem media; ita ut de utroque aliquid participet; adeò ut si omisso altero, ad Tyrannidem vergat, ampliùs nec jus sit, nec dominatio, sed dominationis flagitium, & juris nomine tecta Tyrannis. Vnde & illa nobis consideranda. Ius cruentum Ammianus vocat, & civili ac justo opponit Imperio. Nec abludit illud Senecæ; ubi honesta tantùm dominanti licent, precariò regitur. *Differt sanè à jure dominationis non uno modo. 1. In flagitiis dominationis privata tantùm; in jure dominationis juxta eam publica spectatur utilitas. 2. Illa fiunt libidinis, & crudelitatis explendæ; hæc publicæ tantùm tranquillitatis conservandæ causâ. 3. In illis habetur ratio divini Numinis, honestatis, fidei, pudoris; in his læduntur omnia. In eo solo conveniunt, quod in utrisque sint firmandi augendique Imperii occultæ rationes. Arcana domûs à Tacito appellantur; vel si mavis, aulæ sunt arcana. Arcana tamen domûs à flagitiis dominationis differunt. Illa sunt propriè domestica & privata consilia, seu occultæ artes atque aulica scelera in domo Augustâ, conservandæ dominationis, per quæ quovis modo opprimantur, qui præsenti domina-*

dominationi obſtare atque inhiare videntur. In neceſſitudine conjunctos ferè committuntur. Hæ ſunt generaliora, & totam ferè reſpiciunt imperandi rationem. Eorum exemplum illuſtre in Tiberio poſt occupatum, defuncto Auguſto, magnâ & ſimulata quidem tergiverſatione imperium, primum dum æmulum & ſocium dominationis ac veluti imperii conſortem P. Agrippam, immiſſo Centurione, interfici jubente, & factum eſſe quod imperâſſet eidem nuncianti, non ſe imperâſſe, facti rationem apud Senatum reddendam reſpondente. Primum facinus novi Principatûs appellat Tacitus. Equidem leniore potuiſſet uti remedio. Sed nec vulganda eſſe arcana domus, ex Tacito monet Clapmarius; ne nimium ab aulâ videatur diſcreta reſpublica. Quod domeſticis conſiliis adminiſtrare per ſe Rempubl. alienum ſit à bono Principe.

Sunt verò flagitia dominationis pro triplici Reipublicæ formâ diſtinguenda. Regia ſunt 1. Inceſtas nuptias cùm exercendæ libidini, tum augendæ dominationi contrahere; contractas pro libitu divortiis diſſolvere; Item adulteria; ad exquirenda per cujuſque uxores adverſariorum conſilia; committere, Facta non unius Imperatoris Romani exemplo ex

hiſtoriis

historiis nota, & tanquam divinis legibus adversa, minimè nixa jure dominationis. Pontificum (quæ fortè occurrunt) juri divino repugnantes dispensationes. dictum puta ejusdem esse commatis. 2. Religionem (post quam, si ulla gens alia, Romani imprimis omnia posuere) libidine in hanc vel illam sententiam torquere; adeóque regni caussâ susque déque habere. 3. Promiscuè vel regni, vel belli prætexto jure sacra hostium diripere & depopulari. Factum à Romanorum summa, quâ non minùs hostibus, quàm suis ut se venerabiles redderent, semper studuere, alienum humanitate. 4. Adversus viros egregios speciosæ Principum conjurationes & criminationes. Tarquinianorum tyrannicâ dominatione non immeritò notatæ. 5. Privatarum inimicitiarum ex vi Magistratûs ultio. Nempe ut alia est publica; alia privata persona: ita injuria privata, etsi justa, minimè in Magistratu exercenda. 6. Eos, quibuscum de virtute certare nequis, per insidias & subornatos sicarios interficere. Vpote quod non minus belli & armorum, quàm gentium juri adversatur. Equidem belli & armorum jura non minus justè, quàm fortiter geri debent: Atque is demum certam consequitur victoriam, qui palàm & ex condicto

dicto depugnat. 7. Accense his hostem extra castra, ut in domo & lecto dormientem interficere. Nemo enim generosæ mentis hostem clanculum occidit. Sed fortè ad belli hoc potiùs pertinet immanitatem. 8. Item flumina corrumpere & arma veneno inficere. 9. In fœminas & pueros sævire. Immania propriè belli flagitia, belluarum similia, indecora Principi; ut cujus est, neminem nisi armatum odisse. 10. Fidem, cujus integritate nihil antiquius, nullum Romani Imperii firmius fulcrum, frangere. Nempe id abjectissimo cuicunque, ne dicam Principi, indecorum. Non danda est, aut data servanda fides. 11. Spe colloquii & amicitiæ hostes circumvenire. Flagitium ex perpetrata ab Antonio in regem Armeniorum, à Tiberio in regem Cappadocum, & similibus, quibus historiæ abundant, cædibus non incognitum. Sanè & jura hospitii & colloquiorum sanctissimè observârunt Romani; & ex læsa fide suspecta est Respublica, eiq; quàm maximè noxia inde nata dubitatio. 12. Rapere ad supplicia ex accusatorum perfidia, tanquam indulta crudelitati licentiâ, suspectos modò ex rumore, eosdemque tanquam Reipublicæ hostes citra causæ cognitionem interimere. Hostes Reipublicæ ut in herbâ, & sine figura judicii oppriman-

opprimantur, aliquando quidem postulat salus Reipublicæ; at in manifesto crimine. Per suspicionum modò nebulas crimina æstimare, eosdem concipere, ex conceptis reos agere innoxios, inauditos, nec ad defensionem admissos damnare, est crudelitatis indulgentia. Obtendatur quantumlibet dominatio; verùm, hoc est adversus innoxios commissum scelus. 13. *Talia etiam sunt sine caussa indicti belli ementita* προφάσεις. *Nec enim jus appelles id in quo ne umbrâ quidem est justitia. Vbi in armis jus fertur, ibi opprimit leges timor.* 14. *Talia etiam sunt invicti belli, & quidem speciosè ementita* προφάσεις, *vera caussa ut inter se committas quos mutuis bellis attritos velis devorare.* 15. *Vectigalia, Rerumpublicarum nervos, tollere, minuere, vel res ipsas Imperii alienare. Non enim juris dignum est nomine quod Rempublicam evertit; nec Princeps, cum omnia possit, alienare potest res Imperii.* 16. *Ærarii ambitione & principalibus profusionibus exhausti per scelera quærere supplementum. Dictum putà, largitio non extorta Reges decet, & nimis extortis corpus redimere, est captivorum.* 17. *Vectigalia nimia cum turpitudine juncta (qualia sunt, quæ penduntur pro aëre spiritu captando, urinarium Vespasiani)*

stiani.) Item subditis, ne supersit quem hauriât, succum exprimere. Equidem boni Principis est ita tueri principalem dignitatem, ne privatis damnis ejus crescant ærariạ. 18. *Subornare auricularios; ὠτακουστὰς dicunt & delatores; qui apud alios privatim sermones occeptantes, de Principe inclementer loquantur, ut similes ex aliis animi sententiam proferentibus venentur; eo fine, ut affectati regni, vel aliarum nefandarum artium calumnias insontibus adfigant. Ammiani verbo utor. Non improbandum tamen, si in Republicâ seditiosorum hominum plenâ Princeps, per speculatores suos, eorum, qui præsentem Reipublicæ statum oderunt, sermones & conjurationes scrutetur; hoc consilio ut eos notet, ab iisque se caveat. Iusta sanè ad salutem Principis hæc tendit prudentia.* 19. *Legem majestatis, quæ aliàs propugnaculum fuit Romani Principatus ad minima, etiam ridicula quæque, ita porrigere, ut inde crimen majestatis sit omnium accusationum fundamentum. Nec enim ad jus dominationis pertinere potest, quod omni juri adversatur. His accedit inquisitionis fulmen Pontificium; & tollendi affectûs humani immanissima ratio. Crudelitas in Domitiano notata, cujus temporibus*

non licuit ad supplicia raptos propinquos lugere. 20. Omnino etiam huc pertinet mos Principum cives digniores ad turpissima quæque cogendi, ut & alios eodem crimine pollutos eximere.

Aristocratica flagitia cum Regiis ferè sunt eadem, ac propemodùm conveniunt Oligarchiæ. Nec id mirandum. Cum in Republicâ Romana Consules, Dictatores, Decemviri, Triumviri regio fuerint Imperio. Exempla Aristocraticorum flagitiorum sunt. 1. Quando Patricii plebem exsugunt oneribus, sine probabili caussâ bella gerunt, vicinis populis bona & possessiones eripiunt, eos quorum ipsis formidulosa est virtus, fraude circumveniunt; fidem datam frangunt; percussores insidiosè subornatos emittunt; morem Senatum consulendi intermittunt. Nec enim in unâ, sed & omni Republicâ à jure talia sunt aliena, & excessus dominationis. Omnium tamen talium flagitiorum usus in nullo statu major est, quàm in populari. Est nempe plebs bellua similis, nec ratione ullâ, sed effreni impetu regitur; in misericordiam quidem prona, sed in sævitiam immodica. Iura omnia parum pensi habet. Vnum modo spectat; ut quam semper inclamat libertatem, id est pro libitu omnia agendi tueatur licentiam.

Non

Non est quidem facilè prima vox plebis; sed praeuntem Autorem è vestigio sequitur, & velut insanit contagione.

Sunt sanè & populo sua dominationis jura, quoties aliquis dominandi cupiditate Rempublicam invadens evertere conatur libertatem. Equidem eo tempore extraordinario nonnunquam & repentino opus est judicio. Attamen ne tyrannis hîc sit, fidei & honestatis semper habenda ratio.

Atque hæc quidem sunt dominationis flagitia, quibus in omni Republica ii utuntur, qui Principatum obtinent; sive is unus sit, sive pauci, sive multi. Secundùm quam, licèt accidentalem differentiàm, nobis ipsarum Rerumpublicarum notata distinctio. Nempe quod inde totidem existant rationes administrandi, & tales quidem, ut una circa Regum & Principum, altera circa Optimatum, tertia circa vulgi naturam occupetur. Nec tamẽ facilè puram invenies Rempublicam, ac in propriis istarum specierum formis consistentem; sed sæpe partem aliquam imperii unus, partem Senatus, partem populus habet. Item vel partem Princeps & Senatus, vel Senatus & Populus, mixto, sive diviso jure imperii & libertatis. Vnde & mixta existunt Respublicæ; ita & unaquæ

quæque pars sua habet vel arcana, quæ religiosè servat; vel simulacra, quæ alia pars alteri indulget, ut imperii libertatisque inveniat temperamentum.

Et hæc quidem de arcanis Imperii, & flagitiis dominationis. Ad conservandam Reipublicæ salutem, & avertendas damnosas mutationes, spectat ista consideratio. Rem sanè arduam! Nec enim obtinetur salus Reipublicæ, nisi eam perdurare omnes partes velint. Quam ob rem hominibus seditiosis & à Reipublicæ administratione remotis, imperandi tamen cupidis, ad eam aditus præcludendus. Quam ad rem validæ sunt occultæ illæ artes, quæ arcana imperii appellantur. Sed non minus prosunt aliæ; cassæ & inanes, quibus aliud agitur, aliud simulatur, ac imperii avidis indulgentur; sc. inania jubendi jura, quorum specie sibi persuadeant se habere id quod non habent. *Simulacra imperii inde vocantur. Meritò ab arcanis, multò magis jure imperii distinguenda. Cum arcanis tamen conveniunt, quòd utraque sint occultæ artes conservandi imperii. Differunt quòd illæ sint validæ; hæ cassæ & inanes. nec ad eundem finem directæ. Illæ seditiosis à Republ. removendis inserviunt; hæ ab eâ remotis indulgentur, ut isto Glaucomate pascantur,*

quasi

quasi ejus partem haberent, atque ita ab imperii ambitiosâ abducantur cupidine.

A jure imperii distinguuntur, quòd simulacra hæc imperii in Republica expertes modò usurpent, jura imperii Principum sint, nec civibus conceduntur. Nempe simulacris istis & jus imperii, tanquam nomini res, hoc est, vera imperii, Principisque vis ac potestas, speciosæ tantùm & umbraticæ opponitur. Ea verò ipsa per ista simulacra adeò non minuitur, ut magis augescat. Etenim dum ii, qui vero carent imperio, specioso tantùm & umbratili ejus titulo contenti sunt, magis eminent qui illud obtinent.

Reperiri in omni vita genere talia simulacra, suprà etiam notatum. Exempla sunt in communi omnium civium conversatione, doctrinâ, re literariâ, poësi; tumidæ & ventosæ ostentationes; item per magnificam ac inanem superbiam ex ipsa re neglectâ captata fama. In bello sunt τὰ κενὰ πολέμȣ, καὶ τὰ πανικά, *hoc est, ad incutiendam militibus formidinem per fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgorem, belli inanis ostentatæ imagines. Nempe istis sæpe milites magis, quàm justis caussis formidinis moventur.*

Variant & hæc imperii simulacra pro

ipsius Imperii varietate, ut quot sunt imperii formæ, totidem, ut arcana, ita etiam imperii sint simulacra. Regia sunt, occulta veluti, sed vana ac hordeacea privilegia, quæ ab iis usurpantur qui imperio carent, ut quod non habent, habere tamen videantur. Qualia in Republica Veneta, ac hodierno maximè imperio notanda. Equidem nusquam plura ejus reperiuntur exempla. In veteri sanè Romano imperio pauca se observare profitetur Clapmarius. In eodem tamen imperii esse simulacrum, 1. Regis sacrificuli creationem. Inde regium arcanũ, quod cum quadam publica sacra per ipsos Reges essent factitata, per eam sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid officeret libertati. 2. Item duorum Consulum & annua quidem creatio. Vtpote per quam, ex ista repetita creatione, libertas magis introducta videretur, quàm quod quicquam fuerit diminutum è regia potestate. Talia videri possint & alia. 1. Nempe sinere, ut non reges regio more sepeliantur. Equidem quem sors viventi negavit morienti collatus honos, ex stulta superstitione tollit, saltem lenit offensas. 2. Regi victo post subjectum diadema, ex abjectâ ambitione petenti inanes, & sine re quasi regias dignitates, gratiam facere.

facere. 3. Victis pristinum nomen relinquere, & ne victorum nomen, linguam, habitum sumere cogantur, quasi victi non essent, indulgere. In Iunonis contra Troades petitione, & Iovis eidem annuentis remissione, illustre exemplum. Nempe superba nomina, magni tituli sine re, sunt inania.

Prout regno in Aristocratiam mutato, iis qui imperii nomine delectantur, obtrudi hujusmodi simulacra fas est; ita Republica Aristocratica in regnum mutata alia puta relicta quædam libertatis imagines. Nec enim uno momento omnia mutari oportet, ne, funesto Iulii Cæsaris exemplo, interitum Princeps sibi ipsi acceleret. Talia sunt 1. *Eadem Magistratûs vocabula relinquere, & per eum, tanquam veteri Reipublicæ more, cuncta incipiendo, Principem paulatim exercere. Equidem ex ista umbrâ, Aristocratiæ inductâ persuasione, mirè capitur vulgus.* 2. *Non alios, quàm in vetere Republicâ usitatos titulos usurpare. Fecere id primi Imperatores, qui Romano prisco ritu Principes à Senatu dicti, domini & Regis prohibuere appellationem.* 3. *Externam Reipublicæ formam tegendæ mutationi aliquandiu observare.* 4. *Comitiorum, aliorumque quæ summi sunt im-*

perii sub imagine, puta sub arbitrio & administratione Principis, Senatui relinquere.. Sanè in novo imperio necesse est quadam concedere, quæ eo roborato facilè abolentur. 5. *Consulum renuntiatione in se translatâ, minorum Magistratuum creationem (commendatione tamen suâ interposita) ad Senatum referre.* 6. *Dissensiones & altercationes Senatûs super concesso sibi jure, liberas relinquere, & ad eas silere.* 7. *Patres cuncta ad Principem referentes castigare.* 8. *Res novas molientes Senatui damnandos dare.* 9. *Retentâ Imperii vi, Senatui leviora concedere..* 10. *Corripere exercitibus Præfectos, si de donis militibus tribuendis ad se, non ad Senatum referant, quasi illorum id jus esset, non solius Principis.* 11. *In majoribus negotiis Senatui adversari.*

Ejusdem notæ apud Romanos & alia fuere. Puta 12. *Decennalia illa imperii, eorumque prorogatio, quibus ne videretur imperium invasisse, restitutionis datâ spe, Senatum Romanum lactavit & produxit Augustus.* 13. *Provinciis imbellibus & minùs ferocibus Senatûs administrationi relictis, potentiores adimere & in se transferre. Equidem eâ ratione, quasi susceptâ belli molestia, speciosè sibi arma & militem servat Princeps, Senatum*

tum inermem facit. Sed nihilominus non Principis, verùm Senatûs exercitus appellandus. 14. *Sedenti Senatui assurgere, valedicere, & viâ decedere.* 15. *Vectigalium constitutionem (quæ summi est Principis) in speciem & ad tempus Consulibus indulgere. Equidem talia civilitatis indicia illecebris plena, initio usurpati regni omnino sunt necessaria. Alia quidem his similia notantur à Clapmario ex Romana historia, quibus imprimis usus est Tiberius simulandi peritissimus; sed istis prateritis, alterius generis simulacra, itidem à Clapmario enarrata notabimus, quæ cum in Regno, tum Aristocratia plebi obtruduntur, ut infatuata iis veluti lacte se pascat. Talia sanè permulta, occupato recens Imperio, excogitavit Augustus, ut pristinæ libertatis adhuc memorem populum occuparet, sibique devinciret. Inter quæ dona, annona, dulcedo otii, imprimis indultæ voluptates, ludi atque spectacula exhibita. Equidem otii amans vulgus, facilè voluptatibus frangitur, earundemque immunitate, quasi libertatis imagine conservatur. Tale etiam est pro dominatione vulgus adorare. Item apud seditiosos milites, in officio ut contineas eos, vel eò reducas, simulatis appellationibus, laudibus, monitio-*

 nibus

nibus, gratiisque, quasi ob impigram militiam, actis, popularitatem histrionicam exercere. 3. *Majus simulacrum est lubricum linguæ plebi ita indulgere, ut in Principem dicta, vel ad cognitionem non vocentur, vel saltem (maledicis tamen, ut ab iis Princeps se caveat, notatis) ad pœnam non trahantur. Nempe in Principe ars prima regni est, pati posse invidiam; & plebs natura loquax, præclarè secum agi autumat, si amissam, quam rebus ulcisci nequit, verbis usurpare possit libertatem.*

3. *Accedit his simulacris tertium; Conniventibus oculis, non inspecta juris strictâ ratione agere, hoc est, ad leviora delicta, (ne nimiis remediis irritentur seditiones) non animadvertere, atrociora paucorum supplicio punire, supplicii verò invidiam in ipsos reos transferre.* 4. *Annonæ, in asperis præsertim rebus, cura, omnibus oneribus liberatâ plebe; utpote cui ista cura est unica ex Republica.* 5. *Retinendæ concordiæ caussâ plebi postulanti, in novo præsertim, & quasi precario imperio, ultro potiùs, quàm necessitate iniqua concedere. Nempe mutari semper possunt per seditionem expressa, & præstat particulam Reipublicæ plebi tradere ad tempus, quàm totam conjicere in periculum, & gan-*

& gangrænam quasi membro præciso sistere. Omnino verò etiam in novo imperio plebs molliter permulcenda. 7. Consuetudinem & inanes prærogativas Provincialibus servare, commendationes, & laudes earum non gravatè audire, ferias secundùm morem & consuetudinem, quæ obtinuit, dare. 8. Fasces & imperii insignia, ad evitandam affectati imperii suspicionem, submittere. 9. Vt majora captes, minora indulgere. 10. Benignis salutationibus, alloquiis, invitationibus, sine interpellatione habitis conciliis, aliisque blanditiis, plebis animum induere. Istius generis plura sunt, quæ, ut rectè Clapmarius, omnia referre otiosa esset παρεργεία.

Et est quidem istorum simulacrorum magna species; at non is effectus, ut vel constituant, vel immutent Reipublicæ statum. Variant modò gubernandi rationem. Alia, & majoris quidem effectûs, subnotat Clapmarius. Talia sunt in populari statu, Consultores ex divitibus constituere, iisdem, quantum pote, parcere; communicare tamen etiam cum divitibus & Patriciis ex omnibus rebus; sed ita, ut summum penes populum, vel pauperes maneat imperium.

In Aristocratico hæc; Plebejis & pauperib. ejuscemodi Magistratûs talia ex qui-

bus rem faciant, commendare. Ex iis quosdam ad deliberationes vocare. Creare ex plebejis juxta ac Patriciis, qui de iis rebus disceptent, de quibus postea pauci Patricii pro suo statuant arbitrio. Antè ab Optimatibus decreta sciscendi potestatem populo committere. Insuper plebi potestatem leges de non magnis rebus ferendi relinquere. Qui cives non sunt tales nominare. In tali imprimis Republicâ, in qua omnes sunt capaces suffragiorum; eo fine, ut istâ contenti appellatione, quiescant, & res suas agant. Sed nec ista mutando Reipublicæ statui, nec constituendo serviunt. Omnino verò, cum pro Rerumpublicarum varietate, non nihil varient, efficit ista varietas, ut propter eam una Respublica, magis vel minùs sive popularis, sive Aristocratica videatur. Equidem in istis simulacris gubernandi ratio, Reipublicæ forma in vi imperii consistit. Proinde simulacra à vi imperii diligenter distinguenda. Cujus distinctionis is effectus, ne ea ad crimen læsæ Majestatis trahantur, in quibus vix imperii arcana tentantur. Omnino verò meditatione dignissimum, non in pacis tantùm, sed & bellicis negotiis hujus doctrinæ usum esse maximum. Vt jura; sic arcana & simulacra, itidem flagitia enarrandi, atque

exemplis

exemplis illustrandi labore supersedet Clapmarius, eo obtentu, quod obvia sint. Recenset verò obiter, tanquam jura belli; spoliorum jura. Item prædas agere, agros populari, oppugnare, expugnare, atque solo æquare magnas & vastas civitates. Pro flagitiis militaribus; Victorem promiscuè in muros & mœnia sævire, fugientem urbes incendere & diripere; vincentium præmia victum corrumpere. Pro arcanis; Exercitui signum dare, cespititium tribunal erigere, milites è tribunali alloqui, aquilas corripere & aliò transferre, consilia bellica inire. Vtpote quæ solius erant Ducis. Pro simulacris, quibus in officio miles contineatur; Militibus adscribere victoriam, gloriarum, eos sibi pares facere, singulos suppliciter alloqui, nunc commilitones suos, nunc patronos appellando; nunc ut se non tam Ducem, quàm commilitonem recipiant, unumque de corpore suo esse velint, rogando; se coram ipsis, excitandæ miserationi, prosternere; fugientes, quasi ad pugnam properantes, ad fortitudinem hortari; similibusque blanditiis potiùs, quàm severâ increpatione, militum animos capere, ut incussus pudor pœnitentiam adferat, & extinctam denuò incendat virtutem.

Ab istis tamen artibus discernere oportet ipsas artes militares. Nempe pugnam in tempore inire, aciem subsidiis firmare; ubi res fert, equitem ad pedites redire; restituere pugnam; ab acie exclusis subvenire & id genus alia.

Istis quasi per transennam notatis, id quod de communis vitæ arcanis strictim monuit, Clapmarius repetens, talia docet esse arcana consilia, quibus multi se, vel contra inimicorum injurias muniunt modò, vel iis suppressis emergunt. Pro flagitiis, quæ & vita communis habet, notat; cum alter alterum supplantat, vel per invidiam, vel subsidium sui, vel per excusationes aliis sua vitia exprobrando, similique ratione, ex alieni nominis jacturâ sibi laudem quærit. Est verò etiam arcanum civilis vitæ non è minimis, oblatum casum in omni eventu, ilico, & quidem aliud agendo, ad consilium flectere, καὶ οὐδὲν εἰς ἀναβολὴν πράττειν. Dare operam, ut ne videaris intelligere, quod intelligis: Minùs dicere quam sentire, similiaque. Nempe cum naturam simulationum involucris tegere multi studeant, ii maximè qui ex virtutibus nullam magis amant, quàm simulationem; optima contra tales ars, cum vulpibus vulpinari, & fraudem fraude illudere.

dere. Huc etiam pertinet, presso dolore in adversis ἀπιστεῖν. Non leviter aliquem amicum æstimare, secundùm illud, εἷς φίλος, οὐδεὶς φίλος. Nec enim hæc vita hominum aliud est quàm deceptio & simulatio, & speciosæ modò amicitiæ, adulatorii sermones, odia clandestina, & fucata omnis conversatio. Sunt verò etiam simulacra quædam in magnarum rerum appetitu & desiderio necessaria. Blanditias intellige & assentationes, regiæ virtuti imprimis contrarias, & in cæterâ vitâ minùs honestas; in petitione tamen necessarias. Quorum ea est cautio, ne deteriorem aliquem assentando facias, sed amiciorem. Quâ adhibita, in desiderio rerum, maximè magnarum, nonnihil deflectere, prudentiæ est.

Post explicata pleraque, quæ à Scriptoribus arcanorum nomine sunt comprehensa, observandum, ut pleræque Respublicæ sunt mixtæ; ita etiam istis arcana enarrata posse accommodari. Sanè fieri etiam potest, ut in unâ eâdemque Republicâ reperiantur arcana Regia, Aristocratica, Democratica. Omnino ad hanc rem probè conficiendam opus est prudentiâ, ne detegantur. Id enim si fiat, sunt periculosissima, & detecta fallunt autorem. Scilicet coloribus sunt imbuenda, ac

variis

variis formis adumbranda, ac vera falsis sic miscenda.

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Cautione etiam opus, ne nimia plebi concedantur. Ob periculum ne istâ indulgentiâ ad majora, imò iniquissima petenda eam facias audentiorem. Et invenient quidem prudentes Rerumpublicarum Rectores, præter ea, etiam alia, quibus præcaveant, ne ex falsis bonis, procedente tempore, malum eveniat. Sanè ista est ars suprema. Nec enim prudentia modò est, ex præcedentium notione curare præsentia; sed & futuris providere.

Arcana diversi sunt generis: alia simulatoria & εἰρωνικά; alia minimè. Attamen quia omnia ad eundem scopum, hoc est, cùm ad eorum qui Principatum obtinent, tùm ad præsentis Reipublicæ naturam, statum, ac formam conservandam pertinent; alia ex aliis possunt illustrari. Fecit id Clapmarius, *& censuram timet; sed ut omnino factum ejus probat arcanorum affinitas; ita calculum ei adjicimus.*

Libuit viro clarissimo ἐπιμετρεῖν, & imperii Germano-Romani, Turcici, & Reipubl. Venetæ arcana attingere. Imperialibus quæ in vulgus dare nefas, omissis, recitat

citat Principum metum mutuum; Imperatoris in reliquos Ordines respectum; speciosam vim ac majestatem; Religionis libertatem, de pace publicâ constitutionem; deque eâ violatâ pœnalem sanctionem. Quatuor, post Imperatorẽ, Imperii culmina. In eligendo Imperatore Regis Bohemiæ prærogativam; Caput Imperii unum; inter membra omnia, Ordinesque Imperii συμφωνίαν, Iudicium Imperii supremum; unicum Imperii, membra ita ut laxari nequeant, continens, coagulum.

Turcico Imperio stabiliendo arcana recenset Clapmarius, violentam gubernationem, plebi per maximas superstitiones incussi metus indumentum, bellicorum modò consiliorum agitationem, & inde bella continua, filios & heredes imperii in custodiâ detentos, magnâ Bassis & Visieris indulta simulacra, plebem affinitatibus ornatam, & mercatura, aliisque rebus bellicis occupatam. Denique preces devictis gentibus pro salute Principis in templis prohibitas; Constantinopolis tanquam sedis imperii inhabitationem. Sed & singulas Alcorani leges nihil aliud quam arcana dominationis continere consilia, rectè monet.

In Republicâ Venetâ notat, speciem & simulacra Imperii penes Ducem, vim

ipsam

ipsam penes Senatum esse. Pro arcanis addens lenta bella, neutralitatis studium, missa sociis auxilia, humiliora munera plebi permissa, &c. Recenset & pro arcanis alterius Reipublicæ, (quam ocellum Germaniæ vocat,) curam census, dignitatem præcipuarum familiarum, ejusdem gradus & distinctionem; frequentiam Senatorum in Curiâ, Senatorum erga plebem humanitatem, erga improbos severitatem; plebis ad minores magistratus admissionem, aliaque. Pro insigni imperii simulacro subjungit, post res decretas ad populum, de iis relationem. Omnia concisè. Nempe ἀκριβολογεῖν, & singularum Rerumpublicarum arcana prodere, Clapmario minimè fuit propositum. De arcanis Imperii γενικῶς agens, ut eorum exempla doceret, ad veteris Romanæ Reipublicæ variatas formas εἰδικῶς attendit.

Pro coronide operis, usum, dignitatemque hujus doctrinæ commendat. Sanè eum in conservandis in statu suo Rebuspublicis, avertendisque earum mutationibus esse maximum, nemo ibit inficias. Omnino id facilè percipiet is, qui mutationum istarum caussas, juxta genera considerat. Sunt ea plura. Primum si ipse civitatis status & Reipublicæ genus mutetur; puta ex Democratia in Monarchiam. Alte-

rum,

rum, si manente eodem civitatis statu & Reipublicæ genere, Rectores mutentur, & summorum Magistratuum fiat translatio. Tertium, si neque statu, neque Principe mutato, ipsius status in eodem Reipublicæ genere regimen fiat vel intensius, vel remissius; puta ex severo fiat moderatius. Quartum non universam Rempublicam, ut priora, sed ejus partem modò tangit. Scilicet quando Magistratu vetere, uno aut altero sublato, novus instituitur. Sic Sylla Tribunos, Consulum adversarios, non quidem sustulit, sed tamen iis ademit potestatem. Planè ut Lacedæmone Rex Pausanias Ephoros, regni adversarios, abrogare voluit. Caussæ & principia mutationum in Republicâ duorum sunt generum, vel externæ, vel internæ. Internæ (imprimis, per se, & hîc quidem, quod eas spectavit Clapmarius, & nobis modò considerandæ) sunt seditiones. Circa eas notandus, secundùm Aristotelem, quem sequimur, 1. Affectus seditiones moventium. 3. Res, quarum sive consequendarum, sive vitandarum caussâ motus excitant. 3. Ipsæ seditionum caussæ & principia. Affectus seditiosorum non pertinet quidem propriè ad hanc mutationem, considerandus tamen. Quod cognoscendæ arcanorum, quæ spectamus utilitati

litati inserviat ista consideratio. Moveri eos qui ad seditiones sunt proclives, ait Aristoteles, vel quia, si pares sunt, cum aliis in Republica, paria; si praestantiores, majora in eâdem sibi deberi arbitrantur. Cum verò duo potissimùm sint, quae seditiosi cives spectare solent, quaestus, & honos ac dignitas; damnum & ignominia: ita & istorum intuitu ex ista persuasione ad seditiones & motus excitandos potissimum animantur. Vnde fit, ut duae sint Rerumpublicarum pestes & seditionum caussae primariae; ambitio, & avaritia. Ambitione summi maximè ducuntur. Minùs enim de honoribus certare solent inferiores. Avaritiâ magis moventur. Sed verò etiam inductâ cum ambitione avaritiâ, à summis aere alieno oppressis periculum est maximum. Scilicet ne perturbatâ Republicâ dominatum fortè assecuti, non modò privatos creditores suos eludant, sed & permissa reliquis sui similibus immunitate, pessumdent omnia. 2. Caussis istis proxima est illata ab iis qui Magistratum gerunt privatis contumelia. Ipsorum Magistratuum (si vectigalia & bona publica non ad communes, sed privatos usus conversa depeculentur) avaritia. Vel si privatorum fortunas ipsi invadant, aut nimiis vectigalibus ci-

ves

ves gravent. 3. Accedit honorum & imperiorum inaequalis, hoc est, praeteritis idoneis & bene meritis, in stultos, ignavos, aut aliter indignos collatio. 4. Vnius aut plurium civium prae caeteris excellentia. Caussa Iulii Caesaris & Lysandri ad Reipublicae eversionem machinationum. 5. Metus, vel oppressionis, isque vel tenuiorum ab injuriis potentiorum, vel ipsorum nobilium à plebe, penes quam est summum imperium. Vel poena propter perpetrata maleficia & scelera, & quidem eorum maximè, qui non infimo loco sunt in Republ. Caussa ex Catilinae, Lentuli, & aliorum ad evertendam Rempubl. Romanam conjuratione apud Ciceronem, & Salustium notissima. 6. Contemtus; Et quidem maximè in Democratiâ. Nempe si per natam ex ordinum confusione in eâ ἀναρχίαν, puta collapsam judiciorum vim, neglectã, vel per largitiones injustam, magistratuum descriptionem, plebs contemnatur. Equidem contempta, & ipsa & ipsius dominatus à Nobilibus facilè opprimitur. Planè ut in domestico imperio eundem effectum parit γυναικοκρατία. In Ecclesiastico regimine contemptus ministeriorum & disciplinae Ecclesiasticae. 7. Ordinum perturbatio. Sanè, si unius hominis excellens prae caeteris magnitudo

perii sub imagine, puta sub arbitrio & administratione Principis, Senatui relinquere. Sanè in novo imperio necesse est quædam concedere, quæ eo roborato facilè abolentur. 5. *Consulum renuntiatione in se translatâ, minorum Magistratuum creationem (commendatione tamen suâ interposita) ad Senatum referre.* 6. *Dissensiones & altercationes Senatûs super concesso sibi jure, liberas relinquere, & ad eas silere.* 7. *Patres cuncta ad Principem referentes castigare.* 8. *Res novas molientes Senatui damnandos dare.* 9. *Retentâ Imperii vi, Senatui leviora concedere.* 10. *Corripere exercitibus Præfectos, si de donis militibus tribuendis ad se, non ad Senatum referant, quasi illorum id jus esset, non solius Principis.* 11 *In majoribus negotiis Senatui adversari.*

Ejusdem notæ apud Romanos & alia fuere. Puta 12. *Decennalia illa imperii, eorumque prorogatio, quibus ne videretur imperium invasisse, restitutionis datâ spe, Senatum Romanum lactavit & produxit Augustus.* 13. *Provinciis imbellibus & minùs ferocibus Senatûs administrationi relictis, potentiores adimere & in se transferre. Equidem eâ ratione, quasi susceptâ belli molestia, speciosè sibi arma & militem servat Princeps, Senatum*

tum inermem facit. Sed nihilominus non Principis, verùm Senatûs exercitus appellandus. 14. *Sedenti Senatui assurgere, valedicere, & viâ decedere.* 15. *Vectigalium constitutionem (quæ summi est Principis) in speciem & ad tempus Consulibus indulgere. Equidem talia civilitatis indicia illecebris plena, initio usurpati regni omnino sunt necessaria. Alia quidem his similia notantur à Clapmario ex Romana historia, quibus imprimis usus est Tiberius simulandi peritissimus; sed istis præteritis, alterius generis simulacra, itidem à Clapmario enarrata notabimus, quæ cum in Regno, tum Aristocratia plebi obtruduntur, ut infatuata iis veluti lacte se pascat. Talia sanè permulta, occupato recens Imperio, excogitavit Augustus, ut pristinæ libertatis adhuc memorem populum occuparet, sibique devinciret. Inter quæ dona, annona, dulcedo otii, imprimis indultæ voluptates, ludi atque spectacula exhibita. Equidem otii amans vulgus, facilè voluptatibus frangitur, earundemque immunitate, quasi libertatis imagine conservatur. Tale etiam est pro dominatione vulgus adorare. Item apud seditiosos milites, in officio ut contineas eos, vel eò reducas, simulatis appellationibus, laudibus, monitionibus*

 nibus

nibus, gratiisque, quasi ob impigram militiam, actis, popularitatem histrionicam exercere. 3. *Majus simulacrum est lubricum linguæ plebi ita indulgere, ut in Principem dicta, vel ad cognitionem non vocentur, vel saltem (maledicis tamen, ut ab iis Princeps se caveat, notatis) ad pœnam non trahantur. Nempe in Principe ars prima regni est, pati posse invidiam; & plebs natura loquax, præclarè secum agi autumat, si amissam, quam rebus ulcisci nequit, verbis usurpare possit libertatem.*

3. *Accedit his simulacris tertium; Conniventibus oculis, non inspectâ juris strictâ ratione agere, hoc est, ad leviora delicta, (ne nimiis remediis irritentur seditiones) non animadvertere, atrociora paucorum supplicio punire, supplicii verò invidiam in ipsos reos transferre.* 4. *Annonæ, in asperis præsertim rebus, cura, omnibus oneribus liberatâ plebe; utpote cui ista cura est unica ex Republica.* 5. *Retinendæ concordiæ caussâ plebi postulanti, in novo præsertim, & quasi precario imperio, ultro potiùs, quàm necessitate iniqua concedere. Nempe mutari semper possunt per seditionem expressa, & præstat particulam Reipublicæ plebi tradere ad tempus, quàm totam conjicere in periculum,*

& gan-

& gangrænam quasi membro præciso sistere. Omnino verò etiam in novo imperio plebs molliter permulcenda. 7. Consuetudinem & inanes prærogativas Provincialibus servare, commendationes, & laudes earum non gravatè audire, ferias secundùm morem & consuetudinem, quæ obtinuit, dare. 8. Fasces & imperii insignia, ad evitandam affectati imperii suspicionem, submittere. 9. Vt majora captes, minora indulgere. 10. Benignis salutationibus, alloquiis, invitationibus, sine interpellatione habitis conciliis, aliisque blanditiis, plebis animum induere. Istius generis plura sunt, quæ, ut rectè Clapmarius, omnia referre otiosa esset παρεργεία.

Et est quidem istorum simulacrorum magna species; at non is effectus, ut vel constituant, vel immutent Reipublicæ statum. Variant modò gubernandi rationem. Alia, & majoris quidem effectûs, subnotat Clapmarius. Talia sunt in populari statu, Consultores ex divitibus constituere, iisdem, quantum pote, parcere; communicare tamen etiam cum divitibus & Patriciis ex omnibus rebus; sed ita, ut summum penes populum, vel pauperes maneat imperium.

In Aristocratico hæc; Plebejis & pauperib. ejuscemodi Magistratûs talia ex qui-

bus rem faciant, commendare. Ex iis quosdam ad deliberationes vocare. Creare ex plebejis juxta ac Patriciis, qui de iis rebus disceptent, de quibus postea pauci Patricii pro suo statuant arbitrio. Antè ab Optimatibus decreta sciscendi potestatem populo committere. Insuper plebi potestatem leges de non magnis rebus ferendi relinquere. Qui cives non sunt tales nominare. In tali imprimis Republicâ, in qua omnes sunt capaces suffragiorum; eo fine, ut istâ contenti appellatione, quiescant, & res suas agant. Sed nec ista mutando Reipublica statui, nec constituendo serviunt. Omnino verò, cum pro Rerumpublicarum varietate, non nihil varient, efficit ista varietas, ut propter eam una Respublica, magis vel minùs sive popularis, sive Aristocratica videatur. Equidem in istis simulacris gubernandi ratio, Reipublica forma in vi imperii consistit. Proinde simulacra à vi imperii diligenter distinguenda. Cujus distinctionis is effectus, ne ea ad crimen læsa Majestatis trahantur, in quibus vix imperii arcana tentantur. Omnino verò meditatione dignissimum, non in pacis tantùm, sed & bellicis negotiis hujus doctrina usum esse maximum. Vt jura; sic arcana & simulacra, itidem flagitia enarrandi, atque

exemplis

exemplis illustrandi labore supersedet Clapmarius, eo obtentu, quod obvia sint. Recenset verò obiter, tanquam jura belli; spoliorum jura. Item prædas agere, agros populari, oppugnare, expugnare, atque solo æquare magnas & vastas civitates. Pro flagitiis militaribus; Victorem promiscuè in muros & mœnia sævire, fugientem urbes incendere & diripere; vincentium præmia victum corrumpere. Pro arcanis; Exercitui signum dare, cespititium tribunal erigere, milites è tribunali alloqui, aquilas corripere & aliò transferre, consilia bellica inire. Vtpote quæ solius erant Ducis. Pro simulacris, quibus in officio miles contineatur; Militibus adscribere victoriam, gloriarum, eos sibi pares facere, singulos suppliciter alloqui, nunc commilitones suos, nunc patronos appellando; nunc ut se non tam Ducem, quàm commilitonem recipiant, unumque de corpore suo esse velint, rogando; se coram ipsis, excitandæ miserationi, prosternere; fugientes, quasi ad pugnam properantes, ad fortitudinem hortari; similibusque blanditiis potiùs, quàm severâ increpatione, militum animos capere, ut incussus pudor pœnitentiam adferat, & extinctam denuò incendat virtutem.

Ab istis tamen artibus discernere oportet ipsas artes militares. Nempe pugnam in tempore inire, aciem subsidiis firmare, ubi res fert, equitem ad pedites redire; restituere pugnam; ab acie exclusis subvenire & id genus alia.

Istis quasi per transennam notatis, id quod de communis vitæ arcanis strictim monuit, Clapmarius repetens, talia docet esse arcana consilia, quibus multi se, vel contra inimicorum injurias muniunt modò, vel iis suppressis emergunt. Pro flagitiis, quæ & vita communis habet, notat; cum alter alterum supplantat, vel per invidiam, vel subsidium sui, vel per excusationes aliis sua vitia exprobrando, similique ratione, ex alieni nominis jacturâ sibi laudem quærit. Est verò etiam arcanum civilis vitæ non è minimis, oblatum casum in omni eventu, ilico, & quidem aliud agendo, ad consilium flectere, καὶ οὐδὲν εἰς ἀναβολὴν πράττειν. *Dare operam, ut ne videaris intelligere, quod intelligis: Minùs dicere quam sentire, similiaque. Nempe cum naturam simulationum involucris tegere multi studeant, ii maximè qui ex virtutibus nullam magis amant, quàm simulationem; optima contra tales ars, cum vulpibus vulpinari, & fraudem fraude illudere.*

dere. Huc etiam pertinet, presso dolore in adversis ἀπιστεῖν. Non leviter aliquem amicum æstimare, secundùm illud, εἷς φίλος, οὐδεὶς φίλος. Nec enim hæc vita hominum aliud est quàm deceptio & simulatio, & speciosa modò amicitia, adulatorii sermones, odia clandestina, & fucata omnis conversatio. Sunt verò etiam simulacra quædam in magnarum rerum appetitu & desiderio necessaria. Blanditias intellige & assentationes, regiæ virtuti imprimis contrarias, & in cæterâ vitâ minùs honestas; in petitione tamen necessarias. Quorum ea est cautio, ne deteriorem aliquem assentando facias, sed amiciorem. Quâ adhibita, in desiderio rerum, maximè magnarum, nonnihil deflectere, prudentiæ est.

Post explicata pleraque, quæ à Scriptoribus arcanorum nomine sunt comprehensa, observandum, ut pleræque Respublicæ sunt mixtæ; ita etiam istis arcana enarrata posse accommodari. Sanè fieri etiam potest, ut in unâ eâdemque Republicâ reperiantur arcana Regia, Aristocratica, Democratica. Omnino ad hanc rem probè conficiendam opus est prudentiâ, ne detegantur. Id enim si fiat, sunt periculosissima, & detecta fallunt autorem. Scilicet coloribus sunt imbuenda, ac

variis

variis formis adumbranda, ac vera falsis sic miscenda.

Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Cautione etiam opus, ne nimia plebi concedantur. Ob periculum ne istâ indulgentiâ ad majora, imò iniquissima petenda eam facias audentiorem. Et invenient quidem prudentes Rerumpublicarum Rectores, præter ea, etiam alia, quibus præcaveant, ne ex falsis bonis, procedente tempore, malum eveniat. Sanè ista est ars suprema. Nec enim prudentia modò est, ex præcedentium notione curare præsentia; sed & futuris providere.

Arcana diversi sunt generis: alia simulatoria & εἰρωνικὰ*; alia minimè. Attamen quia omnia ad eundem scopum, hoc est, cùm ad eorum qui Principatum obtinent, tùm ad præsentis Reipublicæ naturam, statum, ac formam conservandam pertinent; alia ex aliis possunt illustrari. Fecit id* Clapmarius, *& censuram timet; sed ut omnino factum ejus probat arcanorum affinitas; ita calculum ei adjicimus.*

Libuit viro clarissimo ἐπιμετρεῖν, *& imperii Germano-Romani, Turcici, & Reipubl. Venetæ arcana attingere. Imperialibus quæ in vulgus dare nefas, omissis, recitat*

citat Principum metum mutuum; Imperatoris in reliquos Ordines respectum; speciosam vim ac majestatem; Religionis libertatem, de pace publicâ constitutionem; deque eâ violatâ pœnalem sanctionem. Quatuor, post Imperatorē, Imperii culmina. In eligendo Imperatore Regis Bohemiæ prærogativam; Caput Imperii unum; inter membra omnia, Ordinesque Imperii συμφωνίαν, Iudicium Imperii supremum; unicum Imperii, membra ita ut laxari nequeant, continens, coagulum.

Turcico Imperio stabiliendo arcana recenset Clapmarius, violentam gubernationem, plebi per maximas superstitiones incussi metus indumentum, bellicorum modò consiliorum agitationem, & inde bella continua, filios & heredes imperii in custodiâ detentos, magnā Bassis & Visieris indulta simulacra, plebem affinitatibus ornatam, & mercatura, aliisque rebus bellicis occupatam. Denique preces devictis gentibus pro salute Principis in templis prohibitas; Constantinopolis tanquam sedis imperii inhabitationem. Sed & singulas Alcorani leges nihil aliud quam arcana dominationis continere consilia, rectè monet.

In Republicâ Venetâ notat, speciem & simulacra Imperii penes Ducem, vim

ipsam

ipsam penes Senatum esse. Pro arcanis addens lenta bella, neutralitatis studium, missa sociis auxilia, humiliora munera plebi permissa, &c. Recenset & pro arcanis alterius Reipublicæ, (quam ocellum Germaniæ vocat,) curam census, dignitatem præcipuarum familiarum, ejusdem gradus & distinctionem; frequentiam Senatorum in Curiâ, Senatorum erga plebem humanitatem, erga improbos severitatem; plebis ad minores magistratus admissionem, aliaque. Pro insigni imperii simulacro subjungit, post res decretas ad populum, de iis relationem. Omnia concisè. Nempe ἀκριβολογεῖν, & singularum Rerumpublicarum arcana prodere, Clapmario minimè fuit propositum. De arcanis Imperii γενικῶς agens, ut eorum exempla doceret, ad veteris Romanæ Reipublicæ variatas formas εἰδικῶς attendit.

Pro coronide operis, usum, dignitatemque hujus doctrinæ commendat. Sanè eum in conservandis in statu suo Rebuspublicis, avertendisque earum mutationibus esse maximum, nemo ibit inficias. Omnino id facilè percipiet is, qui mutationum istarum caussas, juxta genera considerat. Sunt ea plura. Primum si ipse civitatis status & Reipublicæ genus mutetur; puta ex Democratia in Monarchiam. Alterum,

rum, si manente eodem civitatis statu & Reipublicæ genere, Rectores mutentur, & summorum Magistratuum fiat translatio. Tertium, si neque statu, neque Principe mutato, ipsius status in eodem Reipublicæ genere regimen fiat vel intensius, vel remissius; puta ex severo fiat moderatius. Quartum non universam Rempublicam, ut priora, sed ejus partem modò tangit. Scilicet quando Magistratu vetere, uno aut altero sublato, novus instituitur. Sic Sylla Tribunos, Consulum adversarios, non quidem sustulit, sed tamen iis ademit potestatem. Planè ut Lacedæmone Rex Pausanias Ephoros, regni adversarios, abrogare voluit. Caussæ & principia mutationum in Republicâ duorum sunt generum, vel externa, vel interna. Interna (imprimis, per se, & hîc quidem, quod eas spectavit Clapmarius, & nobis modò consideranda) sunt seditiones. Circa eas notandus, secundùm Aristotelem, quem sequimur, 1. Affectus seditiones moventium. 3. Res, quarum sive consequendarum, sive vitandarum caussâ motus excitant. 3. Ipsæ seditionum caussæ & principia. Affectus seditiosorum non pertinet quidem propriè ad hanc mutationem, considerandus tamen. Quod cognoscendæ arcanorum, quæ spectamus utilitati

litati inserviat ista consideratio. Moveri eos qui ad seditiones sunt proclives, ait Aristoteles, vel quia, si pares sunt, cum aliis in Republica, paria; si præstantiores, majora in eâdem sibi deberi arbitrantur. Cum verò duo potissimùm sint, quæ seditiosi cives spectare solent, quæstus, & honos ac dignitas; damnum & ignominia: ita & istorum intuitu ex ista persuasione ad seditiones & motus excitandos potissimum animantur. Vnde fit, ut duæ sint Rerumpublicarum pestes & seditionum caussæ primariæ; ambitio, & avaritia. Ambitione summi maximè ducuntur. Minùs enim de honoribus certare solent inferiores. Avaritiâ magis moventur. Sed verò etiam inductâ cum ambitione avaritiâ, à summis ære alieno oppressis periculum est maximum. Scilicet ne perturbatâ Republicâ dominatum fortè assecuti, non modò privatos creditores suos eludant, sed & permissa reliquis sui similibus immunitate, pessumdent omnia.

2. Caussis istis proxima est illata ab iis qui Magistratum gerunt privatis contumelia. Ipsorum Magistratuum (si vectigalia & bona publica non ad communes, sed privatos usus conversa depeculentur) avaritia. Vel si privatorum fortunas ipsi invadant, aut nimiis vectigalibus cives

ves gravent. 3. *Accedit honorum & imperiorum inæqualis, hoc est, præteritis idoneis & bene meritis, in stultos, ignavos, aut aliter indignos collatio.* 4. *Vnius aut plurium civium præ cæteris excellentia. Caussa Iulii Cæsaris & Lysandri ad Reipublicæ eversionem machinationum.* 5. *Metus, vel oppressionis, isque vel tenuiorum ab injuriis potentiorum, vel ipsorum nobilium à plebe, penes quam est summum imperium. Vel pœna propter perpetrata maleficia & scelera, & quidem eorum maximè, qui non infimo loco sunt in Republ. Caussa ex Catilina, Lentuli, & aliorum ad evertendam Rempubl. Romanam conjuratione apud Ciceronem, & Salustium notissima.* 6. *Contemtus; Et quidem maximè in Democratiâ. Nempe si per natam ex ordinum confusione in eâ ἀναρχίαν, puta collapsam judiciorum vim, neglectã, vel per largitiones injustam, magistratuum descriptionem, plebs contemnatur. Equidem contempta, & ipsa & ipsius dominatus à Nobilibus facilè opprimitur. Planè ut in domestico imperio eundem effectum parit γυναικοκρατία. In Ecclesiastico regimine contemptus ministeriorum & disciplinæ Ecclesiasticæ.* 7. *Ordinum perturbatio. Sanè, si unius hominis excellens præ cæteris*
magnitudo

magnitudo caussam motibus prabere potest; mirum videri non debet, si eam prabeat universi alicujus ordinis perturbatio. Accipe si unus ordo alterum, vel qualitate; hoc est, divitiis vel genere; vel quantitate. si numero longè superet. Debet enim, ut in corpore humano partium ac membrorum; ita & in Republica ordinum, puta Equestris, Senatorii, civium, seu plebeii, pro cujusque forma, esse συμμετρία. Perturbationis istius caussas in Politicis exponit Aristoteles: nos prosequimur institutum nostrum. Modò exposita caussa earum sunt mutationum qua fiunt cum motu; earum qua absque motu fiunt, sunt alia. Prima est, ἐριθεία Aristoteli dicta; puta si Magistratus prateritis honestioribus, mandentur sordidis, & contemta vita ac generis hominibus. 2. Ὀλιγωρία eidem dicta; Quando Magistratus mandantur non bene erga Rempublicam affectis, iisque, sive peregrinis, sive hostibus, aut alteri civitati vel Principi obstrictis; vel etiam nullos liberos, propinquos, bona, tanquam fidelitatis pignora, in Republica habentibus. Sanè in mandandis Magistratibus provida debet esse cura Principis. Dictum puta, ut ad eos non eligat, nisi viros bonos, idoneos, patria sive Reipublica tuenda, & augenda

gendæ amantes, immobilisque erga ipsum pietatis. 3. Tertia caussa ea est, quam τὸ παρὰ μικρὸν vocat Aristoteles, hoc est, malum sensim & occultè obrepens; at tale, cui nascenti facilè occurri potuisset. Etenim planè, ut morbi principiis si non obstas, medicina, postquam per longas moras invaluit malum, serò paratur; ita in omni Republica, eorum qui Principatum tenent, si tueri eum velint, cura esse debet motuum, pravisis, licèt exiguis initiis, progressui maturè occurrere. 4. Omnium mutandarum Rerumpublicarum, caussa gravissima est dissimilitudo; Quæ quidem varia; omnis tamen serendis ad motus discordiis est idonea. Equidem ut omnis similitudo conjunctionem; ita dissimilitudo aversionem parit animorum. Est hic prima dissimilitudo gentis. Sed non ejusdem semper effectus. Si enim Respublica conflatur initio ex gentibus dissimilibus; oriri quidem eo casu solet discordia quædam, & inimicitia grassari; ipsa tamen coalescentibus animis, linguâ, moribus, in summam paulatim convertitur concordiam. Quæ civitates non initio, sed postea recipiunt peregrinos, eæ sunt quæ motibus & discordiis in bella erumpentibus laborant; adeò quidem, ut ipsi advenæ superiores facti, tandem eos à quibus

sunt

sunt accersiti expellant. Sed nec hunc esse perpetuum & indubitatum effectum, rerum usu discimus. Locorum diversitas etiam ad motus est idonea. Etenim si una eademque civitas, vel duabus æstimetur partibus, vel flumine aliquo interlabente dividatur; quamvis ipsa una sit; hoc tamen divortio animi & studia civium dividuntur. Explicat quidem tantùm ista duo dissimilitudinum genera Aristoteles; sed ut & aliam qualemcunque ad motus esse idoneam, ipso monente, jam diximus: ita & observandum, prout una altera major est; ita ad istum effectum non parem omnium esse aptitudinem. Imprimis hic attendi volunt diversitatem Religiogionis. Sanè Claudius Imperator Christianos & Iudæos dissidentes Româ expulit. Diocletianus crescenti Religioni Christianæ bellum indixit, ex istâ, quam semper ore prodebat, persuasione, non posse tranquillam esse Rempublicam, in qua Religionis esset diversitas. Falsâ sanè; & imprimis quidem quoad religionem Christianam, doctrinâ pacis nixam, à Servatore Christo suis relictâ, & illam ipsam Reipubl. tranquillitatem commendante. Oriri quidem, istius diversitatis occasione, motus & seditiones, ut Christi, Apostolorum, & sequentia docuere secula;

cula; ita ex diversa in eàdem Religionè doctrinâ idem factum, & patrum nostrorum, & ipsa nostra recens confirmat memoria. Sed non sunt isti fructus, sive ipsius religionis, sive doctrinæ. Ex hominum ignorantiâ proveniunt, & cæco ex eâ zelo. Nec verò etiam ipsam religionem, vel doctrinam spectare solent homines seditiosi. Obtentui ista tantùm ab iis sumuntur, ut pro mantelo serviant tegendis sinistris machinationibus. Sunt hæc præter scopum nostrum. Is enim modò est Clapmarii effato, de usu traditorum ab ipso arcanorum ad conservandam Rerumpublicarum pacem & avertendas earum mutationes firmando, earundem caussas quasdam, & quidem concisè modò, καὶ ὡς ἐν τύπῳ proponere. Fiet id à nobis ex Politicis Aristotelis, quorum liber quintus in iis enarrandis totus occupatur. Ex quo etiam discimus, non tantùm gravibus, sed, & quidem sæpenumero, levibus de caussis istas fieri mutationes Rerumpublicarum ac eversiones. Propter matrimonia, hereditatum divisiones, aliaque, multò leviora. Equidem licèt de istis modò, adeóque privata tantum videatur initio esse disceptatio; crescente paulatim discordiâ, deinde de majoribus agitur; de

 hono-

honoribus, Magistratibus, & tandem de universa Republ. Confirmat id Aristoteles diversarum Rerumpublicarum, Syracusana, Delphensis, Phocensis, aliarumque exemplis. Nec desunt in Romanâ. Est inter ea nobilissimum de annulo in auctione emendo, inter Cæpionem, & Metellum orta dissensio, & inde bellum sociale. Sunt istæ Principum in Republ. virorum dissensiones semper perniciosæ. Cupiant dissentientes eam salvam esse, agant modò de variâ eam administrandi viâ ac ratione; consilia tamen & studia eorum, cum à communi aberrent utilitate, non possunt non esse quàm maximè damnosa. Civiles istas dicimus dissensiones. Sunt aliæ planè hostiles, in quibus non de salute, sed interitu potiùs agunt Reipublicæ, & cujus in manu ea sit, partes digladiantur; eo magis perniciosæ, quod ex proposito in destinatam Reipublicæ tendunt perniciem. Sed verò etiam quæ initio merè sunt civiles, in bellum tandē, & hostile aliquando exeunt odium. Cæsaris & Pompeji id planè comprobat dissidium. Nempe civile modò Cæsarem cogitasse, Cicero in oratione pro Ligario persuasum vult. Tale re-vera fuit inter Scipionem Africanum, & Quintum Metellum. Inter Scipionem & Tiberium

Tiberium Gracchum. Secessionem tantùm, non bellum, an Cæsar existimaverit, meritò dubitari potest. Cicero ad Cæsarem loquitur, & ejus gratiam pro Cliente captans, assentationis incurrit suspicionem. A qua si non est ista extenuatio, planè confirmat id ipsum quod contendimus. Ortum enim ex ista secessione apertum bellum, per quod cum ex prioribus dissensionibus, labefactari modò cœpisset, planè corruisse Rempubl. notum omnibus. Non minimam verò etiam motibus sæpe occasionem præbere solet partis alicujus in Republica excellentia. Siquidem ob res sive domi, sive foris in bello benè gestas, reliquis clariorem & præstantiorem se esse judicet, majoribusque honoribus afficiatur. Fieri quippe solet, ut eâ insolescente, reliquæ contemni se videntes, ex invidia res novas moliantur.

Et omnium ordinum nimia æqualitas eundem sæpe, quod meritò mirum videatur, parit effectum. Caussa est, quod, si alterum neuter superat; fiat ut parere alteri nolit. Cum è diverso, si alter sit præstantior, is facilè in officio contineat inferiorem.

Et sunt quidem hæ potissimæ ab Aristotele explicatæ mutandarum Rerum-

publicarum caussæ communes. Adjungit iis singularum proprias; Democratiæ, Oligarchiæ, Aristocratiæ, eodem; Regni & Tyrannidis, ultimo libro. Sed singulas persequi, non est nostri instituti. Et potest ex istis communibus de eo quod intendimus formatum, ex particularibus magis firmari judicium. Sed est per se contrariorum eadem doctrina. Inde in re medica ex morbis in corpore humano, eorumque caussis cognitis, facilis est cognitio remediorum. Medicorum ea est constans doctrina. Cur non pari ratione in Republica motuum ac seditionum, hoc est, publicorum verè morborum, caussæ eorundem monstrabunt remedia? Istas esse vel apertas, vel occultas, discursûs nostri initio, & quidem ex Aristotele, monuimus. Quibus sive præveniendis, sive sanandis & similia esse remedia, ex eodem nunc notamus. Vtraque quidem proposuit Peripateticorum Princeps; sed occultorum usum minus probat. Calliditatem iis inesse potius existimat, quàm veram prudentiam. Planè perperam. Est quidem occultorum remediorum ea ratio, ut sæpe habeant aliquid simulationis & fraudis: At cùm potissimus eorum usus sit in turbatis & vitiosis Rebuspublicis (quod & ipse

ipse docuit Clapmarius,) in quibus non possis rectà incedere viâ, nisi cum damno publico; non potest non, ut ab eâ necessarius deflexus, ita & ad eum arcanorum usus judicari prudentissimus. Quin & ipse id non modò concedit Aristoteles, sed & iisdem utendi modos ostendit. Et in *pacata aliquando Republicâ paci conservandæ, turbisque eminùs provisis præveniendis occultas istas artes inservire, nemo inficias ire potest. Est ista Clapmariana de usu arcanorum assertionis summa. Puta, per ea conservari Respublicas, aliàs funditus perituras, aut in aliam formam mutandas.* Et *quidem de Romanâ, petitis à Consulibus post ejectos reges; ab Imperatoribus, post mutatam Rempublicam exemplis, id sparsim docet. Aristoteles, an per expositas mutationum causas id non confirmet, Lectoris nunc esto judicium. Nos manum de hac movemus tabulâ. Vna Clapmarii modò reliqua est observatio. Ad arcanarum artium* πρᾶξιν *non omnes esse idoneos. Ingenia equidem omnino hîc æstimanda, & exquisita judicia; sed non minùs vultus. Ingenium promptum sit oportet & versatile; non abscissum, quod negotiorum modum præcisè terminet. Iudicium acre,*

 ac

ac catum, aptumquè ex re & tempore consilia capere non minùs, quàm flectere. Vultus constans & exercitatus; ut sive ad severitatem, sive ad blanditias componendus sit, prout fert sive simulationis, sive negotii ipsius necessitas, id constanter faciat. Nec verò etiam sufficit in scientiis tractandis ætatem trivisse, leges & civilia privati juris didicisse præcepta. Parum ea sæpe habent ponderis in præruptis negotiis. Omnino hîc ratio juris publici est, & omnia utilitate publicâ pendendi cognitio requiritur & prudentia. Vnde ii demum censendi idonei, qui juxta privatam, Iurisprudentiam ac civilem scientiam dicendi, historias, jus publicum, aliasque artes Senatorias addidicere. Minimè verò lex Censoria in publicis spectatur negotiis, sed horum conficiendorum commoditas & molestiæ liberatio. Ad quæ cum pecuniæ sæpe plus valeat quàm jura; ab iis qui publica tractant, avarus abesse debet animus. Denique negari minimè potest, præter ingenium, judicium ac scientiam, in omni negotio ad res gerendas multùm valere exercitia. Vnde optimè hac monitione concludit Clapmarius; Eorum qui in foro dominantur, & res negotiaq; publicæ tractan-

tractantium distincta debere esse officia. Sanè usus unius rei assiduus & artem sæpe vincit, & ingenium. Quare dicto Viri Clarissimi calculum adjicimus, nec quod ad cætera de fide ejus quicquam derogamus. Summarium laudatissimi operis (sed laxius quàm primâ editione) per discursum damus; non alio fine, quàm ut post ejusdem ἀκολουθίαν nudè, vel saltem haud laxè propositam, minore doctrinâ dignissimum percipi possit argumentum. Sed & in omni practico studio imprimis prodest, si ipsarum rerum idea nudè primitus proponatur; ut & citiùs, & rectiùs in suo corpore concipi possint, & deinde ipsa ornamentis illustrari. In politicâ imprimis. Vtpote in quâ ex priscis eruta documenta, recentioribus, & singulorum temporum magis confirmantur historiis. Equidem diversarum Rerumpublicarum, variæ mutationes, & ex iis diversæ inductæ formæ, varias eandarum sive tuendarum, sive ad pristinas reducendarum monstrant rationes; semper ex historiis observandas. Nec fuit ipsi Clapmario aliud propositum, quàm ad arcana Imperii, ab ipso observata magis illustranda alios excitare. Id est quidem professus. Nec alia est laboris nostri intentio. Exigui nunc

nunc quidem; sed quem data jam fides de jure publico augebit; modò otium & vitam concedat optimus Deus. Benevoli Lectoris est ad eam studium suum accommodare.

ADMONITIO.

IN Epistola Dedicatoria p. 5. *limitatorii. quo.* Ad Lectorem 9. *parumus.* Item, *marginibus.* Discursus p.3. *& origine.* 27, dele, *ut* 33. *auso.* 35. *illum.* 57. & 66. dele, *se.* 69. *victoriarum gloriam.*

ARNOLDI CLAPMARII
DE
ARCANIS RERUM-PUBLICARUM,
Recogniti & iteratò illustrati

Qui est de jure Imperii.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Occultæ & abstrusæ artes Reipublicæ constituendæ, atque conservandæ: Rationes, & leges quid apud plebem possint: Simulacra Deorum.

DVO sunt potissimum, quæ in considerationem veniunt in omni Republica componenda, conservandaque. *Primum* non est unius generis, sed spectat tum securitatem eorum, penes quos est, ut ait Aristoteles, πολίτευμα, id est, *summum Imperii Ius*. tum etiam pertinet ad præsentem Reip. statum confirmandum, atque conroborandum. Nam præterquam quod, ut D. Augustus olim dicebat, *cum omnia quæ præclara sunt, tum imprimis summum Imperium cum invidia conjunctum est*; permulti, vel satietate præsentis Reipublicæ, vel animi mobilitate novis Imperiis student, qui facilè, nisi illis obex aliquis opponatur, frenumque injiciatur, Rempubl. occupabunt; & iis qui principatum in Republica obtinent, violentas manus adferent.

Salus Reip. consistit in duobus. Primò in securitate eorum qui imperant, præsentisque Reip. diuturnitate.

Quã re ad eam opus. Quæ causa est propter quam nonnunquam quibusdam institutis opus est, quæ & juri communi derogant, & speciem quandam iniquitatis repræsentant. Ad quam tamen connivendum est boni publici causa. Quod ait Cassius apud Tacitum 14. *Annal. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur*. Et Iason ille apud Plutarchum in Polit. ὡς ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν. *Ajustitia in parvis negotiis nonnunquam deflectas, si usurpatam eam voles in magnis.*

Secundo in quiete, & patientia populi. Rationes, & præcepta legum parum valent in populo. *Alterum* est, ut iis quibus fenestra ad imperium, atque dignitates occlusa est, obtrudantur tamen imagines, sive simulacra quædam cùm Imperii, tum libertatis, quorum specie sese nutrientes, & veluti lactantes, ab ipsa imperii vi, ac dominatione abstineant. Quæ simulacra, si speciosa sunt, immane quantum plebis oculos mentemque perstringunt. Nam ut eos qui libertatis amantes sunt, vel Imperii avidi, in officio contineas aperta ac regia via, frustra es. Quippe apud quos nullus locus est rationis, nullus aut legum, aut philosophicorum præceptorum usus. Quem cum ineptè ac ridiculè apud plebem quæreret Musonius quidam, studia philosophica & placita Stoicorum sectatus, periculo, & cachinnis se exposuit. *Venerant*, inquit Historicus 3. *Histor. Legati ad milites seditiosos de pace: Ibi Musonius, (erat enim equestris ordinis) se Legatis miscere, permixtus manipulis, bona pacis ac belli discrimina differere, armatos monere: verùm id plerisque ludibrio fuit, pluribus tadio. Nec defuere qui eum propellerent proculca-*

vulcarentque, nisi admonitu modestissimi cujusque, & aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam.

Etenim ἐν αἰνιγμοῖς, & veluti per ambages, atque simulacra plebs tractanda est. Quæ ubi libertatis, aut imperii imagine teguntur, majorem speciem præ se ferunt, quam reipsa habent. Quo consilio antiqui Scriptores simulacra Deorum, & φάσματα illa ultra modum humanum descripserunt, terriculamenti causa. Plinius: *Offertur ei,* inquit, *mulieris figura, humana grandior.* Et Satyricus; *Ideò per simulacra tractandus.*

Tua sacra, & major imago
Humanâ turbat pavidum, cogitque fateri.

Hinc Virgilius; *Simulacra modis pallentia miris.* Quod etiam de voce usurpat Livius *lib.* 5. *In nova via vocem noctis silentio audivisse clariorem humanâ:* De primoribus Romanorum ibid. *Galli,* inquit, *venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros, præter ornatum habitumque humano augustiorem; majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat similimos Diis; ad eos veluti simulacra versi cum starent, &c.* Eadem fuit ratio eorum, qui malas expandebant, dentibusq; collisis crepitabant. Vnde Manduci dicebantur: Græcis Μορμολυκεῖον. De quo Iuvenalis: *Simulacrorum à Scriptoribus descriptorum exempla.*

Tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Cæterùm sunt hæc simulacra inania, cassa, fumosa, ac veluti hordeacea, ut Cœlii verbo utar: Illa vero arcana, occulta & valida Imperii fundamenta, &, ut Curtius ait *lib.* 9. ex solidò. Quibus convenit illud Poëtæ: *Quæ si arcana, solida sunt.*

Sit solidum, quodcunque subest, nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

CAP. II.

Variarum scientiarum, atque artium arcana, sive σοφίσματα. σοφίσματα τῶν χρωμάτων. Belli commenta. ἐνδόμυχον. Doli Medicorum. χειρισμοὶ, Fictiones Iuris. Arcana parietum, Dialecticorum σοφίσματα. Peccare in Republ. cum beneficio.

Arcanorum vestigia in omni reperiuntur scientia, & rerũ humanarum conditione. Theologiâ, Iurisprudentiâ, Mercaturâ, Pictoria arte, Re bellicâ. Eorum exempla.

AC nescio an ulla sit scientia, ullave in rebus humanis conditio, in qua non hujusmodi reperiantur vestigia. Hinc Niceph. Greg. 11. Histor. *arcana* vocat *Theologiæ, quibus inhiat vulgus, ut herbis & pascuis armenta.* Et Iustinianus: *Legitimis*, inquit, *arcanis Iurisprudentiæ reseratis:* & in *l.* 5. *C. ad leg. Iul. Maj. Consiliorum arcana.* Sic in mercatura, sive contractibus sunt doli quibus aliud agitur, aliud simulatur agi; ut ait Servius *l.* 1. *ff. de dolo.* Ars pictoria habet sua σοφίσματα τῶν χρωμάτων ἐνδόμυχον, sive *colorum fucos*, quorum in adumbratione, sive obfuscatione usus est. In rebus bellicis sunt stratagemata circumveniendi hostis excogitata. Vnde ab Ammiano appellantur *belli commenta:* à Tacito *meditamenta*, & à M. Tullio, & Livio lib. 4, omnium magnificentissimè, *consilia, atque artes Imperatoriæ.* Quam calliditatis partem Valerius Maximus egregiam vocat, & ab omni reprehensione procul remotam; veluti, suspicionem fugæ inducere, hostis agros intactos relinquere, & id genus plura. Sic in re domestica est ἐνδόμυχον, id est, *arcanum de re familiari*, de quo Cicero *ad Att. Epistol.* 14. *lib.* 5. Medici (qui,

ci (qui, ut ait Plato, Reipublicæ imago *Dome-*
sunt) suos habent dolos, quibus ægros cir- *stica*
cumveniunt valetudinis restituendæ causa. *Medici-*
Ideo *pueris*, ut canit elegantissimus Lucre- *nâ.*
tius,

Absinthia tetra medentes:
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore:
Vt puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur.

Et Plinius in Epistolis; *Nam si Medici salubres, sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis prosequuntur, &c.* Sic Horatius *lib.*1. *Serm.*

Vt pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Eodem ferè modo stipendii dationem Tribuni apud Livium, lib. 5. appellant, *donum inimicorum veneno illitum*. Mathematici etiam quibusdam utuntur fictionibus, quas Aristoteles χωρισμὸς appellat. A quibus tamen abest ψεῦδος. Quibus etiam similes sunt Iurisconsultorum fictiones illæ, atque imaginariæ venditiones. Sed & parietes arcanorum conscios esse, scribit Marcellinus *lib.* 14. & Tragicus in Octavio, *Arcanos sensus*. Sic & Virgilius, *arcanos etiam tibi credere sensus*. Porro omnium frequentissimè disputatores, sive Dialectici sua usurpant contorta, & aculeata sophismata; ut Cicero appellat in Academicis, quorum beneficio veritatis fenestra panditur.. Horum omnium exemplo viri πολιτικοὶ, & in qualibet Republ. Principes, utuntur arcanis

Mathematicâ.

Iuridica.

Dialectica.

quibusdam sophismatibus, quibus imponunt hominibus factiosis, & Reipubl. salutem ab eorundem injuriis vindicant. Illud est quod M. Tullius, *lib. 3. de Nat. Deor.* appellat, peccare in Republica cum beneficio. De quo etiam Paterc. *lib. 2. Cicero insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem tamen laudandum censebat; quod aliud diceret, aliud intelligi vellet.*

Suis istorum exemplis utuntur Principes

CAPVT III.

Arcanum, arcere, arcivum ἀπόῤῥητον, arcana sacra, Βίβλια ἀπόῤῥητα, arcani milites, Arcanorum præfecti, Arcana principum quomodo obsignari solita, Arcanum Q. Ciceronis, τεχνόφρυον, cella Imperatorum.

Arcanum, inquit, Festus, *trahitur ab arce, tutissima pars urbis est. Vel à genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus, adeò remotum à notitia vulgari, ut ne literis quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur; Vel ab arca, in qua quæ clausa sunt, tuta manent, cujus ipsius origo ab arcendo pendet.* Optimè omnium ab arca & arcendo. Vnde etiam arcus παρὰ τὸ ἀρκεῖν. Est enim arcere, quod continere; quod Tacitus coërcere. *Coërcendi,* inquit, *Imperii consilium.* Vnde arcivum, vel archivum, aliàs Græcis ἀρχεῖον, in quo hujuscemodi arcana conservantur. Arcanum in vet. glos. ἀπόῤῥητον, *Arcanum, secretum, inauditum, &* ἀπόκρυφον, *absconditum, abditum, absconsum.* Cæterùm arcana consilia laxè ea dicuntur, quæ evulgari nefas est. Valerius Maximus, *Adeò autem magna charitate patriæ omnes tenebantur, ut arcana*

Vocis arcani etymologia.

Arcivū quid significet secundum etymon.

cana consilia Patrum Conscriptorum nullis seculis nemo Senator evulgaverit. Et Tacitus. 12. Annal. *Arcanum fœdus*: & de mor. Germ. *Arcana sacra, & conjugales Dii*. Vnde arcana Veneris, & arcana Cereris apud Poëtas. Horat. 3. od. 2.

Arcana consilia quæ dicuntur laxè.

Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcana.

Iustinus lib. 5. vocat Cereris mysteria. Sic apud Suidam sunt βίβλια τὰ ἀπόρρητόν τι ἔχοντα; hoc est, *arcani libri*; & apud Ammianum, *Arcana piacularia*. Hinc quoque, *arcani milites* olim, teste eodem Marcellino, dicebantur illi, qui ultro citroque per longa spatia discurrentes, vicinarum gentium strepitus Romanis ducibus intimarent. Quos aliàs *scrutatores* & *speculatores* appellat. Suetonius. Græci κατόπτας. Dicebantur & *scultatores*, ut emendavit Cujacius. Vnde apud eundem Marcellinum, *Arcanorum Præfecti*. Ideò Angli in bellum euntes, teste Frossardo, jurant se arcana consilia non vulgaturos. Et Turca, re quapiam decreta, dicitur Bassas, sive Visieros suos secum aliquamdiu in venationem solitudinemque ducere, quo illis occasio adimatur vulgandi decreta, sive arcana bellica. Et olim, teste Curtio lib. 4. *mos erat Persarum arcana regum mira celandi fide, non metus, non spes eliciebat vocem, quâ proderentur occulta.* Hujuscemodi arcana ab Impp. Romanis duplicibus tabellis obsignabantur. Herodianus in Maximino οἷς ἔδωκε κατασεσημασμένα γράμματα ἐν πτυκτοῖς πίναξι, δι' ὧν τὰ ἀπόρρητα καὶ κρυπτὰ ἀγγέλματα τοῖς βασιλεῦσιν ἐπιστέλλεται; *Quibus etiam dedit literas duplicibus obsignatas tabulis, per quas arcana, occultaq; negotia signi-*

Explicationis confirmatio.

Arcana principum, obsignari solita.

ficare Imperatores consueverunt. Hinc identidem significationem sumpsisse opinor illud prædium de quo Cic. Epist. 2. lib. 10. ad Att. *Sustinui me in Arcano fratris, ut dum aliquid certius affertur, occultiore in loco esse possimus.* Quale etiam fuit τεχνόρυον Augusti, & cella Imperatorum, de qua idem Herodianus in Maximino, κελεύει αὐτοῖς ἐπιστῆναι, ἔτι δικάζοντι, καὶ ἀνακεχωρηκότι τοῦ Βιταλιανοῦ, ἐν τῷ τοῦ δικαστηρίου οἰκίσκῳ, ἔνθα μόνος τὰ ἀπόρρητα καὶ κρυπτὰ δοκοῦντα ὑπὲρ σωτηρίας ἠρεύνατε καὶ ἐξήταζε. *Iubet illos, dum adhuc in actibus occupatus esset Vitalianus, ad eum accedere intra cellulam, ubi res secretas atque arcanas, ad salutem Principis pertinentes, perscrutari consueverat.* De quo loco intellige illud Attii:

> *Vt omnes, qui arcana astrumque incolunt,*
> *Cives omnibus faustis augustam adhibeant faventiam.*

CAPVT IV.

Σοφίσματα τῶν πολιτειῶν κρύφια. artes. delineamenta. blandimenta. tela patrum. Imperii arcana. Arcana dominationis, arcana domus. arcana inania, jura regni. Fürstliche Reservaten und Hochheit.

Arcana Rerumpublic. variè appellantur. EAdem significatione dicuntur Arcana Rerumpublicarum, quæ tamen multifariam apud Scriptores appellari reperio. Aristot. 5. *Polit. c.* 8. vocat ΤΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ ΣΟΦΙΣΜΑΤΑ; alibi ΚΡΥΦΙΑ. item κατασκευάσματα. Interpp. verterunt *machinamenta, Rerumpublicarum figmenta, fallacias.* Sic Aristophanes, τὸ γὰρ σόφισμα δημοτικὸν καὶ χρήσιμον, Livius lib. 2. blandimenta:

dimenta: *Multa blandimenta*, inquit, *plebi per id tempus data*: Ibidem, artem: *Arte agendum in exoleto jam vetustate odio*. Ideò qui hæc arcana callebant vocat Artifices, lib. 6. *Artifices tot jam annorum usu tractandi plebis animos*: hoc est, ut ait Cicero, *quorum tanquam manus opere, sic animus usu concalluit*. Idem Livius appellat *delinimenta* l. 4. Nonnunquam *Patrum* tela, ut lib. 5. *Aliud telum Patres inventuros esse*. Item *ludificationem lib. 6.* Cicero. *Arcana Reipublicæ* Tacitus lib. 1. Annal: *Imperii Arcana. Haud dubium erat*, inquit, *arcana Imperii tentari*. Ibidem, *Arcana dominationis*, & *Arcana Domus*. Alibi *secreta Imperii*. Polybius ἐπικρύφια, Velut in gloss. ἀπόκρυφα. Ejusdem farinæ sunt illa apud Tacitum. *Arcana inania, subdola*. Item *Imperii simulacra*. Glos. ἀπεικονίσματα, ὑποκρίσματα. item φαινόμενα. Quibus etiam non absimilis est Platonica ὑπροσωπία, & Milesii lex ἐνόφθαλμος, quasi dicas *personata lex*. Item προσωπεῖα, & Oscilla Aristophanis. Vnde Nonius., *osciculatim*, id est, *simulatim*. Sunt enim actiones publicæ veluti comœdiæ, in quibus persona sumitur ac deponitur, &, ut canit Satyricus, *Vera redit facies, dissimulata perit*. Vulgo occulta consilia, quamvis hæc plerumque in malam partem accipiantur. Cicero de Arusp. resp. *Monent iidem ne occultis consiliis respub. lædatur*. Et Tac. 2. Annal. *credidere quidam data à Tiberio occulta mandata*. Hinc etiam Tacitus: *Tentare Imperii arcana. Et vulgare Imperii arcana*. Et Iuvenalis. *Arcanum prodere*. Et in privatis negotiis. *Nudare intima atq; secreta negotii aperire l. 3. D. de recep. arbit.* Et *secreta patrimonii pandere*, *l. 2. C.*

προσωπεῖα.

Vulgo occulta consilia.

l.2.C.de alim.præſt. Huc accedunt *Iura Dominationis*. Sive, ut Curtius, *Iura Regni*, Itali, *ragione di dominio*. Germani arcana Imperii non efferunt, quod ſciam; niſi forte per geheime Reichsſachen; neque arcana aut Iura Dominationis, niſi per Keyſerliche Reſervaten und Hochheit. Nullam enim cauſam video, quin hæc omnia inter Rerump. arcana referas. Quę tamen ſingula inter ſe plurimum differunt, adeóque ſubtiliter diſcriminanda ſunt, ut ex ſequentibus liquebit.

CAPVT V.

Definitio Arcanorum. Finis eorumdem. Boni publici ſignificatio, τὸ κοινῇ συμφέρον, τὸ πόλει ἀγαθὸν. Egregium publicum, ejus dignitas. Simulationis in magnis negotiis uſus & neceſſitas.

Arcana Rerumpubl. definiuntur. ARcana Rerumpublicarum ſic definio; *eſſe intimas & occultas rationes, ſive conſilia eorum, qui in Repub. principatum obtinent, tum ipſorum tranquillitatis, tum etiam præſentis Reipub. ſtatus conſervandi, idque boni publici cauſa.* Et ferè ſunt talia quibus, ut ait Vellejus. lib. 2. *aliud dicitur, aliud intelligitur*. Sive, ut de dolo ſcribit Servius, *aliud agitur, aliud ſimulatur agi.* Quæ ſingula, ſi lubet, aliquanto putemus accuratius. *Cur dicantur occulta conſilia.* Dico eſſe occulta conſilia. Et ſunt certe ἀπόῤῥητα νοήματα, tum quod ea vulgus non facile perſpicit: (quod enim de ſacris Poëtæ, *odi profanum vulgus & arceo*, nos non immeritò de Arcanis uſurpemus,) tum etiam quod plerumque clanculum iis imponunt, qui præſentem in civitate ſtatum videntur odiſſe.

Porrò

Porrò finis eorum duplex est: salus & diuturnitas præsentis Reip. (hoc est, ne in aliam formam mutetur;) & eorum securitas qui imperant. Sic enim Herodianus in Maximino, τὰ ἀπόῤῥητα καὶ κρυπτὰ δοκοῦντα ὑπὲρ σωτηρίας τοῦ βασιλέως; *Secreta atque arcana ad salutem principis pertinentia*. Illud est bonum publicum, ut à Vellejo lib. 2. usurpatur. *Gracchus Octavio collega pro bono publico stanti imperium abrogavit.* Quasi dicas, bonum populi, vel, ut est in vet. glos. *bonum populicum*. Vnde bona populi Romani sola dicuntur publica, *l.15. De V. signif.* Et *in l.1. D. de usurp. & usuc. Bono publico usucapio introducta est.* Aristoteles 4. Polit. cap. 8. vocat, τὸ κοινῇ συμφέρον, τὸ πόλει ἀγαθόν. Tacitus 3. Annal. *Egregium publicum:* cui à Livio *libr.* 2. opponitur, *pessimum publicum:* à Vellejo, *malum publicum:* Quinimò habent consilia nonnunquam speciem aliquam fraudis atque iniquitatis, à se & simpliciter considerata; sed respectu publici boni, & status Reipubl. tolerantur. Quid ni enim? cum boni publici tanta sit religio atque cura, ut ei omnes humanas affectiones, omniaque consilia meritò postponamus: id quod minimè metiendum est respectu rerum privatarum, *quæ (* teste Livio *lib.* 2. *) semper offecêre, officientque publicis negotiis.* Cæterum simulatio quædam sunt arcana Rerumpubl. quæ, veluti glaucoma obducitur civibus, ut illud quod non habeant, tamen se habere putent; qua re freti præsentem Reipublicæ statum ne turbent. De quo Livius *lib.* 2. *Tanta*, inquit, *tum gratia, tum arte præparaverant fæneratores, quæ non modo plebem, sed ipsum etiam Dictatorem frustrarentur.* Sed

Eorum finis duplex.

Quatenus tolerentur.

est simulatio honesta, & licita. Quæ si in privatis contractibus locum habet (veluti Labeo dicit *in d. l. 1. D. de dolo malo*, posse sine dolo malo aliud agi, aliud simulari:) quanto magis in publicis negotiis, quorum majus momentum est, majorque dignitas. Quod monet M. Tullius lib. 10. Epist. 9. *Vt ad effectum consiliorum suorum veniant, multa oportet simulent inviti, dissimulentque cum dolore:* Et Poëta 4. Æneid.

Simulationis usus & necessitas.

> *Arma parent, & quæ sit rebus causa novandis*
> *Dissimulent.*

Et apposite Livius lib. 5. *Comitiis*, inquit, *Tribunorum militum Patres summa ope evicerunt, ut M. Furius Camillus crearetur. Propter bella simulabant parari ducem; sed rogationi Tribunitiæ adversarius quærebatur.* Et de immortali Deo, cui nihil est nisi justum ac bonum, sacra sapientia, lib. 11. *Tu omnium misereris, quoniam potes omnia, & dissimulas hominum peccata, ut resipiscant.* Et de Saule Samuel. 1. c. 10. *Filii impii despexerunt eum, neque attulerunt ei ullum munus: ipse vero erat veluti surdus.* Hinc Æschylus. Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός. *A fraude justa nec Deus quidem abstinet.* Quo pertinent illa Taciti: *Intelligebantur artes, sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur.* Et alibi lib. 1. Annal. *Patribus erat unus metus, ne intelligere viderentur.* Et illud Comici Syri ad Dromonem. *Tu quod scis, nescis; si sapis Dromo.*

CAPVT VI.

Quomodo hac intelligatur simulatio: duplex prudentia: καλὴ πανουργία. promontoria flectere. Simulatio Tiberii, παλιλλογία. Verborum involucra, oratio intorta, artes politica.

DVplex est apud Aristotelem prudentia; alia simpliciter sic accepta, alia vero pro ratione Reipublicæ. Hanc calliditatem ac simulationem appelles: *Sicut etiam apud Medicos*, teste Galeno, *aliud est salubre simpliciter, aliud febricitanti. Et in Iurisprudentia aliud est justum simpliciter, aliud pro hac, vel illa Republica; hac, vel illa gente*. Vnde Aristoteli excidit illud *δίκαιον πολιτικόν*, & Basilio, *καλὴ καὶ ἐπαινετὴ πανουργία*. Cæterum in tranquilla Republicâ &, ut ait Cicero in Platonis Politia prioris usus est; posterioris in turbata & in fæce populi. In qua multa fiunt *cum dolore agentium*, ut ait Cicero; vel ut Tacitus 3. Annal. *cum pudore*. Veluti ad multa facinora tacere, legatos dissentientes mittere, discordias, sive, ut dicebat Cato, oppositiunculas serere inter primates, Principum facta attollere. Velut Tacitus ait de Burrho: *Burrhus mœrens ac laudans*. Ideò Livius lib. 4. *Vt fortasse verè, sic parum utiliter ad præsens certamen respondit:* Idque haud absurdè vetus Poëta: *Cum contendi nequitum est, Tiberii clam intendenda plaga*. Quod nautæ vocant *verba promontorium flectere*. Quibus artibus quod Tiberius instructissimus fuit, ideò ejus verba plerumque Tacitus appellat, *obscura, suspensa*; nunc *perplexa*, nunc *eluctantia*, nunc *verba in speciem recusantis composita*. Græci

Duplex prudentia, absoluta, & relata ad Reip. statum.

Vtra dicatur simulatio.

quibus epithetis à Tacito insignita.

πλοκὰς καὶ παλιλλογίας, ἀμβάτους λόξους. In vet. gl. παραπεφρασθέντα. Plautus, *orationem intortam*. Cicero *verborum involucra*. Dion, ἀρέσκειαν καὶ ὑπόκρισιν. Quorum nonnulla fortaſſe, ſi accuratè conſideras, quo loco tum ipſe erat Tiberius, tum Romana Reſpublica, non tantoperè deteſteris. Quamvis, ut Auguſtinus ait, ſine culpa non ſunt. At Plato lib. 5. de Rep. συχνῷ τῷ ψεύδει, καὶ ἀπάτῃ δεήσει χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας, ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων, *Crebro mendacio & fraude imperantes uti oportet ad commodum ſubditorum*. Et quis eſt adeò ſui potens, alterius verò ſalutis oblitus, qui à viro magno poſtulet, ut omnia ſenſa ex animi ſententia coram quovis expromat? Quantò rectius Philoſophus *cap.* 3. *Eth.* lib. 4. *Vir magnus*, inquit, *utitur libertate in loquendo & veritate, non verò loquitur ad voluntatem illorum: reticet etiam & diſsimulat apud infimos, indignos nimirum, quibus omnia ſua conſilia, dicta, factave aperiat, aut communicet:* Ideò in veteri gloſſario *diſsimulare* eſt σιωπᾶν.

Limites artis ſimulandi.

At enim verò ſunt limites hujus artis, quos egredi impunè non licet; ut ſunt fides, honeſtas, virtus. Quorum qui obliviſcitur, non amplius prudentis, aut politici nomen meretur, ſed vafri, aſtuti, ac nefarii hominis. Qui ſi politicus appellandus eſt; major eſt hoc tempore politicorum proventus, quam magiſtellorum qui in Scholis plorant, &, ut ait ille, *ternas docent*.

Civilis ſcientiæ rationes aliæ quàm vulgus putat.

Civilis autem ſcientiæ longè aliæ rationes ſunt, quam vulgus putat; veluti aliorum animos occupare, miris modis ſententiam extorquere, in ſuam ſententiam allicere, & id genus alia. Quemadmodum apud

Saluſtium

Saluſtium Metellus ille, *Legatos Iugurthæ, qui ad illum cum ſuppliciis venerant, alios ab aliis diverſos aggreditur, ac paulatim tentando, poſtquam opportunos ſibi cognovit, multa pollicendo perſuadet.* Hiſce nimirum artibus opus eſt in magnis & publicis negotiis.

CAPVT VII.

Temporum homines. Media via in negotiis publicis. Simulatio turpis. Simulatio aperta. Nimis preſſa. Simulandi difficultas, γόργυια γυμνά. Diſſimulatio ſuſpecta, incompoſita.

DE Franciſco Soderino Cardinali, & viro acuto, memoriæ proditum eſt, eum dicere ſolitum, nihil homini petenti excelſa, & præſertim in aulæ fortuna verſanti, vel uſu melius, vel expeditius eſſe, quam duabus omnino ſellis ſedere; vel, ut ait ille, τὴν μεσηγραμμὴν tenere, ſi abſque certa offenſione fieri poſſit; quorum nihil unquam ex toto in alterum aleæ inventum ſapienti periclitandum eſſe videretur. Itaque, reliquis Cardinalibus à Pontifice deficientibus, hic Soderinus ſolus manſit, tanquam conſiliorum Pontificis ſpeculator. Hujuſcemodi *temporum homines*, ut à Cornelio appellantur, in quodam depinxit Claudianus,

Duabus ſellis ſedere in præruptis negotiis, an expediat.

> *Libravit geminas, eventu judice, vires*
> *Ad rerum momenta cliens, ſeſeque daturus*
> *Victori.*

Ardua ſanè res ac periculoſa, præſertim in magnis & præruptis negotiis. Verius meo judicio Pontius ille apud Livium lib. 9. *Media via eſt, quæ neq; amicos parat, neque inimicos tollit.*

Periculoſiſſimum eſſe.

tollit. Et apud eundem lib. 35. Quintus ille Cos. Romanus ad Achæos: *Quod*, inquit, *optimum esse dicunt, non interponi vos bello, nihil tam vanum, aut tam alienum à rebus vestris est: quippe sine gratia præmium victori eritis*. Vbi addit Livius: *Nec inquit absurdè dixisse visus est Quintius*. Idem ait Tacitus de Valente, libro tertio Histor. *Mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit*.

Simulare volenti quæ cavenda.

At enim verò, quicumque hanc scenam agere decenter volet, à duobus cavere debet: Primò à simulatione turpi; deinde ab aperta. Est enim simulatio, quæ non tantum in vitiorum confinio posita est; verum etiam quæ ipsas possessiones intrat sceleris & flagitii. Deinde opera danda est, túm ne nimia sit simulatio, (nimis enim pressa erumpit) tum ut simulatè tegatur. Nam, ut ait Comicus:

Doli non sunt doli, nisi astu colas.

Et pulchrè Lyricus:

Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Aliàs enim fiunt γόργια γυμνά. Tiberius, astutissimus cæteroquin princeps, occiso Germanico, ut indueret luctum contra animi sui sententiam, larvam sibi ipsi detraxit; partim quod non simulatè texit, (neq; verò tunc temporis potuit: *aberat quippe*, inquit Tacitus, *adulatio gnaris omnib. lætam Tiberio Germanici mortem-*

mortem malè dissimulari) partim quod nimis tegere studuit, dum ingentem luctum super Germanici obitu ementitur; inquiens, *Deflco sum filium meum, semperque deflebo.* Quod falsum fuisse ex eo constat, quod paulo post discusso hoc, si Diis placet, luctu, ad munia Reipub. reversus est. Ideò acer scriptor argutè: *Periisse Germanicum nulli jactantius mœrent, quam qui maximè lætantur.* Sic cum quidam factum suum nimis diligenter & curiosè excusaret, Plinius lib. 1. Epistol. *Respondi,* inquit, *nunc me intelligere maligne dictum; quia ipse confiteretur, cæterum potuisse honorificum existimari.* Difficulter enim vultus, oratio atque actio ita tegitur, ut non appareat. Cœlius de Pompejo: *Quam orationem habuerit tecum, quamque ostenderit voluntatem. Solet enim aliud sentire, aliud loqui. Neque tamen tantum valere ingenio, ut non appareat quod sentiat, fac mihi perscribas.* Ac sæpe dissimulatio seipsam prodit. Veluti Vitellius nimiam securitatem ementitus suppresso Vespasiani nomine, magis de Vespasiano famam aluit. Quanto melius Eumenes, ut Perdiccam occisum, se ut hostem à Macedonibus judicatum, bellumque Antigono decretum cognovit, ultro militibus suis indicavit, *ne fama aut rem in majus extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret. Iustinus lib.* 14. Sic Galba seditionem duarum legionum ultrò asseveravit, ne dissimulata seditio in majus crederetur, ut est apud Tacitum. Et Valens cum milites seditiosi mortem meriti essent, usus moderatione, dissimulavit iram, & nullius supplicium poposcit: *ac tamen, ne dissimulans suspe-*

Tiberii ob occi- Germanicum luctus nimis simulatus, detectus.

Dissimulandi difficultas.

Quod simulatio seipsam sæpè prodat.

Exempla.

suspectior foret, incusavit: Idem ait Alexander apud Curt. lib. 7. *Nisi quæ delata essent excussissem, valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset.* Et Perdiccas cum nuptias Cleopatræ sororis Alexandri ambiisset, prius tamen Antipatrum sub affinitatis obtentu capere cupiebat. Itaque fingit se in matrimonium filiam ejus petere, quo facilius ab eo supplementum tyronum ex Macedonia obtineret. Verùm hunc dolum præsensit Antipater. Quare Perdiccas dum duas eodem tempore uxores quærit, neutram obtinuit. *Iustinus lib. 13.* Sic nimirum secundum Poëtam; *Eripitur persona, manet res.*

CAPVT VIII.

Arcanorum τύπος. Arcanorum varia genera: & totius operis partitio sive distributio. Humanarum rerum lapsus & incertitudo.

Arcanorum divisio.

Sunt triplicia. Duo propriè dicta; 1. Quæ statum præsentem conservant sextuplicia.

SVnt autem Arcana hæc varii generis. Omnia tamen intima & recondita consilia, tum stabiliendæ Reipublicæ præsentis formæ; tum etiam salutis eorum qui dominantur conservandæ. Et sunt triplicis generis: priora duo propriè sic dicta; postremum impropriè. Alia enim sunt arcana Rerump. quæ spectant ad præsentem Reip. formam atque speciem conservandam: & sunt sextuplicia; veluti arcana Aristocratica, contra plebem; Arcana Aristocratica, contra regnum; Arcana Democratica, contra Patricios; & arcana Democratica, contra regnum; Arcana Regia, (sive, ut Tacitus vocat,) Arcana Imperii, contra

tra plebem; & Arcana Regia, contra patricios; Quorum fundamenta sunt, & veluti στοιχεῖα, vel, si ita vis, cognata sunt illa, quæ appellantur Iura Imperii. Alia Rerump. arcana sunt, quæ spectant ad securitatem eorum qui principem locum in civitate obtinent, & propriè appellantur Arcana Dominationis: suntque triplicia; alia arcana dominationis regiæ, alia dominationis aristocraticæ, alia dominationis popularis. Hisque cognata sunt, quæ vel appellantur jura Dominationis, quæ sunt veluti restrictiones Iuris Imperii; vel Dominationis flagitia, sive, ut appellat Tacitus, Arcana domus: & sunt Imperii transgressiones. Eaque facio totidem, id est, triplicia. Vel enim sunt jura & flagitia dominationis regiæ, vel popularis, vel aristocraticæ. Tertii generis sunt quæ appellantur simulacra Imperii, sive Rerumpublicarum, & impropriè dicuntur Arcana. Ideo Tacitus vocat Arcana inania: quæ identidem pro forma Reipubl. variant. Vel enim sunt simulacra Regia: tum in aristocratico, tum etiam in populari statu; vel Aristocratica, in regio & populari; vel Popularia in regno & aristocratia. Quorum omnium quædam propria sunt, & uni Reip. formæ conveniunt; quædam communia, & omnibus competunt. Quibus omnibus accedunt arcana quæ appellantur militaria: item arcana privata, hoc est, intima consilia communis privatæque vitæ in luce hominum feliciter, & decorè instituendæ. His adde alia quædam abstrusa, & recondita Reipubl. administrandæ consilia, quæ omnia & ab ratione, & à multarum rerum eventu (qui, ut ait Livius, stultorum magister est) observata

2. Quæ Principum securitati serviunt, triplicia sunt.

Impropriè dicta imperii simulacra iterum varia.

Distributio hæc operis summam ferè continet.

vata ſunt. Nam, ut in omnibus publicis negotiis; ita etiam hac in doctrina plerunque obtinet illud Taciti: *Non perinde dijudicari potuiſſe, quod optimum factu fuerit, quam peſſimum fuiſſe, quod factum eſt.*

CAPVT IX.

Arcanorum fundamenta, atque ϛοιχεῖα, & quot modis differant arcana Imperii à Iure Imperii, ἀροσποῦδῃ. Arces, ſive propugnacula Majeſtatis, atque Imperii,

Iura Imperii ſunt fundamenta hujus doctrinæ. Circa quæ verſentur.

QVæ Rerumpublicarum Arcana ut rectius intelligantur, pretium eſt ſcire, quæ ſint ſumma illa Imperii jura, quæ ſunt veluti ϛοιχεῖα, atque fundamenta hujus doctrinæ. Et circa hæc quinque verſari tradit Ariſt. lib. 4. Polit. Circa comitia, magiſtratus, judicia, arma, & armorum uſum. Arcana enim hæc nihil aliud ſunt, quam abſtruſæ artes, per quas à jure Imperii, atque ab ipſa dominatione, homines ſeditioſi prohibentur. Quæ cognatio facit, ut multi hæc Imperiorum arcana cum jure Imperii confundant.

Arcana Imperiorum ut differant à Iure Imperii.

Cæterum differunt non uno modo, *Primo,* quia jus Imperii, ſive πολίτευμα, eſt quod competit ei qui in Republica primas tenet; eſtque extremum, ut appellat Cicero, & ſummum jus: Arcana vero Rerumpubl. ſunt modi, & rationes conſervandi illam Imperii Majeſtatem, ne ab aliis occupetur. Vis enim Imperii omnis in conſenſu obedientium eſt, ut ait præclarè Livius lib. 2.

Dicam clarius; Ius Imperii eſt, ne cuiquam liceat arma capere, aut tractare abſque

que consensu Principis; Arcanum Imperii est excogitare rationes, quibus contenta plebs, & quasi fascinata, ab armorum usu abstineat. Sic jus comitiorum, est jus Imperii: Arcanum Imperii, est licita aliqua fraude alios à jure comitiorum prohibere. Ius enim Imperii, est instar arcis, vel palatii; Arcana verò Imperii sunt veluti muri ac propugnacula, sive cuniculi qui hanc arcem à factiosorum injuriis defendunt: Quemadmodum Icilius ille apud Livium lib. 3. tribunitium auxilium, & provocationem plebis Romanæ, *duas* vocat *arces tuendæ libertatis*. & *lib. 6. consulatum* vocat *arcem & columen libertatis*.

Arcana Imperii sunt veluti arx & propugnaculum principalis Majestatis.

Secundo, Ius Imperii est ferè unum & idem in omnibus Rebuspubl. cujuscunque sint generis, neque variat. At verò arcana Imperii variant pro Reipub. forma. Alia enim arcana sunt regni Turcici, alia regni Galliæ, alia Venetorum, alia Noricorum, alia Argentinensium; hoc est, alia regni, alia plebis, alia Patriciorum.

Variant pro varietate Rerumpubl.

Postremo, jus Imperii, est purum putum, non simulatorium: At Arcanum Imperii est cum aliud agitur, aliud simulatur agi; quod pulchrè dicitur in glos. ἀφοσιοῦσθαι, id est, *perfunctoriè agere, & non ex animi sententia*. Exempli gratia; Creatio magistratus est jus Imperii, teste Modestino, & Zonara. At ne magistratus quinquennales fiant, est arcanum Imperii; *Tacitus 1. Annal.* Quare Tiberius, quod intelligebat quinquennalibus comitiis arcana Imperii tentari; tamen quasi augeretur potestas Imperatoria, disseruit: Hic enim Tacitus, *Favorabili*, inquit, *oratione vim*

Arcana, εἰρωνικά.

ne vim Imperii tenuit; id eſt, aliud dixit, ſive ſimulavit, aliud egit. Haſce differentias qui non agnoſcunt, eos parum aceti in pectore habere oportet.

CAPVT X.

Iura Imperii, Iura Majeſtatis, Sacra regni, Iura regni, ſumma rerum, πολίτευμα, Iura ſublimia, Fürſtliche Land Obrigkeit / *Regalia. Imperium. Principatus. Regnum. Poteſtates* ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι. *Dignitas. Culmen dignitatum. Autoritas. Autoritates. Senatus. Conſilium. Arbitrium. Autoritas Cæſaris.*

Iura Imperii variè appellantur.

SVnt igitur Iura Imperii, non Arcana Imperii, ſed horum στοιχεῖα, atque fundamenta; quæ M. Tullius appellat, *Iura Majeſtatis*: Livius, *Iura Summi Imperii. Proditum*, inquit, *à Patribus ſummi Imperii jus.* & lib. 3. *regiæ majeſtatis imperium.* & Curtius lib. 10. *Ius Imperii Perdiccæ morte ſanciendum eſt.* Idem Livius; jura Conſulum, jura regni. Tacitus, *ſacra regni*. Quomodo & ſacra legationis, ſacra fœderum, ſacra Larium. Livius nonnunquam appellat *ſummam rerum*. lib. 2. *Ad eos ſumma rerum, ac majeſtas Imperii conſularis venerat*. ICti, *ſacra ſacrorum, ſacra individua, Iura ſublimia*. Ariſtoteles πολίτευμα. Feudiſtæ, *Regalia*; quæ tamen latius patent. Germani ferè, Fürſtliche Land Obrigkeit: Et quæ ſunt plura ſummi Imperii vocabula.

Summi Imperii vocabula ut differant.

Quæ tamen plurimum inter ſe differunt. Majeſtas enim propria eſt ſummi Principis, & olim Conſulum, Senatus, Populique Roma-

Romani.*l.2. de orig.Iur.* & Livius lib. 2.*Iam prope erat,ut ne Consulum quidem majestas coërceret iras hominum.*Hinc Cicero,*Majestas,* inquit, *est magnitudo summi Imperii.* Præsidi etiam majestas tribuitur, sed abusivè. Eâdem etiam significatione summum Imperium usurpatur. Propriè tamen Imperium sumitur pro Imperio militari, ut antea notavit Sigonius. Cicero, *Idem dies & victoribus Imperii, & victis finem vitæ dedit.* Et alibi: *Demus igitur Imperium Cæsari, sine quo res militaris geri non potest.*Et in Oration.de Provinc. Cons. *Bellum tum maximis Syriæ gentibus tyrannis, consulari exercitu imperioq; confectum.* Sic Curtius lib. 4. *Tum miles adhuc inermis expectat Imperium.*Tribuitur etiam Magistratui ab Vlpiano in *l. 32. D. De Injur. Minores,* inquit, *magistratus neque potestatem habent.* Hinc Varro *in Satyr. Imperium populi petere & contendere honores.* Imperium itaque plerumque generale nomen est principatus,quod & Principium speciale. Ideo Cæsar lib. 6. de bello Gall. *Cingetorigi Principatus, atque Imperium est traditum.* Indistinctè tamen in gloss. Græci ἀρχὴ, *imperium, Magisterium, Præsidatus, Principium,* ponuntur. Sed & Principatus à regno distinguitur. Suetonius de Caligula. *Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret,speciemque principatus in regni formam converteret.* Et Tacitus 2. Annal. eum qui dominatur, distinguit ab eo qui regit: *Addidit,*inquit, *præcepta, ut non dominationem & servos,sed rectorem, & cives cogitaret.* Ab Imperio etiam differt potestas. *d. l. 32. De injur.* Hinc Potestates apud Ammianum, aliosque dicuntur, penes quos sunt Iura milita-

Imperium propriè pro militari sumitur.

Tribuitur & Magistratui.

Generale nomen est principatus.

Principatus à regno distinguitur.

militaria. Itali retinent *Podestà*. Germani der Gewaltige. Sed olim pro summo magistratu qui rerum imperium habebat sumebatur, *l. 13. De Iurisdict.* quod vel Paulo ad Romanos ἐξουσία ὑπερέχουσα. Longe aliud est Dignitas. Quivis enim Vrbani honores, teste Cassiodoro, appellantur dignitates. Pomp. & Tacitus vocat dignationem: lib. 2. Annal. *Sed & locis, ordinibus, & dignationibus antistent.* In Ecclesiasticis Historiis tribuitur iis, qui hodie dicuntur Reverendi. Quare Pontificii interpretes, Pontificatum appellant culmen dignitatum. Sic Autoritas distinguitur ab Imperio. Livius lib. 1. *Euander autoritate magis, quam Imperio ea loca regebat.* Sed & Senatusconsulta, quæ absente Cæsare fiebant, neque dum ad ærarium delata erant, Autoritates dicebantur, ut alii notarunt ex Dione. Quinimo Tacitus SCta sub Impp. facta non tantum autoritates, verum etiam adulationes appellat. 2. Annal. *Quorum autoritates, adulationesque retuli.* Aliàs Autoritas plerumque Senatui tribuitur. Cicero 2. off. *Cum dominatu unius omnia tenerentur, neque esset consilio aut autoritati locus.* Et Tacitus 12. Annal. *An jussu populi, an autoritati Senatus cederet.* Nonnunquam etiam Principi. Plinius 4. Epistol. *Cæsare autore Senatus consuluit.* Et in inscriptione Brixiensi. *Ex Senatusconsulto, & ex autoritate Cæsaris.* Sic Imperium à necessitate dispungit Cæsar: *Quod abesse*, inquit, *à periculo viderentur, neque ulla necessitate, neque imperio continerentur.* Eodem modo Consilium sejungitur ab Imperio. Livius lib. 1. *Nec imperium illud meum, sed consilium, & Imperii simulatio fuit.* Et lib. 6. *Sed Imperium,*

Dignitas quid & quid differat à potestate.

Autoritas ab imperio distincta.

Senatusconsulta quatenus autoritates dicta.

Necessitas ab Imperio dispuncta, itidem consilium.

rium, quam consilium segnius fuit. Et lib. 22. *Non imperio modo, sed consilio etiam, ac prope precibus agens.* Et Curtius lib.5. *Sive Imperium magis, quam consilium sequentibus.* Sed & Imperium à Tacito arbitrium appellatur 6. Annal. *Mox rei Romanæ arbitrium tribus fermè & viginti annis obtinuit.* Et Iustinus lib.1. *Arbitria principum pro legibus erant.* Hinc, *arbiter rerum.* 2. Annal. *Si solus arbiter rerum, si jure & nomine regni fuisset.* Quos Livius lib.9. appellat *Dominos rerum temporumque.* De quibus omnibus ago plenius in tumultuariis meis, lib.5. c.3. Subtiliter enim hæc principatus, potestatumque vocabula distingui debent. *Imperiũ dictum & Arbitrium.*

Cæterum hanc Majestatem graphicè describit Gunterus *lib.4.*

Scilicet hanc in se majestas regia justi
Vim terroris habet, procul, an prope; præsto, vel absens,
Semper terribilis, semper metuenda, suoque
Plena vigore manet, nulliq; impunè premenda
Creditur, & semper cunctis, & ubiq; timetur.

CAPVT XI.

Definitio juris Imperii: Quibus in rebus consistat Ius Imperii: Et quot sint species, sive capita Iuris Imperii.

IVs hoc Imperii definio, *potestatem absolutam, atque extremum Ius omnium earum rerum; quæ ad majestatem Regni, & Reipubl. pertinent, vel belli titulo, vel subditorum patientia acquisitum*: quodve tale est, ut non facile aliis demandetur, &, ut ait Poëta ille, *Partiri quod nemo potest.* Illud est quod Sal- *Ius Imperii quid.*

Iura Imperii penes eos solos esse debent, qui imperant.

Iustius apud Tacitum lib. 1. Annal. monuit Liviam, *ne vim Principatus resolveret, cuncta ad Senatum vocando; eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur.* Quem locum Tacitus ex Aristotele mutuatus mihi videtur.. Ita enim in 4. Politic.4. *καταλύονται πᾶσαι αἱ ἀρχαί* hoc est, ut vertit Tacitus, *resolvi*. Quo identidem respexit poëta;

Clavumque adfixus & hærens,
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

Majestas in duobus consistit.

Cæterum majestas potissimum in duobus consistit.

1. *Primum*, ut princeps legibus sit solutus, 2. deinde ut civibus, & subditis leges ponat.

Quam necesse in Republic. aliquem esse solutum legibus

Quod utrumque fieri ex usu est Reipubl. imprimis in principatu, & Republ. turbulenta. Quare cum Consules Romani increparentur, quod largitiones Sp. Melii, cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri, Titius Quintus, *immerito Cos. increpari dixit, qui constricti legibus, de provocatione ad dissolvendum Imperium latis, nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. Itaque opus esse non forti solum viro, sed & libero exolutoque legum vinculis.* Livius lib. 4. *Idcirco Dictator creatus est, adversus cujus vim Tribuni plebis, aut ipsa plebs ne attollere quidem oculos, aut hiscere audebat.* Livius lib. 6. Alterum est, ut legem det aliis. Quæ duo in regno obtinet rex, in Rep. populus, in Aristocratia Patricii, sive, ut est in gl. *ἀρωτοπολῖται*.

Cæte-

Cæterum majestas latè patet. Ad undecim *Vnde-*
tamen species plus minus adstringi potest: ut *cim ca-*
sunt; 1. Legem aliis dare, non accipere; 2. Le- *pita*
gibus solutum esse; 3. Magistratus creare. 4. *summi*
Ius mittendi legatos ac recipiendi; 5. Ius vitæ *Imperii.*
& necis; 6. Ius rerum sacrarum; 7. Extrema provocatio; 8. Bellum inferre & pacem facere; 9. Monetam cudere; 10. Ius Nundinarum; 11. Ius vectigalium.

Quorum quædam Ligurinus ille lib. 8. hisce versibus comprehendit, quædem etiam addit, quæ propriè Regalia appellantur, eaque huc non refero:

Ac primum Ligures super hoc à rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis telonia, flumina, pontes,
Id quoq; quod fodrum regali nomine dicunt,
Et capitolitium certo sub tempore censum,
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.

Harum enim ferè rerum potestas penes illos esse debet, qui in Republ. imperant: suntque hæc paulò fusius explicanda atque illustranda, ad naturam Arcanorum intelligendam.

CAPVT XII.

Legibus solutum esse. Principatus Romanus solutus Legibus scriptis. Quomodo dicitur lex vinci, alios certis legibus solvere. Augu- *Pri-*
starum potentia in principatu Romano. Pro- *mum*
vocatio immortalis Dei ad populum. *caput*

HVjus Imperii usus in Republ. turbu- *summi*
lenta maximus est, quicquid alii ne- *Imperii,*
gent. *legibus*

Ideoque Pompejus lege Gabinia legibus *solutum*
solutus est. Quod tamen non potuit fieri, nisi *esse.*

ducenti Senatores adessent, ut notat Asconius.

De regibus quidem Romanis auctor est Tacitus 3. Annal. iis leges scriptas fuisse: *sed præcipuus*, inquit, *Servius Tullius sanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent*; quarum tamen exemplum luculentum vix extat. Stante Republica, Dictatores aliique in bellum ituri, legibus solvebantur; sed ad tempus tantùm. Principatus verò Romanus in perpetuum ab omnibus legum vinculis exolutus est, teste Dione. 53. ἤδη δὲ καὶ ἕτερόν τι, ὃ μηδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων ἐδόθη, προσεκτήσαντο. λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ λατῖνα ῥήματα λέγει, τουτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεώς εἰσι, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. *id verò sibi usurpaverunt, quod ante civium Romanorum datum est nemini, ut soluti legibus esse dicantur, hoc est, omni legis necessitate liberati, nec iis, quæ scripta sunt, subjecti*. Et postea: *Senatus*, inquit, *Cæsarem à quo magno honore afficiebatur, ut Imperatorem decreto liberavit omnibus legum vinculis, ut ea quæ vellet, faceret, ut iis quæ nollet abstineret.*

Principes Romani soluti legibus.

Hinc Vlpianus: *Princeps*, inquit, *legibus solutus est*, scilicet scriptis; quemadmodum cum ex Dione, tum ex Corn. Tacito liquet. Id ait Plato, ἄρχοντα κατὰ νόμους οὐκ ἀνυπεύθυνον. Hoc sensu capienda sunt illa Taciti. 2. Annal. *Lætabatur*, inquit, *Tiberius cum inter filios ejus, & leges, Senatus disceptaret; Victa est sine dubio lex; sed neque statim*, & paucis suffragiis; quomodo etiam, cum valerent, leges vincebantur*. Eodem modo Livius lib. 3. *Vt satis appareret, si sic agi liceret, victam legem*

esse,

esse. Quare Augustus alios etiam legibus solvit, veluti conjugem lege Voconia *Dion.* 58. Liberos legibus annariis. Tac. 1. Ann. *Augustum, Cajum & Lucium nondum posita puerili prætexta, consules designavit.* Et de Tiberio 3. Annal. *Tiberius Neronem ingressum juventam commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur, & quinquennio maturius, quam per leges, quæsituram peteret postulavit, prætendebat sibi atque fratri decreta eadem, petente Augusto.* Sic pontifex Ambrosium, Nicolaum & Severum eâ lege solvit, ne sacris initiarentur, ac tamen Episcopi fierent. Sed & Tiberius equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat. *Suetonius in Tiberio.* *Principes Romani alios certis legib. solverunt.*

Augustas tamen legibus solutas fuisse, nusquam reperias, quod tamen multi existimant: quamvis harum potentia fuerit maxima. Cujus rei exempla, ut omittam alia, fuerunt in illa Virgulania, & Placina, Pisonis uxore; quas judicio Senatus extraxit Livia; & hanc secutæ non nullæ aliæ, ut Theodora Iustiniani, & in primis Agnes illa, mater Henrici IV. quæ Ducem Sueviæ accusatum in consensu Imperatoris & Archiepiscoporum absolvit, Cujus rei autor Scafnaburgensis. *Augustæ legib. solutæ non fuerunt.*

Cæterum aurea est illa Impp. sententia: *Revera majus imperio est summittere legibus principatum.* Ideò Tac. 3. Annal. *Præcipuus,* inquit, *astricti moris Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in Principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus & metus.* Et Plinius in paneg. *Nec tam imperio nobis opus, quam exemplo.* Nam hæc *Princeps exemplo major.*

legibus soluta potestas, quousque extendi debeat, & intra quos terminos conscribi, agendi locus est infra lib. 4. & 5.

Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum
Aut regale puto, quam legis jure solutum,
Sponte tamen legi sese supponere regem.
Gratia sit magno, qui temperat omnia regi.

Vt canit Germanus vates lib. 8. de rebus gestis Friderici. Exemplo nimirum admirando illo justissimi Dei, apud Ieremiam capite quadragesimoquinto, *Cogite*, inquit, *omnes populos totius orbis terrarum, ut inter me & populum meum judicent, si quid à me fieri debuit, quod non fecerim.*

CAPVT XIII.

Leges dare, non accipere. Legibus imperare. Legibus fraudem facere nemini licet. Novi Iuris repertor Tiberius. Invictum legibus esse.

Secundum caput summi Imperii, legem ferre.

LEges ferre summi Imperii est, estque proprium ejus, qui in Republ. principem locum obtinet. Is enim leges dat, non accipit, nisi à summo Deo, quod ait Propheta & Rex: *Tibi soli peccavi.* Quam majestatem Romani curiosè exercuerunt adversus hostes. Quo modo Q. Cicero, teste Cæsare libro quinto de bell. Gall. respondit Nerviis; *non esse consuetudinem populi Romani ullam accipere ab hoste armato conditionem.* Et Curtius lib. 8. *Quos equidem victores esse confiteor, si ab illis leges, queis vivamus, accipimus.* In quam identidem sententiam Carolus V. ad Pontificem scripsit: Non esse ex dignitate Augusti, longè maximi Principis, leges accipere, minisque terreri; ab his maximè, qui Imperio suo

Princeps à Deo solo leges accipit.

sub-

ſubjecti, & dijudicante fortuna, toties bello victi ingratique, demum graviore pœna digni cenſerentur. *Iovius in vita Leon. X.*

Cujus autem eſt legem jubere, ejuſdem eſt abrogare; etiam ſubrogare; hoc enim eſt οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων ἄρχειν, *non ſolum juxta leges, ſed etiam ipſis legibus imperare*, ut ait Plutarchus, in Flaminio. Ideò Tiberius in cauſa Piſonis, quod vetere Senatuſconſulto quæſtio in caput Domini prohibebatur, mancipari ſingulos ſervos actori publico jubet. Idem fecit in filiola Sejani; quæ, (quod triumvirali ſupplicio virginem affici inauditum habebatur) juxta laqueum & carnificem compreſſa eſt. Tacitus 6. Annal. Sic Triumviri, ut impubes ſecundum legem ſupplicio afficeretur, prius eum induerunt toga virili. Quæ tamen exempla, quamvis ad ſecuritatem Principum pertinebant; tamen & in ludibrium legum excogitata ſunt, & cum crudelitate conjuncta; adeoque potius ad flagitia dominationis referenda. Vnde Tacitus Tiberium appellat callidum, & novi juris repertorem.

Ejuſdem eſt leges abrogare & ſubrogare.

Ejuſdem poteſtatis abuſus in Tiberio.

Cæterum fraudem legi facere nemini licet. Ideò C. Licinius, teſte Livio lib. 7. à M. Popilio Lenate, lege ſua, decem millibus æris eſt damnatus, quod mille jugerum agri cum filio poſſideret. Id ait Fabius Max. lib. 10. apud eundem; *Quid ergo attinet leges ferri, quibus per eoſdem qui tuliſſent, fraus fieret; jam regi leges, non regere*. Quare Tiberius, cum fœminæ famoſæ, ut ad evitandas legum pœnas, jure ac dignitate matronali exſolverentur, lenocinium profiteri cepiſſent, & ex juventute profligatiſſimus quiſque, quo minus in opera

Fraudem legi facere nemini licet, vix etiam Principi.

scenæ arenæque edenda Senatusconsulto tenerentur, famosi judicii notam sponte subissent, eos easque omnes, *ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset*, exilio affecit. Quo pertinet Senatusconsultum apud Tacitum *ne simulata adoptio, in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hæredibus prodesset*: Eadem enim majestas est, ne quis leges Imperii violet: *Nec me regnante licebit*, ait Imperator ille apud Gunterum lib. 8.

Imperatoria Majestas legibus armata.

Has cuiquam nostras impune lacessere leges;
Ac si quis tumidus præsumserit obvius ire,
Supplicium præsens, manifestaque pœna docebit,
Non magis invictum bello, quam legibus esse.

Idem Iustinianus *Istorum*, inquit, *alterum alterius auxilio semper eguit, & tam res militares legibus, quam ipsæ Leges armorum præsidio servatæ fuit*. Sic Const. dixit, *armari jura gladio*; & Livius lib. 6. *Ipsi causam plebis ingentibus animis armant.*

CAPVT XIV.

Iura comitiorum: magistratus creare; candidatos commendare: creationem ratihabere. Deorum secundorum cura. Cadilesqueri Turcarum.

Tertium caput summi imperii; magistratus creare, & jus comitiorum.

HOc jure comitiorum, & creandi Magistratus, apud Venetos, teste Contareno, nullum sanctius est atque antiquius: & meritò; quippe quod in eo maxima Imperii majestas atque dignitas elucet. Ideò Decemviri, apud Livium, fœdus clandestinum fecerunt, ne comitia haberentur, perpetuoque Decemvirati possessum semel retinerent imperium.

Fuit

Fuit autem hoc ferè semper populi Romani: *Mutata Republica è campo ad patres translatum est*, ut testatur Tacitus tandem ad Principem: Modestinus. *l. unic. ff. ad leg. Iul. amb. Ad curam*, inquit, *Principis magistratuum creatio pertinet, non ad favorem populi.* Et Zonaras; *Creatio*, inquit, *magistratuum maxima pars est muneris Imperatorii*: Idque Mecænas apud Dionem multo ante Augustum monuit, *ut solus, sine plebe, populo, ac Senatu, magistratus crearet*. Quare Tiberius teste eodem Dione lib. 58. omnium consulum, quorum erat olim summum Imperii, nomen, renunciationem sibi soli attribuit, cæterorum tamen magistratui indulsit, commendatione sua interposita. Eadem commendatione usus est Cæsar; *Commendo vobis illum, & illum ut vestro suffragio dignitatem suam teneant*. Verum enimvero hoc fuit sophisma tantum ac simulacrum, ne cruda adhuc servitute uno ictu totum Imperium populo Romano amputaret, de quo libro ultimo. *Tiberii caput in commendatione Candidatorũ.*

Habuit certe hæc commendatio necessitatem aliquam: *Hæc enim conditio Principum*, ut etiam Quintilianus Declam. 4. *ut quicquid faciant præcipere videantur*. Cajus etiam, vel dominandi imperitia, vel studio ludificandi plebem, tentavit, comitiorum móre revocato, suffragia populo reddere. Nam id postea omisit. Tranquillus in Caligula. Sufficit tamen nonnunquam ratihabito, in creandis magistratibus, ejus qui summum Imperium habet; veluti teste Cassiodoro Theodoricus rex Gothorum ad Senatũ scripsit: *Iudicium vestrum Patres conscripti, noster comitatur assensus.* Quemadmodum enim Plato in mundi guber- *Sufficere aliquando ratihabitionem.*

 natione,

natione, facit Deum Deorum relinquere Diis secundis minora officia: ita etiam Principes consultò, minorum magistratuum creationem relinquunt aliis, ceu Vicariis suis; veluti Imperatores Turcici suis Cadilesqueris, ut vocant. Ideò de Tiberio Historicus, eum per literas patres obliquè castigasse, quod cuncta ad principem rejicerent, & M. Lepidum & Mœnium Blæsum nominasse, ex queis proconsul Asiæ legeretur. Illud memoratu hoc loco dignissimum est, de populo Vngariæ, qui patrocinii specie in Turcarum servitutem redigi maluit, quam sinere regis creandi potestatem sibi extorqueri. Quod & in sacro ordine locum habuit: mortuo enim Treverorum Archiepiscopo Eberhardo, quidam consilio & autoritate solius Coloniensis Episcopi Episcopatum suscepit. Verum tam clerus, quam populus, quod se non vocatis neque consultis Episcopus electus esset, adeò graviter ferre, ut è vestigio electum ex altissima rupe præcipitarint. Postea tamen, consentientissimis animis, tam clerus, quam populus Episcopatum tribuerunt Vtoni. *Iacobus Scaffneburg.*

Certamina de hoc jure.

CAPVT XV.

Quarnum caput summi imperii jus rerum sacrarum.

Ius rerum Sacrarum. supplicationes publicæ. Penes quos Rep. Roman. fuerit jus sacrum. Summus Imperator. Summus Pontifex; ὅτι ... ςημονάρχης. Quare Christus inter Deos non relatus. Pontificum Ius. Eorundem profunda ambitio

IVs rerum sacrarum, quod Virgilius 2. Æneid. vocat Ius sacratum, quodve ingentem majestatem ac reverentiam principibus conciliat,

ciliat, ad summum imperium refero. Idque antiquissimi reges & principes sedulò coluerunt. Iustinus de Iudæorum Republ. *Post Mosen*, inquit, *ejus filius Arvas, sacerdos sacris Ægyptiis, mox rex creatur, semperque exinde hic mos apud Iudæos fuit, ut eosdem & Reges & Sacerdotes haberent.* Et de rege Anio Poeta, 3. Æneid. *Rex idem hominum Phœbique sacerdos.* Religio enim, ut Afer ille Episcopus dicebat, in Republ. esse debet, non contra. Quam fuisse caussam existimo, propter quam Turcarum Imperator, receptis in fidem Regibus, cum multa Imperii jura remittit, præter alia pauca sacras & publicas preces, quæ pro salute Principis in templis concipiuntur, perpetuò excipit. Hinc etiam apud Romanos supplicationes, de rebus feliciter domi militiæque gestis, à solo Senatu decerni potuerunt.

Enimvero Ius hoc, in Republ. Romana, non reperio penes alios fuisse, quam penes reges & Impp. & penes summum illum ac maximum Senatum in L L. regiis. *Rex sacrorum præses esto.* Pontificis enim tantum jus fuit, sacra administrare, scireque, ut ait Livius lib. 1. *quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur.*

Ejectis regibus, penes Senatum fuisse constat ex Senatusconsulto, quo ædilibus remissum est, ne qui nisi Romani Dii, neve alio more quam patrio colerentur. Et quod M. Æmilius pro concione recitavit, ut quicunque libros vaticinos precationesque, aut artem sacrificandi conscriptam haberent, eos libros omnes ad se deferrent, ne quis in publico sacrove loco, novo aut externo ritu, sacrificaret. Livius.

Reges & sacerdotes iidem apud Iudæos secundum Iustinum.

Supplicationes de rebus gestis, à solo Senatu potuere decerni.

Apud Romanos Rex sacrorum fuit.

Apud eos præses sacrorum Rex fuit.

Ejectis regibus senatus.

vius lib. 15. Cumprimis verò ex illo apparet, quo cautum est, *ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia essent: Si quis tale sacrum solemne ac necessarium duceret, ne sine religione ac piaculo se id omittere posse apud Prætorem Urbanum profiteretur, Prætor Senatum consuleret, si ei permissum esset, cum in Senatu centum non minus essent, ita id sacrum fieret, dum ne plus quinque sacrificio interessent.*

Mutata Republ. Imperatores.

Mutata verò Republica ut omnia, ita etiam quæ ad res divinas pertinebant, in se transtulerunt Imperatores. Tacitus 3. Annal. *Nunc Deum munere summum Pontificem, summum hominum esse.* A primis tamen Imperatoribus, quædam Iuris sacri, Senatui indulta sunt.

A quibus primitus quædam Iuris sacri Senatui indulta.

SCtum, ne Christus inter Deos referretur.

Quod testatur Tacitus 2. Annal. *factum Senatusconsultum de sacris Iudaicis, Ægyptiisque pellendis.* Et sub Claudio Senatusconsultum factum est, *viderent pontifices, quæ retinenda firmandaque Aruspicum essent.* Nam Senatusconsultum illud contra Tiberium latum, ne Christus inter Deos referretur, singulare & μυστικὸν esse scimus. Similiter, cum Alexander Severus Christo, unico Servatori nostro, templum facere destinarat, eumque inter Deos recipere, (quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri) prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optato venisset, & templa reliqua deserenda. *Æl. Lamprid. in Severo.* Sed hoc, ut dixi, mysticum est. Ius enim sacrum postea solius fuit summi Principis. Leo ad Imp. Leon. *Debes,* inquit, *Imperator incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè, ad Ecclesiæ præsidium esse collatum.*

collatum. Quo facit responsum illud Demetrii Chomateni, in resp. Oriental. quod miror ab aliis negligi. *Imperator*, inquit, *ut communis ἐπιστημονάρχης existens & nominatus, synodalibus praeest sententiis, & robur tribuit; ecclesiasticos ordines componit, & legem dat vitae politiaeque eorum, qui altari serviunt.* Et postea; *ut uno verbo dicam, solo sacrificandi excepto ministerio, reliqua pontificialia privilegia Imperator repraesentat.*

Postea solius fuit principis.

At enimvero Ius hoc, Sacerdotes sive Pontifices Romani, vel ambitionis aestu inflati, vel lenitate, & religione Principum adducti, involarunt; adeoque apposite illud Ottonis apud Tacitum huc convenit, *Imperium amore religionis seipsum exhausisse.* Hinc ex uno capite biceps factum est, de quo Gunterus lib. 5.

Biceps Imperium factum à Romano Pontifice.

Quos laude serena
Infula vel gladius mundo facit esse verendos.

Quod tolerandum esset, nisi insuper falcem in negotia Reip. immitterent; imò ipsi Principi diem dicerent. Vnde in Proverbium ivit, teste Guicciardino in Comm. Polit. *Caesares timere, & odisse, proprium esse Ecclesiae.* Quam impietatem ambitionemque, Illustris Scriptor, Otto Frisingensis, Pontificius caeteroquin Episcopus, multis in locis graviter atque argutè perstrinxit. Et hunc secutus alter ille Augustorum Vates lib. 6.

Iam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult, quam praesul haberi.

Ac tamen hic ipsus est, qui olim Imperatorem Dominum suum appellavit, ut constat ex diplomate illo, cujus meminit Guicciardinus

in fragmentis, quę dolo malo ex prudentissimi scriptoris Historiis detracta fuerunt, & nuper velut ex postliminio restituta, *Imperante Carolo Domino nostro.*

CAPVT XVI.

Monetas cudere. monetas sua imagine signare. signatam monetam vultu Principis conflare. Religio Romanorum circa monetas.

Quintum caput summi Imperii monetas cudere.

ETiam monetas cudere jus imperii est. Quod jus cum olim esset penes Triumviros monetales, in se transtulerunt Cæsares. Hinc in acclamationibus Principum: *Moneta nomen Antonini reddatur.* Æl. Lampridius in Severo. *Et Antonino Diadumeno ad Imperium evecto, statim apud Antiochiam moneta Antonini nomine percussa est.* Sic Vopiscus in Firmo: *Cum ille diceret Firmum latrunculum fuisse, non Principem: contra ego illum, & purpura usum, & percussa moneta Augustum esse vocitatum; quinque etiam numos Severus Archontius protulit.* Præter enim Principem nemini licuit monetas cudere, vel sua imagine signare. Quare Commodus Perennium, familiarem suum, pœna capitus affecit, quod numos publicos sua imagine signasset. *Herodianus in Commodo.* Idem de rege Persarum refert Herodotus, qui eandem ob causam Ariandrum præfectum Ægypti securi percuti jussit: & de Vngarorum Politia Otto Frisingensis. *Nullus*, inquit, *in tam spatioso ambitu, rege excepto, monetam vel telonium habere audet*: Vnde Poeta lib. 3. de Frid. I.

Et sua imagine signare.

Rege figuratam regis patet esse monetam
Cæsaris, & Domino sub Cæsare fulget imago.

Quod identidem Ius Turcæ, teste Bonfin. nemini-

mini concedunt. Hodie autem, in Germania & Italia, in tot ferè partes distractum est, quod sunt Principatus, Comitatus, Civitates. Cæterum in principatu Romano tanta olim Religio fuit circa monetas, ut nefas fuerit vultu Principum signatam monetam conflare; adeoque qui hoc ausus fuerat, lege Cornelia tenebatur: ut testatur Paulus lib. 5. *Sentent. tit.* 25. Imo cum in provinciis omnibus numos æreos & argenteos liquefieri permissum esset, aureos conflari vetitum fuit, teste Procopio & Zonara. Hinc Statius:

Iura monetarum in Germania distracta sunt. Nefas signatam imagine Principum monetā cōflare.

> *Quæ dudum in vultus igni formanda liquescat*
> *Massa, quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.*

Vnde etiam gravissimè puniebantur, illi qui numorum circulos circumcidebant. De quo extat Constitutio Constantini in Codice Theodosii; & majestatis pœna tenentur, qui numos corruperunt. *l.* 2. *C. de fal. mon.*

CAPVT XVII.

Ius vitæ & necis. Pugio. gladius. condemnatos absolvere. jura ordinis reddere. commeatum concedere. Consilium magnum Venetorum. Pœnam differre. Sententiam in acta relatam mutare. Secunda deliberatio Principis. Iudex Μεσόδικος.

Sextum caput summi Imperii, jus vitæ & necis.

SExta species est, Ius vitæ & necis. Curtius de rebus gestis Alexandri lib. 4. *Et cùm in regali solio residebis vitæ necisque omnium civium dominus.* Cujus testimonium sive insigne, apud Imperatores Romanos erat pugio, & gladius. De Galba Imperatore facto. *Iter inquit, ingressus est paludatus, ac depēdente à cervicibus,*

Pugio insigne Imperii.

vicibus pugione ante pectus, & Tacitus lib. 3. Histor. *Vitellium, solutum à latere pugionem, Cæcilio Simplici Consuli in concione reddidisse, tanquam Ius vitæ & necis.* In inauguratione enim Principi pugio tradebatur, velut insigne Imperii. Quo nomine Commodus Imperator à militibus salutatus, & circumlatus est per celeberrimos vicos, strictum D. Iulii gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi à quodam. Vnde existimo consuetudinem illam curiæ mansisse, ut regna per gladium traderentur, de quo Frisingensis.

Cōdemnatos absolvere solus potest qui principatum obtinet.

Quare condemnatos, vel à se, vel à Senatu, absolvere, jura ordinis reddere, solus potest is, qui in Republ. Principatum obtinet, ut Vergobetti apud Gallos; de quo *Cæsar. lib. 1. de bell. Gall.* Item Tribuni, vel potius populus, teste Livio, & Halicarnassæo: & Imperatores Romani, quippe qui erant perpetui Tribuni. Tacitus 14. Annal. *Tunc primum*, inquit, *revocata ea lex credebatur, qua haud perinde exitium Antistio, quam Imperatori gloriam quæsivit, ut condemnatus à Senatu, intercessione tribunitia, morti eximeretur.* Hinc Iulianus, *Scis*, inquit, *quam sim lentus ad condemnandum, & quanto lentior, postquam condemnavi, ad ignoscendum.* Et Augustinus de Fato: *Imperatori soli licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & ipsi ignoscere. Et in l. 1. C. de sentent. pass. & restit.* ad Licianum in Insulam deportatum Antoninus Augustus; *Restituo*, inquit, *te in integrum provinciæ tuæ.* Et adjecit, *ut autem scias, quid sit in integrum restituere; honoribus & ordini tuo, & omnibus cæteris te restituo.* Vnde Carolus V. cum Senatui

Item honoribus restituere.

tui Mediolanensi omnia penè jura Imperii concederet, hæc duo excepit. 1. Ne possint delictorum veniam tribuere; 2. Neve literas salvi conductus sive pacis publicę, reis darent; *teste Bodino*. Nam, de commeatu remeatuque concedendo exuli, cavit Marcianus in *l.* 4. *ff. de pœn.* Sic apud Venetos, nemo damnatus restitui potest, nisi à toto Senatu, quem appellant *Consiglio magiore*. Quam ob causam pœna eorum, quos Princeps jusserat supplicio affici, differebatur in decimum, (ut testatur Tacitus 3. Annal.) sive, ex constitutione Theodosii, in 30. diem: *l.* 20. *C. de pœnis*.

Item delictorum veniam tribuere.

Et Commeatum concedere.

Iudex vero sententiam in acta relatam mutare nequit. *l. quod jussit. D. de Iudic.* & ejus sententia statim executioni datur *l.* 15. *C. de pœnis*, idque duabus de causis. Prima est, quod sæpe interjectu temporis dominantium severitas mitigatur. Quod de eodem Theodosio Aurel. *Irasci sane*, inquit, *rebus indignis, sed flecti cito, unde modica dilatione emolliebatur.* Ammianus vocat *secundam deliberationem, lib.* 15. Quod tamen de Tiberio frustra fuit. *Neque enim*, inquit Tacitus 3. Annal. *interjectu temporis mitigabatur*. Deinde, Iudex jus vitæ & necis non habuit, sed solus Princeps:

Iudex sententiam mutare nequit, sed executioni statim dare tenetur.

A quo sæpe rei, nullo licet ære redempti,
Accipiunt propriam donato crimine vitam.

Vt est in Liguri. lib. 4. Idque ait Tacitus 1. *Sed non Senatui libertas ad pœnitendum erat.* Et causa redditur: *l.* 18. *C. eod. ne sit occasio supplicandi, vel malignis artibus absolutionem impetrandi.* Quomodo verò Iudex sententiam latam lenire possit, vide Cujacium in Observationibus. Vnde ab Aristotele dicitur Μετόδικ@. Multo autem minus hoc jus populus habet,

bet, de quo cautum est *l.* 12. *C. eod. Vanæ voces populi non sunt audiendæ; nec enim vocibus eorum credi oportet; quando aut noxium crimine absolvi, aut innocentem condemnari considerat.*

CAPVT XVIII.

Legatos mittere ac recipere. Subditi non habent jus legationis. Oratores publicæ causæ. Inter dissentientes cives jus legationis obtinet.

Septimum caput summi imperii Ius Legationis.

LEgationis etiam jus extremum est ac summum: id quod propterea diis immortalibus tribuunt Poetæ. Virgilius:

Interpres Divum fert horrida jussa per auras.

Curtius libro decimo ait regium esse. *Et pristina quidem regia species manebat. Nam & legati gentium, regem adibant, & copiarum duces aderant, & vestibulum satellites armatique compleverant.* Ideò ex hoc legationis Iure, Legati sancti sunt & inviolabiles, etiam hostilia tentantes, ut est quorundam sententia.

Ex hoc jure Legati sancti.

Et Livius de Legatis Tarquinii libro primo: *Quanquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit.* Cæterum Romani paucis hoc jus concesserunt. Galliæ tamen Reges olim sub præfectis Prætorii retinuerunt. Quinetiam primi Imperatores, occupato Imperio, Senatui reliquerunt. De Augusto Dion. lib. 55. *Augustus,* inquit, *permisit tribus viris consularibus, ut legatos regum populorumque, qui ad se venirent, ipsi singuli audirent separatim, iisque responderent; nisi fortè quædam acciderent, in quibus suo & Senatus decreto opus esset.* Et de Tiberio Tranquillus: *Cætera quoque non nisi per Magistratus,*

Senatui tamen occupato imperio ab Imperatoribus Concessum.

tus, & jure ordinario agebantur, tanta Coss. autoritate, ut Legati ex Africa adierint eos quarentes, trahi se à Cæsare, ad quem missi forent. Alioquin subditis legatos mittere, regulariter non licuit. Ideò Livius libro sexto scribit: *Colonis Circejensibus denunciatum Senatus verbis, facesserent propere ex urbe, ab ore atque oculis populi Romani, ne nihil eos jus legationis, externo non civi comparatum, tegeret.*

Aliud est inter cives dissentientes, & jure civitatis turbato; inter quos manet jus Legationis. Cicero libro tertio de finibus. Et sub Impp. civitatibus legatos mittere licuit, sed non plusquam ternos, ex edicto D. Vespasiani: ut est in *l.4. D. de Legation. Milites tamen seditiosi Legatos miserunt.* Blæsus apud Tacit. 1. Annal. *Decernerent legatos, seq. coram mandata darent.* Hinc factum est, ut is, qui à seditiosis militibus mittebatur, ut de postulatis ac desideriis militum referret, non tam Legatus appellaretur, quam Orator publicæ causæ; Tacitus ibid. *Quod filius Legati,* (hoc est, Blæsi, qui erat Legatus militaris Germanici) *Orator publicæ causæ fati: ostenderet, necessitate expressa, quæ per modestiam obtinuissent:* quanquam ibidem etiam Legatos appellat. Legati enim dicuntur omnis generis: Oratores verò, qui deprecabundi veniunt, ut apud Maronem: *Orans mandata dabat.* Atque iterum ad milites mitti legatos, tralaticium fuit. Ideo Tacitus 1. Annal. *Cur venerint Legati aperit, Ius legationis, atque ipsius Planci gravem atque immeritum casum, facundè miseratur.*

Cives dissentientes habent jus Legationis.

Orator publicæ causæ.

Legatorum & oratorum distinctio.

C A-

CAPUT XIX.

Extrema provocatio. Summus causæ judex. Claudere jura manu.

Octavũ caput summi Imperii extrema provocatio. Primum usurpatum à regibus Romanis, deinde à populo.

NOn minorem Majestatem præ se fert extrema provocatio; idque jus olim reges Romani usurparunt, ut ab aliis eruditè ostensum est: postea populus invasit, cujus hoc, teste Livio, firmissimum propugnaculum fuit. Ideò Appius apud eundem; *Minas esse consulum, non Imperium dicit, ubi ad eos, qui unà peccaverant, provocare liceat*. Idem Livius lib. 3. ex eo, quod provocatio sublata erat, colligit libertatem sublatam. *Nam*, inquit, *præterquam quod in populo nihil erat præsidii, sublata provocatione intercessionem quoque consensu sustulerunt, cum priores Decemviri, appellatione Collegæ, corrigi reddita ab se jura tulissent*. Ad populum tamen raro appellabatur, & nisi in crimine majori. Dico extremam provocationem. Nam aliàs etiam à prætore ad prætorem, item ad Tribunos appellatum est, ut notavit doctissimus Lipsius. Mutata demum Republ. Augustus, Iure Tribunitiæ potestatis, extremam appellationem sibi reservavit, ut constat ex Dione. ut cum primis ex Tacito lib. 4. Annal. *Iisque instantibus*, inquit, *ad Principem provocavit*. Nam quod postea Cajus mutavit, haud diuturnum fuit: sicut etiam, quod Tiberius, ut refert Tranquillus, quædam adversus sententiam suam decerni passus est, simulacrum potius est ac larva pristinæ libertatis. Tunc appellabatur ad Principem à toto ferè terrarum orbe; *l.* 45. *D. de cond. & demonst.* ut mirum sit, hoc tempore esse qui existiment Cameram

Extrema provocatio ad Principem.

ram Imperii imparem esse litibus Germaniæ decidendis. Hodie tamen etiam in Imperio, ut testantur Pragmatici, ab omnibus ferè ordinibus ad Cameram provocatur; ut apud Gallos ad octo curias majores; apud Hispanos ad quatuor curias; apud Venetos ad quadraginta viros. Quod Ius reges Galliæ tanti fecerunt, ut cum, Carolus V. rex Francorum, Ioanni Duci Biturigum multa Imperii Iura indulsisset, extremam provocationem, singulari exceptione sibi reservarit. Sic Conradus rex Romanorum, Trajectenses, quod à se ad Pontificem Romanum provocassent, pro reis Majestat's habuit. Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici. Et Iulius III. Pontifex, cum per legatos apud Henricum II. regem Galliarum testatus esset, Deum fore ultorem, ad eumque se provocare dixisset: Rex annuit, seque pro tribunali Dei affuturum spopondit; cæterum certò se scire, Pontificem vadimonium deserturum. Hinc Princeps dicitur summus Iudex. Talis enim est, ad quem postremò appellatur. Plinius in præfat. ad Vespasianum: *Adeò summum quisq; causa sua judicem facit, quemcunque elegit, unde provocatio appellatur:* & Gunterus *lib.* 2.

Quæ hodie sunt suprema judicia.

Princeps summus Iudex.

— Vt præsens quasi maximus omnia Iudex
Claudere jura manu, cunctasq; recidere lites
Debeat, atque omnis Iudex omnisque potestas
Atque magistratus, ipso præsente, quiescant.

Vnde illud de Paulo in Actis: *Hic homo servari poterat, nisi provocasset.* Ait autem Poeta, claudere jura manu; quod est ferè Pomponio, manu regia agere. Estque vox manus ICtis etiam familiaris. Vnde in legib. 12. Tabularum. *Si quei in jure manum conferunt:* de quo aliàs.

CA-

CAPUT XX.

Nonum caput summi Imperii bella inferre.

Bella decernere. pacem facere. Pacta Caudina. Numantina. Majestas est, arma capere injussu Principis. Iura triumphi.

HOc verò vel omnium maximum Imperii Ius est. Certè apud Romanos bellum decernere non licuit, nisi comitiis populi centuriatis, id est maximis. Nam, ut ait Plato 2. *de legibus*, ἐὰν τις ἰδίᾳ ποιῆται πρός τινας εἰρήνην, ἢ πόλεμον, ἄνευ τοῦ κοινοῦ, θάνατος ἔστω ζημίας. *Si quis pacem vel bellum fecerit, privatim sine publico scito, capitale esto.* Et mutata Republica lege Iulia Majestatis tenebatur, qui bellum injussu Principis gesserat. *lib.* 3. *ad l. Iul. Majest. & l. unic. C. Vt armorum usus*, &c. *Nulli*, inquit, *prorsus nobis insciis, atque inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Et *Novell.* 17. *Arma ferre, nisi militanti, non licet.* Et *Auth. de armis*, Iustiniani constitutione inhibetur Fabricensibus, *ne arma privatis hominibus vendant.* Quo nomine, præter alia, Piso accusatus est, *quod armis provinciam, unde ejectus erat, repetiisset.*

Arma ferre nõ licet, nisi permissu Principis.

Non licet ea privatis vendere;

Atque hæc causa fuit, propter quam Cato censuit, Cæsarem nudem & vinctum dedendum esse Germanis: quod tamen haud scio, an non nimis inclementer; de quo vide alios. Non enim libenter αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύω.

Eadem est ratio pacis faciendæ; quæ apud Romanos iniri non potuit, nisi consensu Senatus ac populi, & postea Imperatorum. Ideò Posthumius ille *sponsione*, inquit, *quæ injussu populi Romani facta est, non teneri populum Romanum*, ut est apud Livium. & Tacit. 15. Annal.

Annal. *Donec referantur literæ Neronis, an paci annueret*. Quare pacta illa Gaudina & Numantina, non fuerunt pax, sed sponsio. De quo vide Bodinum, & quæ notavi ad Tacitum. Nam quod ajunt alii, captiunculam hanc fuisse Romanorum, nego. Quin potius prudenter à Ducibus pacta componi noluerunt, ne hi necessitate adducti, ut sunt momenta ac vices belli, infamia turpiaque pacta inirent. *Quid si spopondissemus*, ait Posthumius ille apud Livium, *urbem hanc relicturum popul. Romanum*; *si incensurum*; *si magistratus*, *si Senatus*, *si leges non habiturum*? Debuit itaque pax, non aliunde peti, quam Roma, quæ dicitur urbs æterna, & caput rerum, & in quo Fortunæ sedes; de qua Poëta. 6. Æneid.

Item pacem facere Caput summi Imperii.

En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma,
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Itaque deceptio non fuit, sed lex, & jussum populi. Quid, quod, ut ait Plinius. *lib.* 8. *Epist.* decipere pro moribus temporum, prudentia est?

Iuris Facialis cur expertes Samnites.

Quin ergo imputant sibi suæque ignaviæ Samnites, quod juris facialis expertes fuerunt, statumque ejus Reipublicæ, cum qua bella gerebant, ignorarunt. Nam, ut est in *l.* 16. *D. de Reg. Iur. Qui cum alio contrahit, vel est, vel esse debet non ignarus conditionis ejus, aut sibi imputet.* Et plerunque in sponsionibus Ducum adjungebatur illa clausula, *ita id ratum fore, si populus censuisset*. Ideò sapienter Helvetii, non aliter fœdus cum Tramulio inire voluerunt, quam acceptis qui capite punirentur, nisi Princeps rem ratam haberet. Et laudabiliter Angli belli gerendi causa profecturi ad exteros, Regi suo sanctè pro-

mittunt

mittunt & conceptissimis verbis, se nullas conditiones pacis cum hoste firmaturos, citra regis ac procerum voluntatem. *Frossardus.*

Ius triumphi. Similiter res habuit circa jus triumphi, quod cum insolenter plebs Romana ad se rapuisset; Livius, *nunquam*, ait, *ante de triumpho per populum actum, semper existimationem arbitriumque ejus honoris penes Senatum fuisse; ne Reges quidem majestatem summi ordinis imminuisse.* Quam etiam ob causam Senatui reliquit Augustus, sanxitque, ut de bellis triumphisque Senatus consuleretur. *Suetonius in Augusto.* Hac nimirum speciosa & insidiosa modestia Augustus tot annos Imperium Romanum obtinuit.

CAPVT XXI.

Iura vectigalium, sive teloniorum. Imperiales & provinciales collecta, Reichßstewer. Land vnd Tranckstewer. *Iura Nundinarum. Regalia ut differant à Iure Imperii. Ius postarum, jus dandi civitatem, muniendi, &c.*

Decimū caput summi imperii Vectigalia indicere. Porro Ius vectigalium penes solum Principem est, vel eos qui in Republica principatum obtinent. Hermog. in *l.* 10. *D. de public. & vectig. Vectigalia, sine Imperatorum præcepto, neque Præsidi, neque Curatori, neque Curiæ constituere, nec præcedētia reformare, & his vel addere, vel diminuere licet. & l.* 3. *C. vectig. nou. inst. non pos. & l. unic.* §. 3. *D. De l. Iul. Amb.* Et fuit hic prætextus ad morte in Christo Servatore nostro; quod testatur Lucas cap. 23. *Hunc invenimus prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem, se Christum Regem esse.* Quod etiam Ius primi Imperatores Consulibus & Tribunis aliquandiu concesserunt, acri tum populi

populi Romani libertate *Tacitus* 4. *Annal.* Reliqui enim accerrimè exercuerunt. Ideò Galeacius ille Vicecomes Mediolanensis Majestatis accusatus est, quod tributa subditis, sine Imperatoris arbitrio imperasset. Multo minus à Principe tributa flagitari queunt. Gunt.lib.4.

Improba Romano poscunt à Rege tributa,
Cujus ad arbitrium disponitur omne tributum,
Et Capitolitiam cogunt appendere summam,
Quo caput in toto nō est mage nobile mundo.

Cæterum hisce similis est hodierna, ut appellant, imperialis collecta Reichsstewer: item provincialis collecta Land vnd Tranckstewer. *Vndecimum caput summi Imperii.*

Ejusdem generis est Ius nundinarum, de quo lex est C. de nund. & mercat. Et Plin. l.15. Epist. *Solers vir Prætorius à Senatu petiit, ut sibi instituere in agris nundinas permitteretur.* *Ius nundinarū.*

Reliqua enim, quæ Regalia dicuntur Feudistis lib.2.Feud.tit.16. huc non refero; quippe quæ à Iure Imperii multis modis differunt: partim quod regalia, sive majora, sive minora, non secus atque immobilia, aliis in feudum conceduntur; Iura verò Imperii non facilè: (quippe quæ summo Principi in modum superioritatis reservātur) partim etiam quod regalia, præsertim minora, tantam majestatem minimè præ se ferunt; quin potius patrimonio & rebus domesticis augendis inserviunt: ut sunt ripatica, argentariæ, portus, salinarum reditus, &c. Adde quod rerum feudalium Regaliumque, finis est ferè solus administratio belli: ideo is qui jus belli habet, regalia communicare potest. *Regalia differūt à Iure Imperii.*

Atque hæc sunt præcipua capita summi

Ex capite summi Imperii eruuntur arcana Imperiorum.

Imperii, è quibus eruuntur ea quæ nos indagamus Imperiorum Arcana; quæ sunt veluti propugnacula conservandi Imperii, ad quod nonnunquam sensim, & quasi obliquis gradibus grassari solent cives factiosi, quorum aviditas adeò insatiabilis est, ut cum particulam aliquam Reip. abſciderint, suoque, ut ita dicam, corpori adferruminarint, semper plura abradant, nunquam quieturi.

Ius instituendi cursus publicos ad capita Imperii plerique referũt. Regii cursores.

Ad hæc Imperii capita plerique etiam referunt Ius instituendi cursus publicos; sive, ut vocat Laconicus, *regios cursores*, hodie *postas*: de quibus vide *C. de curs. publ.* Id enim solus habet Imperator, adeoque non ita pridem, Duci cuidam Germaniæ, qui publicos cursus in Belgium & Italiam disposuerat, severè interdixit. De quibus postis, ut vocant, intellige illud Cæsaris 3. de bel. civ. *Nuncios, per dispositos* (hoc enim postæ) *equos, de victoria Cæsaris Messanam allatos*: & illud Capitolini de nuncio, qui mutatis animalibus cucurrit, ut cædem Maximini Romanis narraret. Enimverò hæc ratio maximam securitatem præstat Principi. Quare Augustus, quo celerius, ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, Iuvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit: commodius id visum, ut qui à loco eodem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigeret, possent. Hæc Tranquillus in Augusto.

Ius dandi civitatem, item jura muniendi & portis interdicendi, quo referenda.

Hisce etiam adjungunt nonnulli Ius dandi civitatem, quod Iurisconsulti appellant spiritum & vitam dare civitatibus. Item Iura muniendi, & portis interdicendi. Quæ quidem

ego

ego malo ad Arcana Dominationis Regiæ referre; ſicut etiam purpuream illam Inſcriptionem, qua ſolus uſus eſt Imperator *l. 6. C. de diverſ. Reſc.* De quibus, & id genus aliis vide in libro tertio.

CAPUT XXII.

Imperium militare non eſt juris Imperii. Iura militaria Ducis. Romanorum ducum libera belli adminiſtratio. pro tempore conſulere. Volligen Gewalt haben. *Hodiernus belligerandi mos ex directoriis. Militia Turcica.*

MVlto minus huc pertinet Imperium militare, cujus uſus ac vis obtinet tantum in caſtris, extra Remp. & eſt penes duces belli. Sanè imperio militari comprehenditur Ius plectendi militem. Ita enim Agamemnon apud Homerum, ut refert Ariſtoteles 3. Polit. πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος. & Venulenus *l. 9. de cuſt. & exh. reor. Is qui exercitum accipit, etiam jus animadvertendi in milites caligatos habet.* Poteſtas pugnam pro libitu inſtituendi, caſtra metandi, obſidiones, expugnationes decernendi, captos ſervandi, edicta caſtrenſia proponendi, obſides accipiendi, denique faciendi omnia, quæ ad bellum expediendum pertinent: veruntamen excepto pacis faciendæ jure ac privilegio, quod eſt, ut dixi, in Rep. πολίτευμα. Reliqua enim jura militaria Romani Duces exercuerunt, etiam contra Senatusconſulta; ut in Hiſtoria Fabii, & Livii Marcati legimus: imo etiam contra Imperatorum mandata, de quo Procopius in Hiſtoria Beliſarii & Narſis. Vterque enim contra mandati fines pugnavit, adeoque victoriam obtinuit.

Iura militaria ſummi ducis non ſunt ſummi Imperii. Qua iſto jure comprehenduntur.

Romanorum Ducum poteſtas ſupra Senatum.

A Ducibus etiam legati nulla certa mandata accipiebant, sed, *ut pro Republ. consulerent.* *Tacitus in Annalibus*. Item, *ut consilium pro tempore & more caperent.* Id Germani efferunt mit volligem Gewalt. Vlpianus *cum libera universorum negotiorum administratione*. Cæsar tamen hanc particulam addit: *si Reipublicæ commodo facere possent.* Summum tamen, de quo nos dicimus, Imperium non habuerunt, ne Pompejus, aut Germanicus, aut Corbulo quidem; quorum tamen Imperium extra ordinem amplificatum est. Tacitus 2. *Annalium. Tunc decreto patrum permissæ Germanico provinciæ, quæ mari dividuntur, majusque Imperium quoquo adisset, quam his, qui sorte aut missu Principis sustinerent.*

Non habuere id imperium Pompejus, Germanicus Corbulo.

Quo loco mihi mirari libet hodiernum in Germania belligerandi morem, quandoquidem belli ducibus non tantum certi commentarii, &c, ut vocant, directoria traduntur; verum etiam hora pugnæ, si Dis placet, ultro citroque missis literis præscribitur; adeóque bella nostra ex decretis, ut Thucyd. *lib.* 1. ait, vel, ut Galenus, veluti naves, ex commentariis geruntur, quo nihil stultius fieri potest. *Necessitas*, ait Curtius *lib.*7. *ante rationem est, maxime in bello, in quo rarò permittitur tempora eligere.* Vnde accidit, ut, teste acerrimo Scriptore, *distantibus terrarum spatiis, consilia post res adferantur. At hercule Reges*, ait Livius *lib.*9. *non liberi solum impedimentis, sed domini rerum temporumque trahunt cuncta consiliis, non sequuntur.* Quam comparationem Alexandri cum Romanis Imperatoribus, imitatus est Tacitus in comparatione Germanici cum Alexandro *lib.*2. *Annalium. Quod si*, inquit,

Hodiernus mos belligerandi in Germania. Ex decretis pugnare & tempora in bello eligere an expediat.

quit, *solus arbiter rerum, si jure & nomine regio fuisset, tanto promptius assecuturum gloriam militiæ*. In bello enim nihil magis præstat; quam unius regimen: Id quidam collega ait apud Livium *lib. 6. Regimen omnium rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in viro uno esse, sibique destinatum in animo esse, Camillo summittere Imperium; nec quicquam de majestate sua detractum credere, quod majestati ejus viri concessisset*. Et lib. 4. *Tres*, inquit, *delectu habito profecti sunt Vejos, documentoque fuere, quam plurium imperium bello inutile esset: tendendo ad sua quisque consilia, cum aliud alii videretur, aperuerunt ad occasionem locum hosti.*

In bello præstat unius regimen.

Hinc apud Turcas superioribus annis, Sinan Bassa totum septennium, etiam præsente Principe, supremum belli Imperium, ea potestate, qua Imperator ipse, in castris exercuit, teste Sorantio in Ottom. Quo etiam consilio Britanniæ Princeps Procancellario suo chartas publicas tradebat, sed sigillo suo obsignatas, quibus in publicis negotiis pro arbitrio suo uteretur: Cominæus lib. 1. De hujusmodi chartis Gunterus:

Sinanus Bassa supremum belli Imperium.

Impresso plurima signo
Deprensa est vacuis apud illos pagina chartis.

Hactenus de Iure Imperii pro hoc loco, de quo plenius à me expecta in libris de Iure publico. Hic enim obiter tantum ac perfunctoriè egisse sufficiat, ut monet insignis tractandi Artifex Aristoteles, ad rem præsentem intelligendam, ποιητέον γδ ὅπως μὴ τὰ πάρεργα τῶν ἔργων πλείω γίγνηται.

ARNOLDI CLAPMARII
DE
ARCANIS RERUM-PUBLICARUM,
LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Qui est de Arcanis Imperii.

Triplex civilis prudentia triplex Reipubl. status. ex eo nascuntur totidem Arcanorum Reipubl. species. Quare Aristoteles arcana regia alto silentio præterierit. Arcanorum præcipui autores.

Arcana in specie sic dicta dividuntur secundum triplicem Imperii statum, qui est vel 1. Popularis. 2. Aristocraticus. 3. Regius.

ARcana, in specie sic dicta, facio triplicia, ex triplici illo statu Imperii. *Nam cunctas nationes & urbes*, ait Tacitus, *populus, aut primores, aut singuli regunt*. Vnde triplicem prudentiam notarunt Aristoteles, Cicero, & cumprimis Tacitus lib. 3. Annal. *Olim*, inquit, *plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, Senatusque & optimatum ingenia qui maximè perdiderant, callidi temporum & sapientes credebantur: Sic converso Reip. statu, neque alio rerum, quam si unus imperitet, hac conquiri tradique in rem fuerit.* Hoc est, crassa Minerva; aliud est nosse rationem gubernandi popularem Rempub. aliud aristocraticam, aliud regnum sive principatum. Id quod notarunt Historici in civibus Florentinis: eorum quosdam gratos fuisse tempore Reipublicæ, sed Principibus invisos; alios stante Republi-

ca mi-

ca minimè gratos, principibus verò acceptissimos; alios verò neque sub principatu, neque stante Republica locum habuisse. Qua de re paucis puto constare.

Pro hac Rerumpublicarum varietate, & circa hanc prudentia, variant etiam Rerumpublicarum arcana, sive sophismata. Vel enim sunt Aristocratica, vel Democratica, vel Regia. In hac Republica periculum est Regi, vel à plebe, vel à nobilitate; in illa, vel ab uno, qui imperium invadat; vel à patriciis: in ista, vel à plebe, vel ne unus totius Reipublicæ summam ad se trahat. Hujuscemodi enim civiles dissensiones, ait Cicero *in Catil. Orat.* non ad delendam, sed ad mutandam Rempublicam pertinent.

Arcanorum species tres.

De prioribus duobus quædam tractat Philosophus in Politicis: regiorum vero vix meminit. An quod in occulto erant? an verò quod ea in vulgus dare, adeòque Principum sinus populo obnoxios reddere dubitavit, ut consuleret dominationi Alexandri Regis sui? Quod ait Cassiodorus 8. *Var. Epist.* 10. *Arduum esse meruisse Principis secretum, ubi, si quid cognoscitur, prodi vel ab alio formidatur.* Et Tacitus 3. *Annal. Arduos principis sensus, & si quid occultus parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo assequare.* Sunt tamen quædam *lib. 5. Politicorum* de Tyrannicis artibus, quarum nonnullas, rectè intellectas, ad arcana dominationis regiæ, sine periculo referas: de quibus postea.

Aristoteles cur omiserit arcana regia.

Cæterum Arcanorum popularium, & Aristocratic. exempla plurima ex Livio, Salustio, aliisque Historicis excerpi possunt. Regia verò arcana omnium acerrimè atq; frequentissimè

Arcanorum popularium & Regnorum præcipui auctores.

notavit Cornelius Tacitus & hunc secutus Ammianus Marcellinus, absque quo Tacito hæc doctrina maximam partem adhuc in obscuro esset. Itaque quod olim de Timotheo ac Phrynide scitum est, Timotheum quidem artem fidicinam auxisse, & multis modis reddidisse locupletiorem: sed absque Phrynide fuisset, Timotheum artificem posterior ætas non habuisset; identidem hac de re dici posset. Etenim absque Aristotele & Tacito esset, nihil, vel parum de Imperiorum arcanis posteritati constaret.

CAPVT II.

Arcana Aristotelica optimatum, sive Patriciorum adversus plebem. plebis significatio. plebs mavult decipi, quam cogi.

Arcana Patriciorum adversus plebem definiuntur.

Arcana igitur Patriciorum contra plebem, *sunt recondita consilia, per quæ in Republ. ita inescatur plebs, ut putet se habere id quod non habet.*

Hac enim fallacia lactandus est populus, cui invito aliquid imponere periculosissimum est: Quod ait Livius lib. 4. *Verum enimvero lege id prohiberi, & connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est.* Loquor de plebe, non qualis fuit apud Gallos, quæ teste Cæsare lib. 5. de bel. Gall. pene servorum habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio, & in quos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos: sed de populo libertatis amante, quive, ut de Romanis Tacitus, Guicciardinus de Florentinis, & Crantzius de quibusdam Germaniæ Rebusp. testantur, neque totam libertatem, neque totam

tam servitutem ferre possint. Cæterum Arcana Patriciorum adversus plebem hæc fere sunt apud Aristotelem lib. 4. Polit. c. 13. cujus verba huc referre jus & fas est. Ἔστι δ᾽ ὅσα προφάσεως χάριν ἐν ταῖς πολιτείαις σοφίζονται πρὸς τὸν δῆμον πέντε τὸν ἀριθμόν· περὶ ἐκκλησίαν, περὶ τὰς ἀρχάς, περὶ δικαστήρια, περὶ ὅπλησιν, περὶ γυμνασίαν. Περὶ ἐκκλησίαν μὲν τὸ ἐξεῖναι ἐκκλησιάζειν πᾶσι. Ζημίαν δὲ ἐπικεῖσθαι τοῖς εὐπόροις, ἐὰν μὴ ἐκκλησιάζωσιν, ἢ μόνοις, ἢ μείζω πολλῷ. Περὶ τὰς ἀρχάς, τὸ τοῖς μὲν ἔχουσι τίμημα, μὴ ἐξεῖναι ἐξόμνυσθαι. Τοῖς δὲ ἀπόροις ἐξεῖναι, καὶ περὶ τὰ δικαστήρια, τοῖς μὲν εὐπόροις εἶναι ζημίαν, ἂν μὴ δικάζωσι· τοῖς δὲ ἀπόροις ἄδειαν; ἢ τοῖς μὲν μεγάλην, τοῖς δὲ μικράν, ὥσπερ ἐν τοῖς Χαρώνδου νόμοις. ἐνιαχοῦ δ᾽ ἔξεστι μὲν πᾶσιν ἀπογραψαμένοις, ἐκκλησιάζειν καὶ δικάζειν· ἐὰν δὲ ἀπογραψάμενοι μήτε ἐκκλησιάζωσι, μήτε δικάζωσιν, ἐπίκεινται μεγάλαι ζημίαι τούτοις· ἵνα διὰ μὲν τὴν ζημίαν, φεύγωσι τὸ ἀπογράφεσθαι· διὰ δὲ τὸ μὴ ἀπογράφεσθαι, μὴ δικάζωσι, μήδ᾽ ἐκκλησιάζωσι. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, καὶ περὶ τοῦ ὅπλα κεκτῆσθαι, καὶ τοῦ γυμνάζεσθαι νομοθετοῦσι· τοῖς μὲν γὰρ ἀπόροις ἔξεστι μὴ κεκτῆσθαι, τοῖς δ᾽ εὐπόροις, ἐπιζήμιον μὴ κεκτημένοις. κἂν μὴ γυμνάζωνται, τοῖς μὲν οὐδεμία ζημία· τοῖς δ᾽ εὐπόροις ἐπιζήμιον· ὅπως οἳ μὲν διὰ τὴν ζημίαν, μετέχωσιν· οἱ δὲ διὰ τὸ μὴ φοβεῖσθαι, μὴ μετέχωσι. ταῦτα μὲν οὖν ὀλιγαρχικὰ σοφίσματα τῆς νομοθεσίας. *Sunt autem illa arcana sive sophismata, quæ ab optimatibus apud populum prætexuntur quinque: Comitia, Magistratus, Iudicia, arma, & armorum usus atque meditatio. Circa comitia licere omnibus adesse, sed pœna dicta majore patriciis sive divitibus, si non adsint, quam plebi. Circa magistratus autem, non licere his qui magnum censum habent, renunciare magistratui, plebi*

Recensentur præcipua quæ apud Aristotelem.

Versantur circa quinque: nempe Comitia. Magistratus.

Iudicia. *verò & pauperibus licere. Circa Iudicia pœnam decernere divitibus, nisi jus dicant civibus; plebi verò impunè sit, sive illis magnam, his verò parvam mulctam dicere, ut est in Charondæ legibus. Quibusdam verò in locis licet omnibus qui descripti sunt, ad comitia judiciaque adesse: qui nisi parent, pœnas luunt magnas; adeoque metu pœnæ, neque nomina edunt, neque ad conciones & judicia veniunt. Eodem modo circa arma & gymnasia statuunt. Plebi & pauperibus non licet habere arma: patriciis verò pœna constituta est, nil habeant. Illi si se in armis non exercent, minimè plectuntur: Patricii verò puniuntur; adeoque hi metu pœnæ arma tractare compelluntur, illi impuniti ab armis abstinent. Hæ sunt optimatum artes, sive arcana consilia adversus plebem.* Idem Aristot. lib. 4. c. 9. ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις τοῖς εὐπόροις ζημίαν τάττουσιν, ἂν μὴ δικάζωσι· τοῖς δ᾽ ἀπόροις οὐδένα μισθόν; hoc est, *In paucorum potentia pœna decernitur optimatibus, nisi jus dicant, plebi verò merces nulla.* Hactenus Philosophus.

Arma & gymnasia.

Eandem rem innuit Livius cum ait l. 4. *Patrum ambitione artibusque fieri, ut obseptum plebi sit ad honorem iter:* Verum hæc singula in disquisitionem veniunt.

CAPUT III.

Ut à Comitiis absit plebs impunè: Patricii verò si emaneant, ut puniatur. Plebi ad honores via minimè occludenda est. Occulta ratio, propter quam Tarquinius & Antonius; indictis comitiis, ipsi emanserint. Campi Dominus.

Reip. præsentis, in-

IN Republica, in qua vel optimates, vel pauci (neque enim hos hoc loco discerno) principatum obtinent, maximum periculum est à plebe,

à plebe, quæ si ab Imperio prorsus remota est, infensissima est præsenti Reip. statui, ut testatur Aristoteles *lib.3. Polit.cap.7. Cum,* inquit, *multitudo inopum in civitate est, eademque ab honoribus exclusa est, necesse est eam civitatem plenam esse hostium Reipubl.* Hinc in omnibus historiis tot dissensiones ac bella civilia apud omnes ferè gentes, ut in Romana Repub. cum plebs ab omnibus honoribus excluderetur, adeò contra Patres insurrexit, ut maluerit Rempubl. Romanam armis hostilibus obrui, quam à Repub. prorsus removeri. Cujus rei in Christianorum etiam Republica exempla fuerunt creberrima, ut de Florentina Republica Guicciardinus, de Trevirensi Scaffnaburgensis, & de aliis testatur Crantzius. Idque ait Iustinus *lib.13. Cum,* inquit, *Equites quoque idem fecissent, pedites indignati nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridaum Alexandri fratrem regem appellant.*

Qua optimates vel pauci principatum obtinent, plebs hostis est.

Cæterum ne in Aristocratia plebi fenestra pateat ad magistratuum creationem. (Ita enim tandem mutatio atque conversio præsentis Reip. futura est:) obliquis artibus & lento nisu, à Reip. administratione arcenda est atque deterrenda. Primo enim non occludenda est via plebi; quin potius admittenda est, Livius *lib. 4. Et principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni præterirentur.* Verum enimvero pœna dicenda est patriciis ac divitibus, nisi ad comitia veniant: plebi vero & pauperibus pœna remittenda est. Quâ speciosa fallacia fascinata plebs, operis domesticis sui suorumque sustentandorum causa occupata, facile emanebit. Sufficit enim plebi

Arcenda ab administratione Reip. obliquis artibus.

Quæ illæ sint.

copiam sibi dari Reipub. à qua tamen abstinet propter negotia privata, quorum homines magis satagunt, quam publicorum, quod ait Tacitus *lib. 1. Hist. Magnitudine nimia communium curarum expertem esse populum*. Et ibidem, *Privata cuique stimulatio, vile decus publicum.* Patricii verò ac divites, qui nonnunquam in Imperio suo exercendo remissiores sunt, Rempub. administrare malunt, quam pecuniaria pœna puniri. Vnde quod in rem est Reipublicæ utrunque fit, hoc est, patricii in administranda Republica industrii sunt, & plebs ab imperio lubens abstinet.

Cavendum ne animadvertantur.

Hanc artem, parum abfuit, quin animadvertisset plebs in Republica Romana. Quare Tribuni plebis apud Livium ajunt *lib. 4. Fraudem profectò in re esse, & Sempronium comitiis plus artis adhibuisse, quam fidei*. Cæterum iis qui Rempubl. administrant, à comitiis impunè se subducere non licet. Id enim potius est *δυνάστων*, quam *ἀρίστων*. Quo nomine Sylla à Valerio Maximo. *lib. 7.* appellatur *campi Dominus*. Ideò Tarquinius, cum Latinis indixisset comitia, se tamen non stitit, meo judicio, ut exemplum esset suæ in Latinos dominationis & prærogativę. Quam fallacem superbiam animadvertens Turnus Herdinius, suasit Latinis, ut quoniam Tarquinius se non sisteret, domum abirent, neque magis observarent diem consilii, quam ipse qui indixisset observaret. Idem etiam notat in Antonio Cicero in Philip. *Antonius,* inquit, *edixit, ut adesset senatus frequens, ipse vero non adfuit.* In libera enim Republ. jura comitiorum omnes eos adstringunt, qui Reipub. præsunt: quæ causa esse videtur inter alias, quod Cæsar Treviros, quod neque

Cur Tarquinius indictis Latinis comitiis se non stiterit; & quo successu.

neque ad consilia veniebant, neque imperio parebant, pro transfugis habuit.

CAPVT IV.

Vt plebi liceat renunciare Magistratui: Patricio verò non liceat. Sophisma Romanorum adversus Ap. Claudium. Magistratus summum Imperium non est: ac tamen de eo magna sunt in Republ. certamina.

ARistotelis & omnium Politicorum sententia est, magistratus officium non solum tribuendum esse volentibus, sed & nolentibus, si digni sint; duabus inprimis de causis: Prima est, quod hæc recusatio plerumque fucosa est, veluti Tacitus de Augusto expressit, cum specie recusantis flagrantissime cupiisse. Deinde, quod id communis Reip. salus postulat: adde quod plerumque ii, qui honores rejiciunt, eorum difficultatem atque onera sentiscunt, & vel ob hanc causam eligendi sunt, vel retinendi. Id observavit Galba, de quo Tranquillus: *Existimabatur,* inquit, *Senatoria & equestria officia biennii spacio determinaturus, nec daturus nisi invitis ac recusantibus.* Contra hanc regulam in optimatum Republica indulta est plebi licentia renunciandi Magistratui. Cum enim ex plebe magistratus fiunt, autore Livio lib. 4. ibi non vulgari modo cum infimis communicatur, sed prorsus aufertur à primoribus ad plebem summum Imperium. Idem lib. 7. *Dictatore obstinato, tollere potius totum è Republ. consulatum, quam promiscuum patribus ac plebi facere.* Quare tribus ex plebe creatis tribunis consulari potestate, idem Livius lib. 5. ait; *non communicatum modò imperium cum plebe, sed*

Magistratus officium dignis & nolentibus tribuendum, & quare.

Indulta plebi in optimatum Republica Magistratui renunciandi licentia.

prope amissum summum Imperium: Cæteroquin hac renunciandi licentia plebs, & inprimis illi qui pauperes sunt, sæpenumerò à magistratu abstinent, quippe qui plerumque cum oneribus conjunctus est.

Optimatibus renunciantibus pœna dicenda. Econtrario, ut optimates Rempubl. obtineant, pœna illis dicitur, qui magistratui renunciant. Quam rem facere ad præsentē Reip. statum conservandum, unicuique liquet. Huc refero sophisma illud Romanorum adversus Appium Claudium; qui petebat prorogationem Decemviratus. Itaque Patres comitiorum illi habendorum munus injungunt. *Sophisma Romanorũ adversus App. Claudium.* *Ars hac erat*, inquit Livius *lib. 3. ne semetipse creare posset, quod præter Tribunos, & idipsum pessimo exemplo nemo unquam fecisset.*

Sed enim dices, magistratum summum Imperium non esse. Summum enim Imperium aliquid excelsius est, ait *Tacitus 3. Annal.* Cæterum in Republica maxima ratio haberi debet ejus quod paulatim repit. *Magistratus non est summũ Imperium.* *Latet enim* inquit Aristot. *lib. 5. Polit. corruptio, quia non tanta apparet.* Et eodem libro: *per negligentiam*, inquit, *mutatur status Reipublicæ, cum ad potestates assumuntur illi, qui præsentem Reipubl. statum oderunt.* Et Demosth. 4. *Philip. Quemadmodum in privata, sic etiam in Republ. desidia & socordia quotidiana, non in singulis statim, ut quidque est neglectum, sed in summa rerum apparet.* Ac tamen de magistratu obtinendo semper maxima fuerunt certamina; adeoque, teste Livio *lib. 2. distrahitur laceraturque Respubl. per magistratus, magisque quorum in manu sit, quam ut incolumis sit, quæritur.*

CAPUT V.

Immunitas plebis à Iurisdictione. Plebs tantum sui rationem haberi cupit.

EAdem est ratio jurisdictionis. Magistratus enim est, qui deliberando, sive, ut definit Cujacius, juridicundo & adsidua jurisdictione servando, præest. Quicunque ergo magistratus est, Iurisdictionem habet: at non contra. In jurisdictione enim summum imperium non est. Veruntamen jus dicentis, ut ait Vlpianus amplissimum est; adeoque Patricii Romani plebi aditum ad consulatum concedere noluerunt, nisi invicem impetrato à plebe de Prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex patribus creando. Livius *lib. 6.* Imo ipse Tiberius Princeps, imperandi scientissimus, patrum cognitionibus non satiatus, judiciis adsidebat, multaque eo coram adversus ambitum & potentum preces constituta. Vbi Tacitus: *Sed dum,* inquit, *veritati consulitur, libertas corrumpebatur*; hoc est, dum juridicundo operam dat Tiberius, imperium populi Romani occupat. Veritatem enim pro justitia usurpari ab aliis annotatum est. Imperatores nimirum non contenti ipso jure Imperii, cognitionem etiam & Iurisdictionem in se rapuerunt; ut videre est in Suetonii Nerone cap. 15.

Nec ad jurisdictionem plebs admittenda.

Magistratus & jurisdictionis collatio.

Iurisdictionem & Imperatores rapuerūt.

Patricii ergo qui imperium obtinent, non facilè ad Iurisdictiones admittunt plebem. Quod ut sine periculo fiat, legem ferunt, qua patricii ac divites puniuntur, nisi postulati jus dicant, & quidem severè, plebei verò non puniuntur, vel saltem leviter: eaque lex olim fuit Charondæ. Qua fallacia soli patricii

regnum

Qua fallacia à regno judiciali plebs arcetur.

regnum judiciale obtinent, exclusis plebeis. Quare quibusdam in locis, teste Aristotele, nomina edunt: quo facto, qui se à Iudiciis subtrahit, in maximas pœnas incidit. A quibus pœnis ut securi sint plebeji, non facilè nomen suum inter ordinem judiciarium profitetur, & impunè emanet. Vnde fit, ut patricii & divites summam Reipublicæ obtineant vel inviti: hæc est enim paucorum potentia, vt definit Aristoteles *lib*. 4. *Polit. cap*. 5. Cæterum ea est natura plebis, ut tantum rationem sui haberi velit, qua impetrata, reliqua transmittit. Arripuerat plebs Romana jus creandi magistratus: ubi Livius *lib*. 4. *Plerisque haud dubium erat creaturos ex plebe seditiosissimum quemque. Verum enimverò eventus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatisque esse, alios secundum deposita certamina incorrupto judicio esse. Tribunos enim omnes patricios creavit populus, contentus eo, quod ratio habita plebejorum esset*. Sic Romæ ingens fuit certamen rei Agrariæ. Sententia tandem Fabii fuit, T. Quintii ductu & auspicio agri capti priore anno aliquantum à Volscis esse. Aretium propinquam, opportunam & maritimam urbem, coloniam deduci posse. Ita sine querelis possessorum, plebem in agros ituram, civitatem in concordia fore. Itaque jussi sunt nomina dare, qui agrum accipere vellent: ibi Livius: *Fecit statim, ut fit, fastidium copia, adeoque pauci nomina dederunt*.

Natura plebis quod sui tantum rationem haberi velit, reliqua transmittat.

CA-

CAPVT VI.

Vt plebi liceat arma non habere. Ius armorum. Crimen sumptorum armorum. Armorum positio. Armamentarium Romanorum. Venetorum Arsenale.

Nec arma plebi habere licet.

IVs armorum, ut dixi libro primo, non est privatum, sed publicum. de quo est *lib. unic. C. ut arm.us.&*. Et in *Novel.* 17. arma ferre, nisi militanti, non licet. Arma intellige omnis generis, inprimis illas machinas fusiles, quæ privatis interdici debent: quales hodie sunt Bombardæ, Colubrinæ, Salamandræ, Basilisci, Sclopi majores, Crocodili & arcus perforati, sive *Arquebuses*, qui ad murorum demolitionem usui sunt. Quorum possessio ejus est, qui in Repub. summum imperium obtinet. Ideo Arist. 2. Polit. 8. οὐκ ἔχοντες ὅπλα γίνονται σχεδὸν δοῦλοι τῶν τὰ ὅπλα κεκτημένων. *Qui arma non habent, fiunt servi eorum, qui habent.* Et *lib. 3. cap. 5. in Republ. illa pars potentissima est, in qua robur belli consistit, & qui sunt in possessione armorum.* Quam ob causam rustícus arma vel lanceam portare, vel gladium prohibetur, tit. 27. *Feud. 2. De pac. ten.* Qua in re Romani in primis religiosissimi fuerunt. Quinimo in seditione servorum, ne quidem armare plebem voluerunt, propter dubium animum plebis. *Dant tamen arma*, inquit, Livius *lib. 3. non vulgo.* Hinc Minucius Melium accusat, de sumtis armis. *Tela*, inquit Livius *lib. 4. in domum Melii conferri, eumque conciones domi habere, ac non dubia regni consilia iniisse.* Nam, qui privata autoritate arma sumunt, hostes Reipubl. judicantur. Hinc Tacit. 1. *Annal. paratum ab adolescente privato exercitum*

Armorum possessis cujus.

Privata autoritate arma sumere, capitale est.

ercitum. Et 5. Annal. *Sed non arma, non rerum novarum studium, sed amores juvenum, & pudicitiam nepoti objectabat.* Quo modo hostes in potestatem redacti, arma ponere jubentur. Livius lib. 4. *Dedi imperatorem, arma poni jubet.* Et lib. 5. Faleriorum legati ultro; *Mittite,* ajunt, *qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant.* Et Cæs. lib. 2. de bel. Gall. *Obsidibus traditis, omnibusque armis ex oppido collatis, eos in fidem recepit.* Et Tacitus Histor. *publicè,* inquit, *armis mulctati.* Et Gunterus lib. 7.

Armorum positio signum subjectionis.

Armaq; victori, castellaq; plena relinquens,
Nudus ad hostilem miserè compellitur urbem.

In Republica igitur optimatum, arma habere oportet, & nisi habeant, puniri; plebs vero impune armis carebit. Quin etiam patricios armamentario instructos esse convenit, quale fuit Romæ, cujus meminit Cicero pro Q. Rabirio, & quod Cœlimontio continebatur in regione secunda, ut videre est in Notitia utriusque Imperii; quale etiam est Venetorum instructissimum Armamentarium, quod *Arsenale* vocant. Ac tamen sub Imperatoribus illustribus viris, quorum explorata fides erat, usus armorum concedebatur, *l. ult. C. de præp. sac. cubic. Cum hoc ad implendum eorum desiderium, & ad nullius læsionem respicere videatur,* ut ibidem ait Imperator Anastasius. Et *in tit. de pac. ten. & ejus viol. 27. Feud. lib. 2.* Miles ad palatium Comitis ferre arma potest, rogatus à Comite.

Convenit patricios armamentario esse instructos.

CAPVT VII.

Vt plebi liceat ab armorum exercitio abstinere; & παρόδως atque cum distinctione: an expediat cives armis exerceri. Artes patriciorum & Principum. Equitatus Romanus & Turcicus. Ludificatio M. Rutilii, & Germanici, in componenda seditione.

Controversum est inter Politicos, an expediat cives armis exerceri: de quo dissentiunt magni viri. Mihi constat cives, si à natura sint feroces & Imperii imparientes, armis instructos ac manu promptos, facilè rebellioni operam dare, & viam ieperire ad Imperium. Quam ob causam Cretenses, cum multa servis permitterent, solum illis vetuerunt armorum usum atque possessionem.

An expediat cives armis exerceri, ventilatur.

In Aristocratia certe eos, qui primas tenent in Republica armis exerceri oportet, indicta gravi pœna, ni id faciant: plebejis verò impunè ab armis abstinere licet. Hinc fit, ut illi artem militarem addiscant, & plebem facilè ferro à Republica prohibeant; hi vero, otio & luxuria torpescant. Hanc ob causam Patricii apud Romanos scientia m litari instituebantur, & inprimis arte equestri. Ideo Valerius Cos. ad Equites: *Agite*, inquit, *Iuvenes, præstate virtute peditem, ut honore atque ordine præstatis*. Et Perseus ille apud eundem Livium, *Equites Romanos* appellat *Principes Iuventutis, Seminarium Senatus; inde lectos in primum numerum Consules, inde Imperatores creari.* Adeoq; in equitatu tota militiæ Romanæ dignitas consistebat, ut & hodie in militia Turcica: veluti hac de re egregiè disputat Scipio Admi-

In Aristocratia expedit exercere eos qui primas in Rep. tenent.

Admirates contra Machiavellum; & ego quædam ex Sorantio & Bonfinio annotavi ad Tacitum.

Et in Principatu Regum liberos.

Habetque hoc locum non tantum in optimatum Republ. verum etiam in Principatu circa Regum liberos. Quo consilio Cæsar Octavium ad imperandum exercuit, omniaque docuit, quæ convenire videbantur ei, qui summum Imperium occupaturus erat. Dion *lib.* 45. & Tacitus de Druso, filio Tiberii: *Ne multo*, inquit, *post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militia, studiaque exercitus pararet; simul juvenem urbano luxu lascivientem, melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, utroque filio legiones obtinente.* Patriciorum enim atque nobilium propria certè esse debet scientia militaris. Quod Tacitus de Agricola refert, eum in prima juventa studio flagrasse Philosophiæ, ultra quam concessum Romanis ac Senatori; ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. Addit igitur Tacitus: *Prima castrorum rudimenta in Britannia. &c.* Relicta enim Philosophia, statim scientiæ militari operam navavit.

Scientia militaris debet esse propria patriciorum & nobilium.

His adde scientiam civilem, studium dicendi, & historias; quibus artibus patricii facilè præstant vulgo. Ac tamen nescio, cur mihi ad bellum etiam placeat Marius ille, de quo Salustius in Iugurtha. *Nō didici literas, parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima Reipublica doctus sum; hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hyemem & æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare: hac*

Item scientia civilis & historiarum.

atque

atque alia faciendo, majores nostri Rempublicam celebrarunt. Hæc ille de Mario; quantumvis homine novo. Ac quidem plerumque ita fit, inquit Aristoteles 5. *Polit. capite nono*: *Gubernatorum filii deliciis operam navant, tenuiorum verò Gymnasiis, atque exercitiis militaribus. Itaque & volunt magis, & possunt res novas moliri.* Porro hisce non dissimilis est ludificatio illa M. Rutilii, Cos. Romani. Hic, cum milites Romani de Capua occupanda clam iniissent consilia, exercitum purgat missionibus turbulentorum hominum; *aliis emerita dicendo stipendia esse; alios graves jam ætate aut viribus parum validos; quidam in commeatus mittebantur, singuli primò, deinde & cohortes quædam; per speciem etiam militarium usuum, cum alii alio mitterentur, magna pars ablegari; quam multitudinem Consul alter Romæ, Prætorque, alias ex aliis fingendo moras, retinebat.* Hac eundi licentia milites, ignari ludificationis, fracti sunt. Ideo dicebanr, *nervos conjurationis ejectos esse arte Consulis.* Sic Germanicus, veteranos seditiosos in Rhætiam misit, specie defendendæ provinciæ: cæterum ut avellerentur castris trucibus, adhuc, non minus asperitate remedii, quam sceleris memoria. Idem Tacitus 1. Histor. *Longis spaciis discreti exercitus, quod saluberrimum erat.*

Hæc tamen sæpe negligitur.

Seditiosi milites per artem disjungendi sunt.

CAPUT VIII.

Aliquot alia arcana sophismata. Intercessio Tribunitia pro Patriciis. Hibernaculorum ædificatio. Agrorum divisio. Coloniarum deductio, &c. Sedes servitutis.

Arcana Patrum Romanorum adversus plebem apud Livium.

EAdem ferè ars fuit Patrum Romanorum adversus plebem, in intercessione im-

Judicia. *verò & pauperibus licere. Circa Judicia pœnam decernere divitibus, nisi jus dicant civibus; plebi verò impunè sit, sive illis magnam, his verò parvam mulctam dicere, ut est in Charondæ legibus. Quibusdam verò in locis licet omnibus qui descripti sunt, ad comitia judiciaque adesse: qui nisi parent, pœnas luunt magnas, adeoque metu pœnæ, neque nomina edunt, neque ad conciones & judicia veniunt. Eodem modo circa arma &* *Arma & gymnasia.* *gymnasia statuunt. Plebi & pauperibus non licet habere arma: patriciis verò pœna constituta est, nil habeant. Illi si se in armis non exercent, minimè plectuntur: Patricii verò puniuntur; adeoque hi metu pœnæ arma tractare compelluntur, illi impuniti ab armis abstinent. Hæ sunt optimatum artes, sive arcana consilia adversus plebem.* Idem Aristot. lib. 4. c. 9. ἐν μὲν γὰρ ταῖς ὀλιγαρχίαις τοῖς εὐπόροις ζημίαν τάττουσιν, ἂν μὴ δικάζωσι· τοῖς δ' ἀπόροις οὐδένα μισθόν; hoc est, *In paucorum potentia pœna decernitur optimatibus, nisi jus dicant, plebi verò merces nulla.* Hactenus Philosophus.

Eandem rem innuit Livius cum ait l. 4. *Patrum ambitione artibusque fieri, ut obseptum plebi sit ad honorem iter:* Verum hæc singula in disquisitionem veniunt.

CAPUT III.

Ut à Comitiis absit plebs impunè: Patricii verò si emaneant, ut puniatur. Plebi ad honores via minimè occludenda est. Occulta ratio, propter quam Tarquinius & Antonius, indictis comitiis, ipsi emanserint. Campi Dominus.

Reip. præsentis, in IN Republica, in qua vel optimates, vel pauci (neque enim hos hoc loco discerno) principatum obtinent, maximum periculum est à plebe,

à plebe, quæ si ab Imperio prorsus remota est, infensissima est præsenti Reip. statui, ut testatur Aristoteles *lib.3. Polit.cap.7. Cum,* inquit, *multitudo inopum in civitate est, eademque ab honoribus exclusa est, necesse est eam civitatem plenam esse hostium Reipubl.* Hinc in omnibus historiis tot dissensiones ac bella civilia apud omnes ferè gentes, ut in Romana Repub. cum plebs ab omnibus honoribus excluderetur, adeò contra Patres insurrexit, ut maluerit Rempubl. Romanam armis hostilibus obrui, quam à Repub. prorsus removeri. Cujus rei in Christianorum etiam Republica exempla fuerunt creberrima, ut de Florentina Republica Guicciardinus, de Trevirensi Scaffnaburgensis, & de aliis testatur Crantzius. Idque ait Iustinus *lib.13. Cum,* inquit, *Equites quoque idem fecissent, pedites indignati nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridaum Alexandri fratrem regem appellant.* *Qua optimates vel pauci principatum obtinēt, plebs hostis est.*

Cæterum ne in Aristocratia plebi fenestra patefiat ad magistratuum creationem. (Ita enim tandem mutatio atque conversio præsentis Reip. futura est:) obliquis artibus & lento nisu, à Reip. administratione arcenda est atque deterrenda. Primo enim non occludenda est via plebi; quin potius admittenda est, Livius *lib. 4. Et principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni præterirentur.* Verum enimvero pœna dicenda est patriciis ac divitibus, nisi ad comitia veniant: plebi verò & pauperibus pœna remittenda est. Quâ speciosa fallacia fascinata plebs, operis domesticis sui suorumque sustentandorum causa occupata, facile emanebit. Sufficit enim plebi *Arcenda ab administratione Reip. obliquis artibus.* *Quæ illa sint.*

copiam sibi dari Reipub. à qua tamen abstinet propter negotia privata, quorum homines magis satagunt, quam publicorum, quod ait Tacitus *lib.1. Hist. Magnitudine nimia communium curarum expertem esse populum*. Et ibidem, *Privata cuique stimulatio, vile decus publicum*. Patricii verò ac divites, qui nonnunquam in Imperio suo exercendo remissiores sunt, Rempub. administrare malunt, quam pecuniaria pœna puniri. Vnde quod in rem est Reipublicæ utrunque fit, hoc est, patricii in administranda Republica industrii sunt, & plebs ab imperio lubens abstinet.

Cavendum ne animadvertantur.

Hanc artem, parum abfuit, quin animadvertisset plebs in Republica Romana. Quare Tribuni plebis apud Livium ajunt *lib.4. Fraudem profectò in re esse, & Sempronium comitiis plus artis adhibuisse, quam fidei*. Cæterum iis qui Rempubl. administrant, à comitiis impunè se subducere non licet. Id enim potius est δυναςῶν, quam ἀρίςων. Quo nomine Sylla à Valerio Maximo *lib.7.* appellatur *campi Dominus*.

Cur Tarquinius indictis Latinis comitiis se non stiterit, & quo successu.

Ideò Tarquinius, cum Latinis indixisset comitia, se tamen non stitit, meo judicio, ut exemplum esset suæ in Latinos dominationis & prærogativę. Quam fallacem superbiam animadvertens Turnus Herdinius, suasit Latinis, ut quoniam Tarquinius se non sisteret, domum abirent, neque magis observarent diem consilii, quam ipse qui indixisset observaret. Idem etiam notat in Antonio Cicero in Philip. *Antonius*, inquit, *edixit, ut adesset senatus frequens, ipse vero non adfuit.* In libera enim Republ. jura comitiorum omnes eos adstringunt, qui Reipub. præsunt: quæ causa esse videtur inter alias, quod Cæsar Treviros, quod

neque

neque ad consilia veniebant, neque imperio parebant, pro transfugis habuit.

CAPUT IV.

Ut plebi liceat renunciare Magistratui: Patricio verò non liceat. Sophisma Romanorum adversus Ap. Claudium. Magistratus summum Imperium non est: ac tamen de eo magna sunt in Republ. certamina.

Aristotelis & omnium Politicorum sententia est, magistratus officium non solum tribuendum esse volentibus, sed & nolentibus, si digni sint; duabus inprimis de causis: Prima est, quod hæc recusatio plerumque fucosa est, veluti Tacitus de Augusto expressit, cum specie recusantis flagrantissime cupiisse. Deinde, quod id communis Reip. salus postulat: adde quod plerumque ii, qui honores rejiciunt, eorum difficultatem atque onera sentiscunt, & vel ob hanc causam eligendi sunt, vel retinendi. Id observavit Galba, de quo Tranquillus: *Existimabatur*, inquit, *Senatoria & equestria officia biennii spacio determinaturus, nec daturus nisi invitis ac recusantibus*. Contra hanc regulam in optimatum Republica indulta est plebi licentia renunciandi Magistratui. Cum enim ex plebe magistratus fiunt, autore Livio lib. 4. ibi non vulgari modo cum infimis communicatur, sed prorsus aufertur à primoribus ad plebem summum Imperium. Idem lib. 7. *Dictatore obstinato, tollere potius totum è Republ. consulatum, quam promiscuum patribus ac plebi facere.* Quare tribus ex plebe creatis tribunis consulari potestate, idem Livius lib. 5. ait; *non communicatum modò imperium cum plebe, sed*

Magistratus officium dignis & nolentibus tribuendum, & quare.

Indulta plebi in optimatum Republica Magistratui renunciandi licentia.

prope amissum summum Imperium: Cæteroquin hac renunciandi licentia plebs, & inprimis illi qui pauperes sunt, sæpenumerò à magistratu abstinent, quippe qui plerumque cum oneribus conjunctus est.

Optimatibus renunciantibus pœna dicenda.

E contrario, ut optimates Rempubl. obtineant, pœna illis dicitur, qui magistratui renunciant. Quam rem facere ad præsenté Reip. statum conservandum, unicuique liquet. Huc refero sophisma illud Romanorum adversus Appium Claudium; qui petebat prorogationem Decemviratus. Itaque Patres comitiorum illi habendorum munus injungunt. *Ars hæc erat*, inquit Livius *lib.* 3. *ne semeitpse creare posset, quod præter Tribunos, & idipsum pessimo exemplo nemo unquam fecisset.*

Sophisma Romanorũ adversus App. Claudium.

Sed enim dices, magistratum summum Imperium non esse. Summum enim Imperium aliquid excelsius est, ait *Tacitus* 3. *Annal.* Cæterum in Republica maxima ratio haberi debet ejus quod paulatim repit. *Latet enim* inquit Aristot. *lib.* 5. *Polit. corruptio, quia non tanta apparet.* Et eodem libro: *per negligentiam*, inquit, *mutatur status Reipublicæ, cum ad potestates assumuntur illi, qui præsentem Reipubl. statum oderunt.* Et Demosth. 4. *Philip. Quemadmodum in privata, sic etiam in Republ. desidia & socordia quotidiana, non in singulis statim, ut quidque est neglectum, sed in summa rerum apparet.* Ac tamen de magistratu obtinendo semper maxima fuerunt certamina; adeoque, teste Livio *lib.* 2. *distrahitur laceraturque Respubl. per magistratus, magisque quorum in manu sit, quam ut incolumis sit, quæritur.*

Magistratus non est summũ Imperium.

CA-

CAPUT V.

Immunitas plebis à Jurisdictione. Plebs tantum sui rationem haberi cupit.

EAdem est ratio jurisdictionis. Magistratus enim est, qui deliberando, sive, ut definit Cujacius, juridicundo & adsidua jurisdictione servando, præest. Quicunque ergo magistratus est, Iurisdictionem habet: at non contra. In jurisdictione enim summum imperium non est. Veruntamen jus dicentis, ut ait Ulpianus amplissimum est; adeoque Patricii Romani plebi aditum ad consulatum concedere noluerunt, nisi invicem impetrato à plebe de Prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex patribus creando. Livius *lib. 6.* Imo ipse Tiberius Princeps, imperandi scientissimus, patrum cognitionibus non satiatus, judiciis adsidebat, multaque eo coram adversus ambitum & potentum preces constituta. Ubi Tacitus: *Sed dum*, inquit, *veritati consulitur, libertas corrumpebatur*; hoc est, dum juridicundo operam dat Tiberius, imperium populi Romani occupat. Veritatem enim pro justitia usurpari ab aliis annotatum est. Imperatores nimirum non contenti ipso jure Imperii, cognitionem etiam & Iurisdictionem in se rapuerunt; ut videre est in Suetonii Nerone cap. 15.

Nec ad jurisdictionem plebs admittenda.

Magistratus & jurisdictionis collatio.

Iurisdictionem & Imperatores rapuerunt.

Patricii ergo qui imperium obtinent, non facilè ad Iurisdictiones admittunt plebem. Quod ut sine periculo fiat, legem ferunt, qua patricii ac divites puniuntur, nisi postulati jus dicant, & quidem severè, plebei verò non puniuntur, vel saltem leviter: eaque lex olim fuit Charondæ. Qua fallacia soli patricii

regnum

Qua fallacia à regno judiciali plebs arcetur.

regnum judiciale obtinent, exclusis plebeis. Quare quibusdam in locis, teste Aristotele, nomina edunt: quo facto, qui se à Iudiciis subtrahit, in maximas pœnas incidit. A quibus pœnis ut securi sint plebeji, non facilè nomen suum inter ordinem judiciarium profitetur, & impunè emanet. Vnde fit, ut patricii & divites summam Reipublicæ obtineant vel inviti: hæc est enim paucorum potentia, vt definit Aristoteles *lib.* 4. *Polit. cap.* 5. Cæterum ea est natura plebis, ut tantum rationem sui haberi velit, qua impetrata, reliqua transmittit. Arripuerat plebs Romana jus creandi magistratus: ubi Livius *lib.* 4. *Plerisque haud dubium erat creaturos ex plebe seditiosissimum quemque. Verum enimverò eventus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatisque esse, alios secundum deposita certamina incorrupto judicio esse. Tribunos enim omnes patricios creavit populus, contentus eo, quod ratio habita plebejorum esset.* Sic Romæ ingens fuit certamen rei Agrariæ. Sententia tandem Fabii fuit, T. Quintii ductu & auspicio agri capti priore anno aliquantum à Volscis esse. Aretium propinquam, opportunam & maritimam urbem, coloniam deduci posse. Ita sine querelis possessorum, plebem in agros ituram, civitatem in concordia fore. Itaque jussi sunt nomina dare, qui agrum accipere vellent: ibi Livius: *Fecit statim, ut fit, fastidium copia, adeoque pauci nomina dederunt.*

Natura plebis quod sui tantum rationem haberi velit, reliqua transmittat.

CA-

CAPUT VI.

Ut plebi liceat arma non habere. Ius armorum. Crimen sumptorum armorum. Armorum positio. Armamentarium Romanorum. Venetorum Arsenale.

IUs armorum, ut dixi libro primo, non est privatum, sed publicum. de quo est *lib. unic. C. ut arm.us.&.* Et in *Novel.* 17. arma ferre, nisi militanti, non licet. Arma intellige omnis generis, inprimis illas machinas fusiles, quæ privatis interdici debent: quales hodie sunt Bombardæ, Colubrinæ, Salamandræ, Basilisci, Sclopi majores, Crocodili & arcus perforati, sive *Arquebuses*, qui ad murorum demolitionem usui sunt. Quorum possessio ejus est, qui in Repub. summum imperium obtinet. Ideo Arist. 2. Polit. 8. οἱ ἔχοντες ὅπλα γίνονται σχεδὸν δοῦλοι τῶν τὰ ὅπλα κεκτημένων. *Qui arma non habent, fiunt servi eorum, qui habent.* Et *lib. 3. cap. 5. in Republ. illa pars potentissima est, in qua robur belli consistit, & qui sunt in possessione armorum.* Quam ob causam rusticus arma vel lanceam portare, vel gladium prohibetur, tit. 27. *Feud. 2. De pac. ten.* Qua in re Romani in primis religiosissimi fuerunt. Quinimo in seditione servorum, ne quidem armare plebem voluerunt, propter dubium animum plebis. *Dant tamen arma*, inquit, Livius *lib. 3. non vulgo.* Hinc Minucius Melium accusat, de sumtis armis. *Tela*, inquit Livius *lib. 4. in domum Melii conferri, eumque conciones domi habere, ac non dubia regni consilia iniisse.* Nam, qui privata autoritate arma sumunt, hostes Reipubl. judicantur. Hinc Tacit. 1. *Annal. paratum ab adolescente privato exercitum*

Nec arma plebi habere licet.

Armorum possessis cujus.

Privata autoritate arma sumere, capitale est.

ercitum. Et 5.Annal. *Sed non arma, non rerum novarum studium, sed amores juvenum, & pudicitiam nepoti objectabat*. Quo modo hostes in potestatem redacti, arma ponere jubentur. Livius lib.4. *Dedi imperatorem, arma poni jubet*. Et lib. 5. Faleriorum legati ultro; *Mittite*, ajunt, *qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant*. Et Cæs.lib.2.de bel.Gall. *Obsidibus traditis, omnibusque armis ex oppido collatis, eos in fidem recepit*. Et Tacitus Histor. *publicè*, inquit, *armis mulctati*. Et Gunterus lib. 7.

Armorum positio signum subjectionis.

Armaq, victori, castellaq, plena relinquens,
Nudus ad hostilem miserè compellitur urbem.

In Republica igitur optimatum, arma habere oportet, & nisi habeant, puniri; plebs vero impune armis carebit. Quin etiam patricios armamentario instructos esse convenit, quale fuit Romæ, cujus meminit Cicero pro Q.Rabirio, & quod Cœlimontio continebatur in regione secunda, ut videre est in Notitia utriusque Imperii; quale etiam est Venetorum instructissimum Armamentarium, quod *Arsenale* vocant. Ac tamen sub Imperatoribus illustribus viris, quorum explorata fides erat, usus armorum concedebatur, *l.ult.C.de præp. sac. cubic. Cum hoc ad implendum eorum desiderium, & ad nullius læsionem respicere videatur*, ut ibidem ait Imperator Anastasius. Et *in tit.de pac.ten.& ejus viol.27.Feud.lib.2.* Miles ad palatium Comitis ferre arma potest, rogatus à Comite.

Convenit patricios armamentario esse instructos.

C A-

CAPUT VII.

Ut plebi liceat ab armorum exercitio abstinere; & παρέργως atque cum distinctione: an expediat cives armis exerceri. Artes patriciorum & Principum. Equitatus Romanus & Turcicus. Ludificatio M. Rutilii, & Germanici, in componenda seditione.

Controversum est inter Politicos, an expediat cives armis exerceri: de quo dissentiunt magni viri. Mihi constat cives, si à natura sint feroces & Imperii impatientes, armis instructos ac manu promptos, facilè rebellioni operam dare, & viam reperire ad Imperium. Quam ob causam Cretenses, cum multa servis permitterent, solum illis vetuerunt armorum usum atque possessionem.

An expediat cives armis exerceri, ventilatur.

In Aristocratia certe eos, qui primas tenent in Republica armis exerceri oportet, indictâ gravi pœna, ni id faciant: plebejis verò impunè ab armis abstinere licet. Hinc fit, ut illi artem militarem addiscant, & plebem facilè ferro à Republica prohibeant; hi vero, otio & luxuria torpescant. Hanc ob causam Patricii apud Romanos scientia militari instituebantur, & inprimis arte equestri. Ideo Valerius Cos. ad Equites: *Agite*, inquit, *Iuvenes, præstate virtute peditem, ut honore atque ordine præstatis.* Et Perseus ille apud eundem Livium, *Equites Romanos* appellat *Principes Iuventutis, Seminarium Senatus; inde lectos in primum numerum Consules; inde Imperatores creari.* Adeoq; in equitatu tota militiæ Romanæ dignitas consistebat, ut & hodie in militia Turcica: veluti hac de re egregiè disputat Scipio Admi-

In Aristocratia expedit exercere eos qui primas in Rep. tenent.

Admirates contra Machiavellum;& ego quædam ex Sorantio & Bonfinio annotavi ad Tacitum.

Et in Principatu Regum liberos.

Habetque hoc locum non tantum in optimatum Republ. verum etiam in Principatu circa Regum liberos. Quo consilio Cæsar Octavium ad imperandum exercuit, omniaque docuit, quæ convenire videbantur ei, qui summum Imperium occupaturus erat. Dion *lib.*45.& Tacitus de Druso, filio Tiberii: *Ne multo, inquit, post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet; simul juvenem urbano luxu lascivientem, melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, utroque filio legiones obtinente.* Patriciorum enim atque nobilium propria certè esse debet scientia militaris.

Scintia militaris debet esse propria patriciorum & nobilium.

QuodTacitus de Agricola refert,eum in prima juventa studio flagrasse Philosophiæ, ultra quam concessum Romanis ac Senatori;ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset.Addit igitur Tacitus: *Prima castrorum rudimenta in Britannia, &c.* Relicta enim Philosophia, statim scientiæ militari operam navavit.

Item scientia civilis & historiarum.

His adde scientiam civilem, studium dicendi, & historias; quibus artibus patricii facilè præstant vulgo. Ac tamen nescio, cur mihi ad bellum etiam placeat Marius ille, de quo Sallustius in Iugurtha. *Nō didici literas, parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optima Republica doctus sum; hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam; hyemem & æstatem juxta pati, humi requiescere. eodem tempore inopiam & laborem tolerare: hæc*

atque

atque alia faciendo, majores nostri Rempublicam celebrarunt. Hæc ille de Mario; quantumvis homine novo. Ac quidem plerumque ita fit, inquit Aristoteles 5. *Polit. capite nono*: *Gubernatorum filii deli iis operam navant, tenuiorum verò Gymnasiis, atque exercitiis militaribus. Itaque & volunt magis, & possunt res novas moliri.* Porro hisce non dissimilis est ludificatio illa M. Rutilii, Cos. Romani. Hic, cum milites Romani de Capua occupanda clam iniissent consilia, exercitum purgat missionibus turbulentorum hominum; *aliis emerita dicendo stipendia esse; alios graves jam ætate aut viribus parum validos; quidam in commeatus mittebantur, singuli primò, deinde & cohortes quædam; per speciem etiam militarium usuum, cum alii alio mitterentur, magna pars ablegari; quam multitudinem Consul alter Romæ, Prætorque, alias ex aliis fingendo moras, retinebat.* Hac eundi licentia milites, ignari ludificationis, fracti sunt. Ideo dicebant, *nervos conjurationis ejectos esse arte Consulis.* Sic Germanicus, veteranos seditiosos in Rhætiam misit, specie defendendæ provinciæ: cæterum ut avellerentur castris trucibus, adhuc, non minus asperitate remedii, quam sceleris memoria. Idem Tacitus 1. Histor. *Longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum erat.*

Hæc tamen sæpe negligitur.

Seditiosi milites per artem disjungendi sunt.

CAPUT VIII.

Aliquot alia arcana sophismata. Intercessio Tribunitia pro Patriciis. Hibernaculorum adædificatio. Agrorum divisio. Coloniarum deductio, &c. Sedes servitutis.

Arcana Patrum Romanorum adversus plebem apud Livium.

EAdem ferè ars fuit Patrum Romanorum adversus plebem, in intercessione im-

Tribunorum intercessio apud collegas pro Patriciis.

impetranda à Tribunis apud collegas. Magnum erat certamen inter patres ac plebem de re Agraria. Itaque cum viderent Patres vi Imperii atque argumentis se parum proficere, ad hasce artes se contulerunt: quod prudenter Appius Claudius apud Livium lib. 4. *Facile homines novos, autoritate Principum, de sententia deduci, si temporum interdum potius, quam majestatis memor adhibeatur oratio.* Quare prensant, ambiunt sex ex tribunis, suadendo, monendo, pollicendo, simulando, omniem spem positam esse in Tribunitio auxilio: ibi Livius. *Praclarum tribunis potestatique esse, non ad vexandum senatum, discordiamque ordinum movendam, plus in tribunatu virium esse, quam ad resistendum improbis collegis.* Quæ intercessio plebis insolentiam sæpenumero fregit: idque ait Liv. lib. 6. *Potestas tribunicia, jam suam ipsa vim frangit intercedendo.*

Hybernaculorum ædificatio.

Divisio agrorum.

Eodem tendit Hybernaculorum ædificatio, quippe quæ dissolvebat potestatem Tribuniciam, ut hoc pacto plebi adimeretur copia usurpandi libertatem, & creandi Magistratus, Livius lib. 5. Quo etiam nomine sæpe bellum adornabatur. Livius lib. 2. *Decernunt, ut delectum quam acerrimum habeant, ocio lascivire plebem.* Hinc Tribuni plebis tantopere conquesti sunt de ablegatione juventutis ad Veliternum bellum. Iidem Romani cum exasperassent plebem, vindicatis seditionibus, divisionem agrorum plebi objecerunt. Livius lib. 4. *Aptissimum,* inquit, *tempus erat, delinimentum animis Volani agri divisionem objici; quo facto, minuissent desiderium Agrariæ legis, quæ possesso per injuriam agro publico, Patres pellebat.* Sic ad frangendum plebis impetum,

petum, deductio coloniarum instituta est. Livius lib. 10. *Roma quoque plebem quietam & exoneratam, deducta in colonias multitudo præstabat.* Quo nomine Tacito in Agricola, coloniæ dicuntur sedes servitutis. Sed de usu coloniarum vide alios. Sunt enim hæc omnia arcana consilia Patriciorum, per quæ plebs obliquè & per ambages à Iure Imperii atque administratione Reipubl. abstrahitur. Quippe simulatur agi de salute Plebis, cum interea plebs in servitutem redigitur. Quod ait Tacitus. *Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cùm pars servitutis esset.*

Colonia.

C A P. I X.

Religione infatuare plebem. publicè testari & cavere plebi de injuriis. Magistratus fingere damnosos. non omnia nimis aristocraticè agere: ἐκ παραγωγῆς agere.

PRimores Romanorum cum omnia nequicquam egissent, ne plebeji magistratus gererent, tandem rem omnem ad religionem verterunt, quippe qua, veluti thyrso, percutiuntur mentes humanæ, quare cum dixissent, comitiis, auspicatò quæ fierent, indignum Diis visum honores vulgari, discriminaque gentium confundi: ibi dictum factum, plebs religione attonita, Patricios omnes tribunos militum consulari potestate creavit. Vbi Livius *lib.* 5. *Patres*, inquit, *non vi agebant, sed precibus, & inter preces multa Deorum mentio erat, religiosum parti id maxime fuit.* Est hoc arcanum, quo utebantur Patricii ad plebem veluti dementandam. Itaque interfecto Consule, qui plebejus erat, quasi piaculo hoc expiato, indignantes,

Res omnis ad religionem tandem versa à primorib. Romanis, ut plebem à Magistratu arcerent.

irent,

irent, inquiũt, *crearent consules ex plebe, transferrent auspicia, quo nefas esset, potuisse patres plebiscito pelli honoribus suis; num etiam in Deos immortales inauspicatam legem valuisse? Vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia; qua, ut primum contracta sint ab eo, à quo nec jus nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde, turbato gentium jure, comitia haberentur*. Livius *lib.* 7. atque hoc arcano aliud agitur, aliud simulatur agi. Vnde idem Livius *lib.* 10. *Simulabant ad Deos magis, quam ad se pertinere: ipsos visuros, ne sacra sua polluantur; id se tantum optare, ne aliqua in Republica clades obveniat.* Religio enim permultum potest apud plebem, & inprimis apud milites. Sic Germanicus seditionem composuit in defectu Lunæ, quo veluti ominoso, militum vulgus terrebatur. Itaque Tacitus. *Vtendum*, inquit, *ea inclinatione Cæsar, & quæ casus obtulera, in sapientiam vertenda ratus &c.* Cujus rei, in Historiis omnium fere gentium, exempla sunt. Adeò autem plebs religioni dedita est, ut etiam in Iuramento Patriciorum acquiescat. Quale erat illud Athenienfium, & hodie multorum Principum; *Iuro, populum nullis injuriis affectum iri*. Plebs enim juramento hoc contenta, & veluti secura, de reliquis non admodum erit sollicita, etiamsi postea magnis injuriis afficiatur. Itaque Aristoteles lib. 5. Politic. cap. 9. *In quibusdam*, inquit, *civitatibus nunc jurant, & denunciant populo omne odium, expediret autem simulare, ac fingere contrarium, atque ita juramentum concipere: Non afficiam populum injuriis*. Quo magis onera adjungenda sunt ipsis Magistratibus, quæ plebem à Reipubl. admini-

Religio apud plebem permultum valet & milites.

In Iuramento Patriciorum de salute sua plebs acquiescit.

ministratione absterreant, ut monuit idem Aristot. Hinc Senarius ille:

Honus est honos, qui sustinet Rempublicam.

Nonnunquam enim ἄρειστον est, non omnia aristocraticè agere. Romani certe, nimis undique libertatem minimis quoque rebus muniendo, modum excesserunt, teste Livio lib. 2. adeoque *avidè ruendo ad libertatem, in servitutem delapsi sunt.* Livius lib. 3. Ideo Cœlius ille ad Ciceronem. *Vide ne dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter quod optimum est, eligas.*

Onera Magistratui addēda ad plebem absterrendam à Reip. administratione.

Atque hæc sunt sophismata, sive arcana Patriciorum adversus plebem, quibus aliud simulatur, aliud agitur, verbi gratia, Simulatur, illud agi, ut plebi parcatur, nevè nimia mulctarum indictione vexetur, atque emungatur. At enim vero illud agitur, ut plebeji, quos hac in Republ. Imperiorum capaces esse minime oportet, à publicis negotiis abstineant: idque obliquis hujuscemodi artibus & ἐκ παραγωγῆς, ut loquitur Aristoteles 5. Polit.

In præcedentibus arcanu Patriciorum, adversus plebem in esse simulationem.

C A P U T X.

Alia consilia Aristocratica adversus plebem. Educatio Iuventutis varianda pro forma Reip. Leges Aristocraticæ. Leges Romanæ. Quinquennalis Reipubl. redintegratio apud Florentinos. publica munificentia.

Sicut Servius definit dolum malum, machinationem quandam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, aliud agitur: sic nos Arcana Reipublicæ definimus, machinationem, sive occulta consilia conservandæ præsentis Reipublicæ, quibus aliud agitur,

Doli in arcanis comparatio.

Alia consilia in quibus nulla, vel saltem exigua est simulatio.

aliud simulatur agi. At enimvero Labeo definitionem doli impugnavit, posse & sine simulatione id agi, ut quis circumveniatur. Eadem ratio est hujus doctrinæ. Quædam enim sunt arcana, in quibus aliud agitur, aliud simulatur: quædam etiam sunt occulta consilia, in quibus nulla est, vel saltem exigua simulatio: qualia fere sunt hæc.

Cum juventus pro natura Reip. educatur.

Primum, cum juventus secundum hanc formam educatur. Id quod teste Aristotele plurimum facit ad præsentem Reip. statum conservandum: adeoque Tacitus ponit inter fundamenta Principatus Romani. Extinctis enim, qui Republica adhuc stante & libera vixerant, nemo amplius supererat, qui dulcedinem libertatis gustaverat. Itaque Tacitus *quotusquisque*, inquit, *reliquus qui Rempublicam vidisset*. Aliter enim imbuuntur Aristocratici Iuvenes, aliter populares, aliter Regum ac Principum liberi, hoc est, aliter juventus educanda est in regno, aliter in optimatum Imperio, aliter in populi: de quo paucis constat. Quæ tamen res Brutum impulisse mihi videtur, ut parta libertate, sustulerit liberos suos, qui in regno nati atque educati erant.

Quare Brutus sustulerit liberos suos.

Leges ad præsentem statum conformantur.

Deinde leges ad præsentem statum conformādæ sunt. Aliæ enim leges, teste Philosopho, conveniunt regno, aliæ Democratiæ, aliæ Aristocratiæ. Quare de Augusto Tacitus. 3. Annal. *eum, multis abolitis, dedisse jura, queis pace & principe uteretur Respublica*. Hinc liquet quandoquidem Imperium hodiernum à veteri illo Romano, permultum declinat, etiam leges quasdam antiquæ Reipublicæ Romanæ hodiernæ minimè convenire; ut sunt de imperio

perio Principis, de dote, de successionibus & id genus aliæ: quas tamen quidam Iurisconsulti valde infruniti, promiscuè, & veluti obtorto collo, ad præsentem Rempublicam torquere conantur.

Leges quædam antiquæ Reip. Rom. non conveniunt cum hodierna & cur.

Tertiò. ad principia sua resolvenda est sæpe Respublica. Qua arte, nullam ad statum conservandum præstantiorem esse notavit acutissimus Machiavellus. Hæc enim est natura Rerumpublicarum, ut facilè ultrò aliquid attrahant, sive ex progressu temporum, sive ex incuria atque negligentia eorum, qui Remp. administrant: quod si serpat ulterius, neque abscindatur; facile in aliam Rempublicam mutant. Nam, ut canit Poeta.

Si paulum summo discessit, vergit ad imum.

Respublica ad principia sua revocatur.

Quare operam dabunt in Aristocratica viri Principes, ne facile cedant plebi. Quod ajunt seniores Patrum apud Livium *lib.* 3. *ut nimis feroces juvenes patricios esse; ita malle, si modus excedendus esset, suis quam adversariis supeeresse animos.*

Plebi minime cedendum est.

Deinde, sicubi à jure suo discesserunt, Remp. instar Chimicorum resolvere, qualis apud Florentinos teste Machiavello, erat quinquennalis Reipubl. redintegratio. Idque in Italiæ urbibus fecit Fridericus Ænobarbus, de quo Gunter. *lib.* 8.

Quinquennalis Reip. apud Florentinos redintegratio unde.

Sed veterum leges, edictaque regia, longo
Iustitio suppressa silent, quæ Carolus olim,
Quæ noster vulgavit Otho, vestigia Iuris
Pauca sui Italicu agnoscit fiscus in oris.
Consulite in medium, quas me, vel ferre recentes,
Vel senium passas leges renovare, velitis.

Inprimis autem populus doceri debet, pecu-

4. Quomodo plebs docenda pecuniam publicam in Reip. splendorem converti.

niam publicam in Reipublicæ salutem atque splendorem converti. Ideò publica ædificia extruenda sunt; Academiæ aperiendæ, pontes, portus, templa, ad magnificētiam aliquam exædificanda. Quæ publica munificentia, ut Tacitus 3. *Annal.* vocat, valde mitigat plebis ferociam. Qua in re Romani prudentissimi fuerunt, atque dignissimi admiratione. *Voverat*, inquit, Tacitus de Capitolio Romano, *Tarquinius Priscus rex bello Sabino, jeceratque fundamenta, spe magis futura magnitudinis, quam quo modica adhuc populi Romani res sufficerent. Pulsis vero Regibus, Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit ea magnificentia, quam immensa postea populi Rom. opes ornarent potius, quam augerent.* Sed de his satis, ταῦτα γὰρ ἄλλης πραγματείας.

CAPUT XI.

Arcana Aristocratica contra regnum. Virum nimis excelsi animi in bellum ablegare, sed cito revocare. Offerre urbanos honores, & non nisi præsenti. Ne quis diu magnum magistratum gerat: imo ne bis gerat; eaque omnia simulatione minuenda molestia. Nimis elatum non præcipitare, sed sinere à se ipso ruat.

Arcana Aristocratica contra regnum definiuntur.

SEquuntur nunc Arcana Aristocratica contra regnum: *suntque hæc occultæ rationes, ne unus aliquis in Republ. optimatum nimis potens fiat, adeoque imperium invadat.* Circa quam rem maxima cura opus est. Quod facile inter tot potentes, non nemo spem capit occupandæ dominationis. Ideò Suetonius de Cæsare: *Vnus*, inquit, *ex eo tempore omnia in Republ. & ad arbitrium administravit,*

stravit. Idem: *Cæsar societatem cum Pompejo & Crasso iniit, ne quid ageretur in Republ. quod displicuisset ulli è tribus*. In quo etiam Brutus rectè increpavit Ciceronem, quod nimiis efferendo, honoribus, adolescentem Octavium, adversus Rempublicam armasset. Quod si nunc aliquis nimia potentia creverit, is in bellum ablegandus, sed specie honoris, & citò revocandus, vel simulatione minuendæ molestiæ, vel offerendo honores urbanos, idque non aliter, nisi præsenti. Quemadmodum etiam Tiberius Germanico consulatum obtulit, cujus munia præsens obiret, quo eum à cursu victoriarum abstraheret. *Itaque non cunctatus est ultra Germanicus, quanquam fingi ea, seque, per invidiam, parto jam decori abstrahi intelligeret.*

Talia sunt.

In bellū ablegare eum, qui potentia creverit, & rursum urbanos honores ei revocato & præsenti offerre.

Hujus autem rei inprimis usus est in Aristocratia, in qua nemini diu summum Imperium, ac præsertim bellicum, destinandum est. Ideò nefas fuit apud Romanos, Dictaturam ultra sex menses retinere, *teste Pomponio*. Quod identidem graviter M. Tullius in Epistola ad Atticum de Cæsare. *Nam quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso, per vim & per factionem datos: præteriit tempus, non legis, sed libidinis tuæ; fac tamen legis: ut succedatur, decernitur: impedis & ais; habe mei rationem; habe tu nostrūm. Exercitū habeat diutius quam populus jussit, invito Senatu?* Quam etiam naturalem nobilitatis superbiam, morandique in Imperiis cupiditatem, perstringit C. Marius apud Paterculum. Quo magis cavendum est, ne quis eundem magistratum bis gerat; idque monuit Aristoteles in Polit. Et M. Rutilius,

Nemini diu magnum magistratū præsertim bellicum committere.

Nemini bis deferre eandem potestatem.

Censorinus iterum censor creatus, ad concionem populum vocatum, quam potuit gravissima oratione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulissent, cujus majores, quia nimis magna videretur, tempus coarctandum judicassent. Quare eodem censente, ut refert Plutarchus, lata lex est, ne cui bis eum magistratum ambire liceret. Sic Athenis nemo potuit bis esse ἐπιστάτης, teste Polluce *lib.* 8. Eodem pertinet SC.m de tribunis militum creandis: ***ne cujus ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset, neve quis reficeretur in annum tribunus plebis.***

Frangere vires ejus qui potentiâ creuerit idque per ambages.

Verumenimverò nonnunquam accidit, ut unus in Republica vel propter res gestas, vel per collegarum negligentiam, potentia nimia crescat. Ibi tum frangendæ sunt ejus vires. Sed per ambages, & circumductione aliqua; ne si continuo præcipitetur, causam habeat extrema, eaque præcipitia, ac Reipubl. periculosissima, experiundi. Idque Pericles monuit, teste Valerio *lib.* 7. *cap.* 2. ut præcipuæ nobilitatis & concitati ingenii juvenes refrenentur. Nimio verò favore, ac profusa indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur: *quod stultum sit & inutile, eas obtrectare vires, quas ipse foveris*. Quare objiciendæ sunt illi rationes, per quas à se ipso ruat, *invidiaque flamma ac via*, ut loquitur Livius, *suggerenda*. Veluti Manlius apud eundem: *Quin eum plebe aggredimur, quem per ipsam plebem tutius est aggredi, ut suis ipse oneratus viribus ruat.* Sic Mecænas, teste Paterculo, per summam quietem & dissimulationem speculatus est præcipitis consilia juvenis, & mira celeritate, nullaque cum pertur-

Et objectu quidem rationibus, ut à seipso ruat.

turbatione, aut rerum aut hominum, oppresso Lepido, novi aut resurrecturi belli civilis extinxit incendium. Quam astutiam etiam calluit Alexander, à quo Philotas ad ultimas epulas invitatus est: & Rex, non cœnare modo, sed etiam familiariter conloqui cum eo quem damnaverat, sustinuit. Et Tiberius, Libonem delatum affectati regni, ornavit pretura, convictibus adhibuit, non vultu alienatus, non verbis commotior, cunctaque ejus dicta factaque, cum prohibere posset, scire malebat. *Alexandri in eo astutia.*

CAPUT XII.

Factiones alere; sed cavere ne erumpant; vel arte dirimere. Πολιτικὸν opus. Πολιτικὸν σκέμμα. Ne duo ex una familia uno tempore in Senatu sint. Ne magna Imperia in una familia continuentur.

CAtonis, aliorumque prudentissimorum virorum sententia fuit, expedire Reipublicæ, ut factiones atque discordiæ sint inter viros magnos & potentes. Quorum ego sententiam non attenuabo. Cæterum discordiam ordinum, Livius ait, venenum esse Reipublicæ. Adeoque paucorum gubernatio, teste Aristotele 5. *Politic.* 6. si concors est, non facile à seipso ruit: quod instar oraculi esse debet optimatibus. Propter quam causam Fabius, Tiberius Gracchus, aliique, privata odia publicis utilitatibus remiserunt. Quod si nunc factiones serpunt inter civitatis principes, hæ artificiosè ac prudenter dirimendæ sunt. Quod ni fiat, hujuscemodi æmulatio erumpit tandem, facitque ut alteruter, & à victoria potens, & à dominandi libidine efferatus, imperium & dominationem solus invadat, *Factiones in Rep. esse, an expediat.* *συμφωνία Patriciorũ Reip. fulcrum.* *Factiones artificiosè dirimendæ.*

vadat. Quæ res postea, eum in statum Remp. deducit, teste Pomponio & Tacito, ut pacis intersit, omnem potestatem in unum conferri. Idque ipse M. Tullius vel invitus fatetur, eum statum fuisse Reip. Romanæ, ut eam unius consilio atque cura gubernari fuerit necesse. Verum hac in re arte opus est, atque singulari prudentia: Ideòque Cicero appellavit πολιτικὸν opus veluti in dirimendis controversiis Cæsaris & Pompeji. *Vtinam,* inquit, *in hac miseria Reipublicæ πολιτικὸν opus efficere, & navare mihi liceat, lib. 9. Epist. 11. ad Attic.* Et Balbus in Epistola quadam ad Ciceronem, *Quod si Pompejus & Cæsar conjungi possint, me satis vixisse putabo.* Est πολιτικὸν opus, arduum opus ac difficile. Sic idem Cicero πολιτικὸν σκέμμα: quæstio politica, quæ difficultatem habet. *Est,* inquit, epistola 1. *lib. 10. ad Attic.* τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων; *veniendum ne sit in consilium Tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit.* Cæterum ad unius etiam potentiam, quæ in Republica optimatum formidolosa est, infringendum, arcanum illud quod ab Æduis usurpatum reperio apud Cæsar. in Comment. ne duo ex una familia, vivo utroque, non solum magistratus essent, sed ne quidem uno tempore in Senatu. quamvis etiam hoc ipsum periculo non caret, ut innuit Aristoteles 5, *Politicorum.* Eadem causa fuit, quare Pompeius Columna, Iulianum Mediceum Pontificem fieri noluit; quod Pontificatum in una domo duobusque fratribus continuari, parum æquum ac maxime ambitiosum putaret, autore Iovio. Atq; olim apud Livium lib. 1. Sabini, sui corporis regem creari volebant. *Ne, quia post Tatii mortem, ab sua parte*

In quo prudentia. πολιτικὸν opus quid.

Ne duo vel plures ex una familia magnos magistratus gerant, eodem tempore.

Ne magna imperia ab una familia præscribantur.

parte non erat, regnatum, in societate æqua possessionem imperii amitterent. Quanquam regulariter jura publica præscribi nequeant: Præscriptio enim temporis, juri publico resistere non debet, *l.6.C. de oper. publ.*

CAPVT XIII.

Arcana plebis sophismata contra Optimates: & quomodo ingenia Democratica discernenda sint à patriciis & regiis. Lex Licinia. Lex repetundarum. liberæ accusationes. ne plebs penuria laboret.

Atque horum præcipuus usus est in Aristocratico statu. Cæterum arcana Democratica contra optimates, penè eadem sunt; sed inverso ordine. Ita enim Arist. *lib.4. Polit. c.13.* ἐν δὲ ταῖς τιμοκρατίαις, πρὸς ταῦτ᾽ ἀντισοφίζονται· τοῖς μὲν γὰρ ἀπόροις, μισθὸν πορίζουσιν, ἐκκλησιάζουσι, καὶ δικάζουσι, τοῖς δὲ εὐπόροις οὐδεμίαν τάττουσι ζημίαν. *In populari autem statu, contra hæc, alia excogitant. Pauperibus enim salaria constituunt, concionantibus atque judicantibus; divitibus autem, ac Patriciis, nullam pœnam imponunt.* Vnde plebs ad magistratum contendit, inlecta mercede ac præmiis; Patricii verò ultro à magistratu abstinét. Et lib. 4. cap. 9. ἐν ταῖς δημοκρατίαις, τοῖς μὲν ἀπόροις μισθὸν τάττουσι, τοῖς δ᾽ εὐπόροις οὐδεμίαν ζημίαν. *In populari statu, plebi mercedem, divitibus pœnam nullam constituunt.* Quod ait Livius lib. 4. *Eo impendi laborem atque periculum, unde emolumentum atq; honos speretur.*

Arcana Democratica contra optimates pene eadem ordine inverso.

Recensentur quædam ex Aristotele.

Eadem est ratio circa arma, & armorum usum atque meditationes bellicas, quibus in Democratia cum primis plebs vacare debet. Respublica enim, teste Aristotele, est eorum,

Quæ hic ratio circa armorũ usum.

 qui

Imperare populares & Reip. præsentem statum amantes. Quomodo tales discerni possint in Rep. Rom.

qui arma possident: quæ omnia ex superioribus intelliguntur.

Sunt & alia occulta consilia in Imperio populi. Permagni enim interest in Democratia, eos imperare, qui & populares sunt, & præsentem Imperii statum amant. Qui distinctè discerni possunt in Historia Romana. Nam stante Repub. boni Aristocratici fuerunt App. Claudius, Coriolanus, Furius, Manlius, Cæso. Contra boni populares fuerunt, & veluti magistri plebis, Servilius, Tit. Quinctius, Menenius, Sicinius Virginius, aliique. Hos libenter plebs in magistratu videt, illos Patricii:

Quod eo referri possunt diversæ leges apud Romanos, quales Lex Licinia, Valeria & Repetundarum. Petere à magistratu rerum gestarũ ratione. Popularis accusatio.

Quibus adde tertium genus eorum, qui regnum affectabant, quales erant Melius, & Manlius. De Manlio Livius *lib.6. Vir, nisi in civitate libera natus esset, incomparabilis.* Sed & alia huc refero, quorum familiam ducunt *Lex valeria,* de qua Halicarnasseus, & Livius *lib.*10. & *lex Licinia,* qua cautum fuit, ne quis civium plus possideret, quinquaginta jugerum. Ideò Tribuni plebis ad Patricios: *Auderentne postulare, ut cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret? Lex repetundarum*: Id quod identidem monuit Aristoteles in populari statu, rationem rerum gestarum à magistratu sæpenumero petendam esse. Quibus adde populares leges, popularem educationem, liberas accusationes, quæ veluti arma fuerunt plebis Rom. adversus Patricios. Sicut enim illæ calumniandi artes Reip. perniciosissimæ sunt; ita accusationes liberæ maximum in Republ. usum habent. Id tradit Livius *lib.* 1. *In exeuntem, inquit, Coriolanum è curia impetus factus esset, ni peropportune diem tribuni dixissent.*

Vbi

Vbi *ira est suppressa, se judicem quisque, se dominum vitæ necisq; inimici factum videbat.* Aliud est enim calumniari, aliud prævaricari, aliud accusare: quod docet Cujacius *in obs. l. 4. & 10.* Et vide hac de re duos prudentissimos scriptores ac populares, Machiavellum & Ammiratum. Ac tamen rectè monet Aristoteles in populari statu magnam pœnam constitui oportere iis, qui crimen alicui sternere intentaverint. In primis autem iis, qui in Republ. populari imperant, cavendum est, ne plebs penuria laboret, neve cogatur à divitibus opem petere, iisdemque se summittere. Ita enim primores Romani usi sunt occasione annonæ, ad dissolvendam tribuniciam potestatem. Deinde opera danda est, ut divites & nimis potentes per vectigalia, tributa, aliosque occultos, sed legitimos sinus emungantur, adeoque semper maneat penes populum & potentia, & summa autoritas atque majestas.

Magnā pœnam cōstituere iis, qui crimen alicui sternunt.

Cavere, ne plebs penuria laboret.

Annonam sufficere plebi.

CAPVT XIV.

Arcana Democratica contra regnum. Iurare neminem passurum regnare; bona regia diripere; destruere domum ejus qui regnum affectat; Regum imagines abolere; memoriam damnare; statuas frangere. Innominabiles. Imperia non prorogare; cavere intestina bella, ὠδῖνας Rerumpublicarum.

OMnium maximum periculum est in populari statu ab iis, qui vel animi mobilitate novis Imperiis student, vel dominandi libidine ipsi imperium affectant. Hæc est natura mortalium, non contentum esse præsenti statu. Qui in libertate vivunt, regnum

Arcana Democratica conservandæ libertatis

tis contra novis Imperiis studentes. Talia sunt. *1. Iure iurando adigere populū neminem passurum regnare. Bona regia diripere Ædes diruere. Lege gesta confirmare. Tyrannorum & regnum affectantiū imagines abolere. Memoriam eorum da-*

gnum exoptant; qui in regno, libertatem. Multi nullo contenti sunt Imperio, nullo Reipublicæ genere. Qui vix dum hodie unum experti sunt, cras aliud affectant, quod postridie identidem evertant: adeò ipsos quidem Iudæos non potuit non pœnitere recuperatæ libertatis. *Exod. 16.*

Contra hujuscemodi reperta etiam sunt arcana consilia stabiliendæ libertatis. Quale est illud Bruti, qui omnium primum, avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare, adeoque bona regia diripienda plebi dedit, ut contacta regia præda, spem in perpetuum cum his pacis amitteret, Livius *lib. 2.* Idem *lib. 4. Nec satis esse sanguine ejus expiatum, nisi tecta, parietesque, intra quæ tantum amentiæ conceptum esset, dissiparentur, bonaque contacta preciis regni mercandi publicarentur. Iubere itaque quæstores vendere ea bona, atque in publicum redigere, domum deinde, ut monumento area esset, oppressæ nefariæ spei dirui extemplo jussit.* Quod etiam mansit sub Imperatoribus. Ita in *lib. 2. titul. 53. De pac. ten. Bona ejus publicentur, & domus ejus destruatur.* Pulchra certe ratio confirmandi plebem aliàs inconstantem, & vento mobiliorem.

Quo nomine Ædui, ut refert Cæsar 1. *de bello Gallico*, profectionem suam adversus Gallos lege confirmarunt. Eandem ob causam nemini in Republica Romana licuit Tyranni imaginem habere. Ambros. 1. offi. *Si Tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi?* Adeoque memoria tyrannorum, eorumque qui regnum affectaverant, damnabatur.

tur. Nam postquam Manlius regnum affectasset, gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. Et Cicero 14. *Philip. Cujus totus consulatus est ex omnium monumentorum memoria revulsus.* Et hi in jure Canonico dicuntur innominabiles; sicut & statuæ eorum frangebantur: Iuvenalis,

mnare. Imagines frã-gere.

Frangenda miseram funestat imagine gentẽ.

Quibus artibus & plebi regnum invisum redditur, & regni memoria perpetua oblivione sepelitur.

Præcipuè autem illa imperiorum diuturnitas atque prorogatio, in populari Republica periculosa est. Quod ait Livius *lib.* 4. *Libertatis magna custodia est, si magna imperia diuturna esse non sinas, & temporis modus imponatur, quibus juris non potest.* Et *libro* 9. clarius: *Triennium*, inquit, *& sex menses, ultra quam licet Æmilia lege, censuram geram, & solus geram, hoc quidem jam regno simile est.* Et lib. 3. de Decemviris: *Idus Maja venere nullis subrogatis magistratibus, privati pro decemviris, neque animis ad imperium inhibendum imminutis, neque ad speciem honoris insignibus prodeunt; id vero regnum haud dubiè videri, deploratur in perpetuum libertas.*

Non sinere esse diuturna Imperia.

Quod quidem propriè sophisma non est. Est tamen occulta & necessaria ratio conservandi Democratiam, quarum aliquot alias vide apud Aristot. in Polit. sicut & illud, cavendas esse inprimis in hac Republ. seditiones ac bella civilia, quæ componi vix possunt, nisi Imperio ad unum devoluto. Quod Tacitus de Augusto refert, eum, Rempublicam, discordiis civilibus fessam, nomine Principis sub imperium accepisse. Quare scriptor qui-

Seditiones & bella civilia tanquã regnum parturientia avertere.

dam Gallicus hujuscemodi bella civilia ex Plutarcho, ni fallor, appellat dolores, sive ut Græci vocant ὠδῖνας Reipublicæ parturientis magnum aliquod regnum.

CAPUT XV.

Arcana regia, sive Arcana Imperii contra plebem. πρόφασιν ac titulum excogitare occupati Imperii, colorem quærere. Lex regia, sive lex Imperii. Lex Valeria. Donatio Constantini. Solymanni prætextus ad occupandam Romam. Veneti quomodo sint Domini maris.

Arcana Imperii contra plebem.

HActenus de Aristocraticis & Democraticis Arcanis. De regiis verò, quæ Cornelius Tacitus appellat *Arcana Imperii,* frustra apud Aristotelem quæras. Itaque operę precium me facturum puto, si quædam etiam ex Scriptoribus aliis excerpsero, quæ latent, & vix ab ipsis autoribus exprimuntur: tum quod id à nemine hactenus factum est, tum etiam quod id maximum in Principatu usum habet. Æquè enim difficile est, atque haud scio an difficilius, populum natum libertati, cujus, ut ait Iovius, dulcissimum nomen est, ad regni leges cogere atque assuefacere. Quo majori opus fuit prudentia illis, qui libertate plebi erepta, regni fundamenta valida jecerunt.

Colorem & titulum quærere occupati Imperii.

Cujus rei multæ sunt artes; qualis est illa: excogitare prætextum, sive πρόφασιν occupati Imperii. Vide Sallustius appellat legitimum Imperium, veluti de Romanis in bello Catilinario *Imperium legitimum, nomen Imperii regium habebant.* Tiberius certè famæ dedit, ut vocatus electusque potius videretur, quam per uxorium

uxorium ambitum & senili adoptione inrepsisse. Idem de Nerone Seneca in Octavia: *Ementitus, vel extortis imperii legibus & Sctis.*

Licet ingratum
Dira pudeat munere matris
Hoc Imperium cepisse.

Pleraque enim regna vi & bello, nonnunquam per scelera, occupantur. Qui titulus quandoquidem invidiosus est & violentus; consultius est ementiri Imperii Leges, & SCta, vel saltem invitis extorquere, quæ postea, omnibus aliis postpositis, sola, & veluti ἐν αἰνιγμοῖς magnificè ostentaturi, ὅπως, ut ait Xiphil. μηδὲν δόσεως τινὸς ἔχειν δοκῶσιν. hoc est, *ut omnia habere videantur concessu populi*. Sicut etiam, *in contractibus privatis color quæritur*, ut ait Iulianus *lib. 7. ff. de SCto Maced.* Quo certior sum legem regiam, quæ de Imperio Principis lata dicitur, quave populus ei, & in eum, omne imperium suum & potestatem concessit, ante Vespasiani imperium nullam fuisse, vel si fuit, aut emendicata est, aut vi extorta, quicquid alii sentiant. *Lex Regia de Imperio quando lata.*

Veluti Sylla, fretus exercitu ac legionibus in urbem admissis, Dictatorem se in annos quinque lege Valeria creari jussit. Quam tamen legem M. Tullius negat fuisse legem. Sic Augustus consulatum vigesimo ætatis anno invasit, admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque qui sibi nomine exercitus deposcerent. Cum quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere: *hic faciet, si vos non feceritis*. Tranquillus in Augusto. Et Cosmus Medices post Alexandri cædem Senatum Florentinum *Exempla eorũ qui vi imperiũ occupant.*

Cosmus de Medices. rentinum coëgit, ut se perpetuum ducem crearet. De donatione Constantini, nemo est tam bardus, quin idem sentiat: & eruditè nuper hoc, præter doctiss. Hottomannum, ostendit Gentilettus in Apologia. Quinetiam ingenuè, καὶ ἀφελῶς, ipse Pontifex Paulus III respondit, quærenti de Iure Pontificatus, totque Principatuum titulo: *O te, inquit, hominem scholasticum, & omnium rerum ignarum, qui imperii jus quæris, quod jam à tot annis contra omnium vim possidemus, ac ferro defendimus.* Eandem fraudem fassus est Solymannus; Romam ad Ottomannos pertinere, propterea quod à Constantino, in præjudicium successorum, alienata sit. Veneti certe Dominatum maris non alio titulo se obtinere, publicè professi sunt, quam bello & victoria: ut constat ex arguta & ingenua responsione missâ ad Pontificem.

Donationis Constantini eadem ratio & Imperii Pontificii. Turcarū prætextus in occupanda Roma, Venetorum in mare Dominii.

CAPUT XVI.

Ἀκκισμὸς, *sive tergiversatio in accipiendo imperio.* ἱέρων *semper deliberat. Ingerens se suspectus fit. Blæsi inepta recusatio.*

Avidè expetita Imperia cùm demandā turquasi invitè suscipere. Eadem ratio est infatuandi plebem, quoties ii, quibus imperia & dignitates demandantur, ita se fingunt atque componunt, ut videantur inviti illud agere, quod amant. Græci eleganter appellarunt ἀκκισμὸν, ab Acco illa, quæ quod cupiebat, curiosissimè recusabat. Cujus rei duplex usus est. Nam hac recusatione cum aliorum sententia elicitur; quod de Tiberio refert Tacitus, *eum ad introspiciendas procerum voluntates, induxisse dubitationem*; tum plebs magis magisque accenditur ad rem, quam intendit, efficiendam. Id ait

Usus Accismi. Ejus si-

Id ait Livius lib.6. *Licinius*, inquit, *Sextiusque cum tribunorum plebis creandorum indicta comitia essent, ita se gerere, ut negando omnia, sibi duplex velle continuari honorem acerrimè accenderent ad id, quod dissimulando petebant plebem.*

mulationis usus notatur.

Quam artem egregiè calluit Augustus, de quo Tacitus 1. Annal. *eum specie recusantis flagrantissimè cupivisse:* & de Tiberio idem Tacitus *Ambiguus imperandi:* & Suetonius. *Tandem*, inquit, *quasi coactus, & querens miseram & onerosam sibi injungi servitutem, recepit imperium, nec tamen aliter, quam ut depositurum se quandoque spem faceret*. Qualem dubitationem etiam bellè finxit Otto Imperator factus: qui, teste eodem Suetonio *quasi raptus de publico, & suscipere Imperium vi coactus gesturusque, communi omnium arbitrio palatium petiit*. Hinc arbiter:

Augusti in ista re, peritia.

Et Ottonis Imperatoris.

Nolo, quod cupio, statim tenere,
Nec victoria mî placet parata.

Eadem arte Ioannes ille Basilides Moscoviæ dux, usus fuisse legitur. Talis autem Theophrasto εἴρων dicitur. Ita enim in Characteribus: *Quicquid agit cavillator, clam id habet, & se adhuc deliberaturum dicit*. Vnde etiam lege cautum est, ne magistratus, eos tutores crearent, qui se ipsos volunt ingerere; quive, ut creentur, pecuniam dant. Hos enim pœnæ obnoxios esse promulgatum est *l. 21. D. de tutor. & curat. & l.25. D. de procurat. Non ferendus est procurator, qui sibi adserit procurationem: nam hoc ipso suspectus est, qui operam suam ingerit invito.* Hinc Alexander Imperator dicere solitus est invitos, non ambientes, in Rempubl. collocandos esse. Et vel ob hanc causam hujuscemodi accismum finxerunt primi Imperatores.

Accismus improbatus.

Circa

Magna difficultas circa eum. Circa quam rem tamen magna difficultas est. Talis enim cunctatio, quamdiu non apparet, dignitatem & usum habet suum, ubi verò erumpit & palam fit, inepta est atque ridicula. Quales sunt, qui quod cupidissimè ambiunt, ita recusant, ut ipsorum libido atque aviditas vel cæcis appareat. Idq; Tacitus notat in Blæso. *Hic Blæsus, cum legeretur Procos. Africæ, respondit specie recusantis; sed neq; eadem asseveratione & consensu adulantium auditus est: exin promptum quod multorum intimis questibus tegebatur, &c.*

CAPVT XVII.

Otium plebi auferre. discernere contumaces ab obsequiosis. Ἀντίτεχνοι contumaces. Elati supra modum hominis privati. feroces. plusquam civilia agitantes. Recalcitrantes Majestati: Modesti, obsequiosi, obsequio grassantes. ἄρεσκοι, Placentini, Courtisani, Hoffleute; & notatur ingeniorum diversitas in magnis civitatibus.

SIcut autem cum in regno, tum in aliis Rebuspubl. plebs ab Imperiis & armorum exercitio abstrahenda est; ita è contrario nonnunquam expedit Reipublicæ plebem, eosq; omnes qui præsentem Reipublicæ statum oderunt, in bellum mittere. Id quod maximi Imperatores ac Principes sæpenumero observarunt. *Vulgus occupatum tenere bello aliisque negotiis.* Quod si bello opus non est, ibi tum aliis modis plebs fatiganda est, veluti Herodes ille, de quo Iosephus lib. 15. cap. 13. *eum cavisse conjurationes ac turbas, quod otium abstulerit plebi, eumque semper laboribus fatigaverit.* Idem Aristoteles lib. 6. Politic. innuit. Hinc Livius lib. 6. *Timor*, inquit, *inde Patres*

tres incessit, ne si dimissus exercitus foret, rursus cœtus occulti conjurationesque fierent. Et libro 3. *Nunc cernentes, ex ocio illo brevi, multiplex bellum oriturum.* Ea enim est natura plebis, ut in periculo constituta citius & facilius officium suum faciat, quam ubi omnia feliciter eunt. Quo etiam nomine nonnunquam novos hostes quæsiverunt Romani vel invici, ut videre est apud Livium libro 3. *Secunda,* enim inquit, *res extemplo urbanos motus excitaverunt.*

Civium animos discernere, & popularitati nimis studentes notare.

Sed inprimis discernere hic quoque operæ precium est civium animos, eosque tanquam suspectos notare, qui nimium popularitati student. Si enim facile plebis animos quoquo versum torquent ac rapiunt; quod libertatis avidi, præsentem Rempubl. contemnunt, quos Aristoteles appellat ἀντιτέχνους, καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους. Cornelius Tacitus nunc *contumaces* vocat, nunc *feroces*, nunc *turbidos*, nunc *violentos*, item *plus quam civilia agitantes*; Livius lib. 4, *elatos supra modum hominis privati*; Curtius, *Contumacia suspectos,* lib. 6. de Philota: *non quidem sceleris, sed contumaciæ suspectum*; Ammianus *recalcitrantes Majestati*; Calpurnius, *Sceleratos. Sceleratis,* inquit, *ingeniis & plus quam civilia agitantibus, non dominari, instar servitutis est*; Posteriores Imperatores *impios & Majestatis hostes.* Hinc Tacitus de Druso: *displicere regnantibus civilia filiorum ingenia*: & de Aprippina, *eum popularibus studiis inhiare dominationi,* & de Aruntio, *eum plus quam civilia agitare, Pollionisque Asinii patris ferociam retinere.* Qualis erat etiam Avidius ille Cassius, de quo Volcatius: *Oderat tacitè principatum, nec ferre*

Talis erat Avidius Cassius.

poterat

poterat Imperatorium nomen, & de quo Verus apud eundem. *Omnia ei nostra displicent, opes non mediocres parat, literas ridet*.

Principes magni faciunt præsenti imperio faventes.

Contra verò magni facit Princeps eos, qui dominationi suæ & præsenti Imperio favent, &, ut cum Horatio loquar, *obsequio grassantur*. Hinc Tacitus lib. 3. Annal. *Quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat*. Hi enim præsentem Reipublicæ statum amant. Ideò Tacitus appellat *modestos, obsequiosos, servitio promptos*, Græci ἀρέσκους, Latini *bellos, placidos homines*, quasi dicas Placentinos. Hodie sunt Courtisani, sive Hoffleute / Aristoteles βαπ-λδυτὸν γένος ἀνθρώπων. Quales erant Sabinus, Capito, Vitellius, aliive quos vulgus hodiè appellat Aulicos Politicos.

Exempla talium.

Cæterum hujuscemodi ingeniorum diversitas in plerisque magnis & vastis civitatibus reperitur, in quibus alii Aristocratici sunt, alii plebeji & populares, alii Principum partibus favent, alii patriciorum, & factionibus student, ut de urbe quadam Ioniæ testatur Aristoteles 5. Polit. c. 3. & Plutarchus de Athenis, & de Parisiis Monstrolettus, & de Atrebatibus Cominæus: eamque rem naturæ locorum & intervallis ascribit Aristoteles.

Arcana regia adversus Patricios. Ne prorogētur Imperia. adeoq;

CAPVT XVIII.

Arcana regia contra Patricios. Ne quis sententiam dicat super comitiis. Ne comitia Magistratuum in quinquennium habeantur. Vt consul quinquennio post, in provinciam eat. Ne quis proprio sumptu ludos edat. Vt Præfecti Prætorio, sint viri togati, viri principales.

IN Senatu Romano, sub Tiberio, Asinii Galli sententia fuit, ut magistratuum comitia in

in quinquennium haberentur, & ut princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. Vbi Tacitus 2. Annal. *Haud dubium*, inquit, *erat, eam sententiam altius penetrare, & Arcana Imperii tentari*. Est hoc arcanum regium adversus patricios. *Primo*, quod creatio magistratus ad Imperatorem pertinet. *Deinde*, quod prorogatio Imperiorum imminebat præsenti Reipubl. adeoque periculum erat, ne hac ratione Respubl. Romana in priorem statum reduceretur. Itaque postea addit: *Superbire homines annua designatione, quid si honorem per quinquennium agitent? Item, Vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur, quantum odii fore ab his, qui ultra quinquennium projiciantur? Tertio*, facultas eripiebatur principi gratificandi pluribus, cum tamen princeps, & cum primis novus, nulla re magis opus habeat, quam favore ac benevolentia civium.

Creatio magistratus. Rationes hujus arcani. quod 1 creatio magistratus ad Imperatorem pertinet. 2. Prorogatio Imperiorum præsenti Reip. imminet. 3. Potestas pluribus gratificandi. auctoritatem Principi conciliat.

Ac quanta sit potestas & autoritas ejus, qui in Republica largiendi gratificandique civibus occasionem habet, videre est apud Aristotelem lib. 2. Polit. cap. 7. idque Cassiodorus innuit. *Ideò*, inquit, *antiquitas dignitatem provinciarum voluit annua successione reparari, ne diuturna potestate unus insolesceret, & multorum provectus gaudia reperirent*. Quare Aristoteles Laconicam Rempublicam reprehendit, quippe in qua diu durabant magistratus, & cum maximo imperio. Quo nomine Augustus, ut plures partem administrandæ Reipubl. caperent, nova officia excogitavit. Eadem ratio est, quare, cum Tribuni plebis peterent, ut sibi liceret proprio sumptu ludos

edere;

edere; Tiberius inhibuit, decreta pecunia ex ærario, quod hac privata popularitate, ad priorem statum vergere poterat Respublica. Cæterum illud callidè juxta ac prudenter idem Augustus; quod cum, stante Republica, consul Romanus provinciam sortitus, deposito consulatu, statim cum Imperio in provinciam ivisset; primus instituit, ut deposito honore, in urbe maneret quinquennium, antequam in provinciam abiret. Ita tam consules, quam Prætores, in provincias ibant non promiscuè, sed secundum ordinem, quo eos magistratus in urbe gessissent; hoc nimirum consilio, ut superbiam illam animique ferociam, quam ex annuo illo & potenti magistratu conceperant atque imbiberant, intra quinquennium iterum deponerent, ac privato vitæ genere quasi depascerentur.

Inde Augusti de provinciarum quinquennali sortitione institutio.

Eadem etiam causa fuit, quod cum antea Præfecti Prætorio (quorum officium maximum fuit, & teste Zosimo, proximum post sceptrum) ex hominibus militaribus legerentur. Postea Iuris scientia hunc locum sibi vendicavit. Intutum enim videbatur, viris rei militaris peritis, quamvis tenui origine natis, tantam potentiam tribuere. Quare Vlpiani, Papiniani, aliorumque ICtorum industria factum est, ut amplissimum hoc munus, togata potius, quam bellica arte administraretur. Vnde & Pomponius Iurisconsultos appellat *Principales viros*, & Spartianus in Iuliano; *nobilem nobiliorem fieri Iurisprudentia*. Cæterum sententia illa Asinii Galli; quamvis præsenti dominationi periculum intentare videbatur, Tiberius tamen, quasi augeretur potestas ejus, disseruit, & favorabili in speciem oratione vim

Vt magna Imperia committantur potius togatis, quam militaribus viris.

ne vim imperii tenuit. Hæc enim est natura arcanorum, & bellissima ratio obtinendi quod velis.

CAPUT XIX.

Quare Tiberius Magistratus & Iurisdictionis Præsidium continuaverit. Duo hominum genera in regno. Quibus potissimum in regno magistratus demandandi sunt. Fideles, Liebe Getrewen/gut Keyserisch.

Dixi arcanum Imperii esse, ne prorogentur Imperia, cumprimis in principatu recenter occupato. Quare Cæsar & Augustus, omnes magistratus annuos fecerunt. At enimvero Tiberio id morum fuit, inquit Tacit. 2. Annal. *continuare Imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut jurisdictionibus habere*. Et lib. 4. Annal. *Res suas Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat: semelque assumpti, tenebantur prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent*. Cujus rei causæ variæ recensentur, quæ merito in disquisitionem veniunt. Dion testatur, Tiberium rogatum respondisse, hirudines multo sanguine hausto quiescere, recentium morsus esse acerrimos. Alii putarunt id factum à Tiberio tædio novæ curæ. Nam, ut ait Horatius: *Exponuntur caussæ cur Tiberius contra præcedens arcanum imperia continuaverit.*

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborent,
An sit amicitia dignus.

Hinc Alexander Severus dixit, magnum virum esse oportere, qui velit creare Senatorem. Quidam dicebant, ad majestatem imperatoriam pertinere, ut ea quæ semel placita erant,

pro

pro æternis servarentur. Nonnulli ex invidia fieri, ne plures fruerentur. Fuerunt qui existimarent, ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium: neque enim eminentes virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat; ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat. Ab his enim Reipubl. periculum est, ab illis Principi. Hi sunt, quos Græci appellant ἀπονενοημένους, Vlpianus personas in turpitudinem notabiles, Cicero desperatorum hominum flagitiosos greges. Ac tamen illi, ut ait Salustius, quam hi, regibus suspectiores sunt: semperque iis aliena virtus formidolosa est. Rationem reddit Tacitus 3. Annal. *optimos quippe mortalium altissima cupere.* Hæc alii.

Duplex hominũ genus Romæ fuisse.

Cæterum, ut dixi, duplex erat Romæ hominum genus, quemadmodum etiam Athenis fuisse testatur Athenæus. Alii favebant dominationi Principum, quos Gunterus fideles appellat; hodie Liebe Getrewe: Alii memores adhuc pristinæ libertatis, antequam Rempublicam restitutam cupiebant. Germani distinguunt per gut Keyserisch / & gut Stättisch. His imperia & Iurisdictiones non dedit Tiberius, nedum prorogavit; quin potius eorum vitam, consilia, sermones, publicè privatimque notavit; præsertim quorum erat spectata virtus: quales Asinius, Aruntius, Haterius, Piso, Scaurus. Idque expresse Aristoteles 3. Polit. cap. ult. monet, ut Principes ejuscemodi circa se habeant, qui non tantum ipsius sint amici, verum etiam Imperii; quive nolint præsentem statum eversum. His ergo & dedit & continuavit, præsertim mediocribus virtutibus præditis:

Qualibus danda & proroganda, data & prorogata Imperia à Tiberio.

tis. Quales erant Sabinus, Capito, & sub Claudio, Vitellius; in cujus statua fuit hæc inscriptio: *Pietatis immobilis erga Principem.* adeoque Poppæo Sabino non tantum provinciam Mæsiam prorogavit, verum etiam alias addidit, Achaiam & Macedoniam: quas aliis, quorum ingenia nondum noverat, vel suspecta habebat, & anxie, & cum periculo dedisset. Sic Iovianus, ut refert Marcellinus lib. 25. *ut sub initia se firmaret, Maliarcham, ex familiaribus negotiis, agentem etiam tum in Italia, Iovino jussit succedere armorum Magistro per Gallias; genuina utilitate prospeculata; ut & dux meriti celsioris, ideoque suspectus, abiret è medio, & homo inferioris spei, ad sublimiora provectus, autoris sui nutantem adhuc statum studio fundaret ingenti.* Quam ob causam Mecœnas Augusto suasit, ut ex equitibus tantum eligeret Præfectum Prætorio, ne quis generis nobilitate fretus, aliquid conaretur adversus principem ipsum. Cæterum Sabino prorogata fuit provincia nullam ob eximiam artem, ut ait Tacitus Annal. *sed, quod par negotiis, neque supra erat*. Tales enim vere aulici sunt; adeoque principibus grati. Quippe apud quos, teste eodem, *industria ac vigilantia haud minus noxiæ sunt, quoties parando regno finguntur.* In quo laudat Tacitus socerum suum. *Nullis*, inquit, *in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur*, & alibi: *nihil compositum in ostentationem*: Pisonem Vellejus: *actu*, inquit, *otioso similimus.* Reliquis enim magnitudo illa famę exitio est.

Character boni Aulici.

CAPVT XX.

Extra Romam creari posse Principem. Peregrinum creari posse Pontificem. Roma sedes Imperii æterna, pignus Imperii, auspicato condita, Terrarum Domina, Fortunæ sedes. Electio in Imperio. Electoris Palatini dignitas. Interregnum in Imperio.

Princeps ne extra Romam creetur.

DE Servio Galba in Hispaniis Imperatore creato, ita Tacitus lib. 1. Historiar. *Finis,* inquit, *Neronis, ut lætus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modò in urbe apud patres, apud populum, apud urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato Imperii Arcano, posse principem alibi, quam Romæ fieri.* Hæc ille. Cæterum magnum hoc erat præjudicium adversus Romanam Rempubl. Roma enim non tantum dicebatur caput, & sedes Imperii orbis æterna, ut est in *l. 3. C. de Coss.* (Vnde etiam urbs æterna appellabatur: item terrarum Domina ab Ammiano lib. 14. & ab Athenæo ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, & Capitolium, sedes Iovis Optimi Maximi atque pignus Imperii; item auspicato inauguratoque à majoribus conditum) verum etiam in ea ipsa Roma, Fortuna Imperii putabatur habitare, quo nomine Fortunam inter Lares patrios colebant Principes, credo, quod Serbius Tullius à fortuna ex servo in regem esset evectus. Quare meritò in tam augusto loco principem orbis terrarum eligi oportebat.

Ratio Arcani.

Consul non potuit alibi, quam Romæ fieri.

Quam, etiam ob causam Consul Romanus auspicato fieri non potuit extra Romam, vel in provinciis, ut testatur Livius lib. 21. Verum ego puto illud factum, ad infringendam libertatem populi Romani. Sicut enim in eo liber-

tas

tas posita erat populi Romani, quod non nascebatur, sed eligebatur princeps; quod ait Galba apud Tacitum 1. Annal. *loco libertatis erit, quod eligi cœpimus:* ita in eo quædam servitus apparet, quod extra Romam creari potuit.

Arcanum in Imperio Pontificio peregrinum in Hispania versantem posse creari Pontificem.

Porro in Pontificio Imperio arcanum videtur, peregrinum, & qui in Hispania erat, creari posse pontificem. Id quod ex Iovio colligo in vita Hadriani. *Creato*, inquit, *Pontifice Hadriano & in Hispania versante, cum opifices, puerique, minacibus oculis, voceque & manibus obstreperent Cardinalibus, nec à seditiosissimis probris abstinerent: Sigismundus Gonzaga Cardinalis, renidenti vultus his egit gratias, quod adversus extrema supplicia meritos contumeliis essent contenti nec lapidibus publicam injuriam vindicarent.* Qua de re, apud eundem, hæc est Oratio seditiosorum. *Quasi Romanæ civitati omnino erubescendum sit, aut Christiano orbi pœnitendum; quod Cœlestinus comes, Honorius, Sabellus & Martinus Columna* (hi fuerunt cives Romani) *sacris præfuerint.*

Hodierna imperii electio ejusdem fere generis.

Ejusdem fere generis est electio hodierna Imperatorum. Iuris enim Imperii apex est, (verba sunt Frisingensis) non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem reges creare, idque sibi tanquam ex singulari vendicant prærogativa Imperii ordines. Item cognitio illa Electoris Palatini, in causis gravatoriis ut vocant, in Imperatorem, ex pragmatica sanctione aureæ Bullæ. Sicut & illud quod tempore interregni, Majestas Imperii ad Electores devolvitur: quemadmodum, mortuo Conrado Imperatore Elector quidam apud Guntherum ait:

Item cognitio Electoris Palatini in causis gravatoriis.

Interregnum in Imperio.

In manibus nostris regnum est: ea quippe potestas

Ad

Ad nos, more suo, semper viduata recurrit

CAPVT XXI.

Vt certus sit successor, & hæres Imperii. Consortes Imperii. Adminicula Augusti. Munimenta Imperii. Subsidia Aulæ. Subsidia Dominationis. Pacta gentilitia de mutua successione, ἀλληλοκληρονομία, Erbverbrüderung. Omnis mutatio Principum periculosa.

Vt quovis tempore certus sit hæres Imperii. Ratio quod ubi successor est incertus, facile Resp. in aliam formam mutatur.

PErmultum autem facit ad regnum conservandum, ut quovis tempore Imperii hæres sit, & certus hæres. Inprimis hanc ob caussam, quod principatus sive regnum, mortuo sine hærede Rege, facile in partes distrahitur, & in aliam Rempublicam mutatur, ut testatus est Aristoteles & exempla sunt obvia in Alexandro, Philippo Maria, Ioanna regina Neapolitana, aliisque. De Alexandro ita Iustinus: *Alexander*, inquit, *rogatus, quem hæredem faceret Imperii, respondit, dignissimum. Qua voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ immisisset, ita omnes in æmulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum favorem militum quærunt.* Et Curtius libro decimo: *Sine certo*, inquit, *regis hærede, sine hærede regni, publicas vires ad se quemque tracturum.* Sumo hoc pro arcano regio adversus regni proceres. Vbi enim successor in incerto est, ibi facile ad pristinum statum relabitur Respublica.

Et in pristinũ relabatur statum.

Olim Caroli Magni stirpe sublata, cum postremus Germanorum Rex neminẽ adoptasset, regnum momento devolutum est ad quinquaginta quatuor Imperii Principes. Sic Longobardi

bardi mortuo sine legitimo hærede Clephonio, in populi potestatem lapsi sunt. Et in Polonia, postquam stirps Lechi defecisset, comitiis de constituenda Republica habitis, regnum duodecim invaserunt nobiles. Et rursum cum stirps Craci defecisset, ad eandem Oligarchiam eâdem occasione reversi sunt. Deinde, præsentia & certitudo hæredis aliorum spes tollit. Quod ait Tacitus lib.3. Annal. *Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur:* & alibi, *plena Cæsarum domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram cupitis Sejani adferebant:* Sed hac de re accuratius disputo in Oratione de successore Principis & quædam vide in libro tertio. Propterea quod hoc potius ad dominationis arcana referendum est. Non enim tantum Reipubl. præsentis salus in eo posita est, verum etiam ipsius Principis. Qua ratione Seneca hæredes appellat *adminicula Augusti*: Suetonius *subsidia aulæ* & *consortes Imperii*: Plinius *subsidia dominationis*. Ideoque Augustus, Germanicum adsciri per adoptionem à Tiberio jussit, *ut plurib. munimentis insisteret*, ut recte legit Lipsius, non *monumentis*. Quo fere modo Livius, tribunitiam potestatem vocat *munimentum libertatis*, & Curtius lib. 4. Tygrin, Araxen, & Hydaspen vocat magna munimenta regni.

Id docetur exemplis.

Arcanum hoc ad arcana dominationis referri.

Fundamentum esse fœderum gentilitiorum de successione mutui, Erbeinigung.

Vnde etiam nata sunt pacta illa gentilitia de mutua successione: Græci vocant ἀλληλοκληρονομίαν nos Erbverbruderung/Erbeinigung: ut hujus gente exstincta, illius huic succedat. Quo nomine Cosmus Mediceus, postquam fundasset Episcopatum S. Stephani, lege cavit, ut ejus administratio penes gentem suam esset, qua deficiente ad eos devolveretur, qui uterentur

rentur titulo magni Ducis Hetruriæ. Quæ pacta, ut ut juri civili contraria sint; gravissimis tamen de causis in regno Galliæ & Germania usurpantur, accedente Imperatoria confirmatione, & cum hac clausula, dem heiligen Reich/ vnd männiglichen an seinem Recht vnnachtheilig. De quo vide Gailium in Observationibus. Ac tamen omnis mutatio Principum periculosa est, sive heres ut presto, sive non sit. Id quod argute Imp. Otto: *opportunos*, inquit, *esse conatibus transitus rerum*. Et alibi Tacitus *totius orbis mutatione fortunam Imperii transivisse*. Item, *agendum audendumque, dum Galba autoritas fluxa, & Pisonis nondum concaluisset*. Et seditiosus ille Percennius, ad milites Romanos, apud eundem 1. Annal. *Quando tandem*, inquit, *ausuri estis remedia petere, nisi novum adhuc & nutantem principem precibus vel armis adieritis?*

Omnis mutatio Principis periculosa.

C A P V T XXII.

Iura Imperii absque aliorum arbitrio tractare. Ne principatus in partes secetur. συμβουλία, & bonorum consiliorum usus atque necessitas.

Ne quis jura Majestatis tractet præter Principem.

Verum fuit effatum Salustii scriptoris illius florentissimi nepotis; *eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur*: idque identidem usurpo pro arcano quodam Imperii in regno; quod facile illa assidua relatione imperium dissolvitur, atque in aliam formam redigitur. Id quod idem Salustius dicebat, *vim principatus resolvi cuncta ad Senatum vocando*: & Curtius lib. 13. *Quod imperium sub uno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit*. Aliam

rationem

rationem reddit Cornelius Nepos: *Non enim,* inquit, *potest Respublica bene geri multorum imperiis*; Quod ut in militia locum habet; ita in omni magnarum rerum administratione, teste Livio, saluberrimum est. Ac tamen illa Liviana libro 3: huc referri non possunt. In exercitu Romano, cum duo Consules fuissent potestate pari, summam Imperii, concedente Agrippa, penes collegam fuisse, & prælatum illum, facilitati summittentis se comiter respondisse, communicando consilia laudesque, & æquando imparem sibi. Principatus enim consortem non patitur: &, ut pulchre Seneca: *Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.* Quo nomine Nero recte fœminam, quamvis matrem, à negotiis publicis arcuit. Et merito Principem, omnia illa quę ad majestatem regni pertinent, solum agere atque administrare, vel saltem moderari oportet; neque facile pati, ut alius principalem locum occupet. Qualis fuit error illius Bibuli, qui cum actiones I. Cæsaris impedire vellet, majore parte anni domi se tenuit, quo facto, dum augere voluit invidiam collegæ, auxit potentiam.

Principatus nō patitur consortem.

Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Est tamen boni principis, viros prudentes in consilium vocare. Quod monet Micipsa apud Salustium. *Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt, sed amici.* & Theodosius & Valent. Impp. præclare in *lib. 8. C. de LL.* *Bene cognoscimus, quod cum vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii, & ad nostram gloriam redundare.* Idque ait Plinius libro 3. Epistol. *sunt quidem cuncta sub unius arbitrio, qui pro utilitate communi solus omnium curas laboresque suscepit: quidam tamen salubri quodam temperamento, ad nos*

Bonitamen est Principis in consiliū prudentes vocare.

quoque veluti rivi ex illo benignissimo fonte decurrunt, quos & haurire ipsi, & absentibus amicis quasi administrar: possumus.

Divisio principatuum pernitiosissima.

Sed & illud cavendum est; ne principatus facile distrahantur; sed ut penes unum sit omnis vis Imperii, omnia regalia, omniaq; feuda & publici reditus. Alioquin ex illa partitione, & imperium, & ipsi subditi detrimentum capiunt. Rationem reddit Scaffnaburgensis: *Ne, inquit, in plures divisa provincia, claritas illius familia, per inopiam rei familiaris, obsoleret.* cujus rei exempla nimis multa sunt in regno Galliæ, Poloniæ, aliisque. Laudabiliter profecto majores nostri, ut refert Tacitus de moribus Germanorum, omnia prædia, juraque prædiatoria uni deferebant, reliquis cum pecuniola abire jussis. Id quod adhuc obtinet in regno Galliæ secundum legem Salicam, & in aliis illustribus Germaniæ familiis, quod & Aristoteles alicubi innuit, ac probat. Quo magis vellem, esse qui Aristotelis Politicam cum aliis scriptoribus & Historicis, etiam cum Iure civili conferat, examinet, addat, illustret. Amplus esset campus industriæ, ingeniique exercendi, & quem ego decurrere constitui, sed valde lento gradu: adeo impposterum non tantum delicatis illis ICtorum scriptis omnem operam addixi; verum etiam horridulis illis Bartolorum Baldorumque dumetis.

CA-

CAPVT XXIII.

Census Senatorum juvare. nimias divitias, nimiamque inopiam in viro magno notare. novos & peregrinos non nimis attollere. Moderata gubernatio.

ANte omnia autem in principatu, præsertim novo, omni ope nitendum est, ut amoveantur illa quæ Remp. ad pristinum statum reducere videntur. Quorum illud præcipuum est, cavere ne viri atque senatores magni inopia premantur: quod ut est acerbissimum, ita in memoriam revocat viris magnis pristinam Rempublicam ad eamque recuperandam animos eorum sollicitat, ac veluti accendit; Quod laudat Tacitus in Tiberio, cæteroquin avarissimo principe, eum *censu Senatorum juvisse*. Et 13. Annal. *Nerone*, inquit, *tertium consule, simul iniit consulatum Valerius Messala, cujus proavum Oratorem Corvinum divo Augusto abavo Neronis collegam in eo magistratu fuisse, pauci jam senum meminerant; sed nobili familia honor auctus est, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus Messala paupertatem innoxiam sustentaret. Aurelio quoque Cotta, & Auterio Antonino annuam pecuniam statuit Princeps, quamvis per luxum avitas opes dißipassent.* *Cavere ne senatores magna premantur inopia, & paupertes locupletare.*

Quo imprudentius mihi Claudius fecisse videtur, qui pauperes senatores ordine movit, quo nihil acerbius viro egregio, Reipublicæ verò nihil periculosius accidere potest. Idque fatetur Aristoteles 5. Polit. *Difficile est*, inquit, *pauperes qui divites fuerunt, aut nati sunt è divitibus, res novas non moliri.* Et Cicero in Epi- *Error Claudii pauperes senatores ordine moventu.*

 stola

ſtola quadam: *Itaque me nunc ſcito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, ſi quiſquam recipiat.* & Tacitus de Ottone: *Inopia vix privato toleranda:* & de Sylla: *Sylla inops, unde præcipua audacia.* Quemadmodum etiam nimiæ divitiæ principibus meritò ſuſpectæ ſunt, ut de Aruntio notat prudens ſcriptor, quem Tiberius *ut divitem ſuſpectabat,* & Annal. 11. *caveri vim atque opes principibus infenſas:* & de Caſſio Vetus ille apud Volcat. *opes non mediocres parat.*

Item alius homines novos attollens.

Omnium verò imprudentiſſimè faciunt, qui homines novos, vel ex plebe natos, nimis attollunt, & dignitatibus ornant, cæteris viris magnis & incolis à tergo relictis. Veluti Rixa illa Regina Poloniæ, quæ, cum externos eveheret, neglectis Polonis, magnis ſeditionibus occaſionem dedit: quæ etiam præter alias, cauſa fuiſſe dicitur interitus Henrici III. Galliarum regis, deque eo recte exceperunt principes Germaniæ in electione Caroli V. Regis Hiſpaniarum.

Moderata gubernatio.

Cæterum non eſt præſtantior aut ſecurior ratio conſervandæ præſentis Reipub. quam moderata gubernatio. Quod divinè Horatius:

Vim temperatam Dii quoque provehunt
In majus:

Et eleganti ſimilitudine expreſſit vetus Poeta Titinius,

Sapientia gubernator navim torquet, non valentia:
Cocus magnum ahenum, quando fervet, paulla confutat trua.

Id quod ego pro fundamento regni inprimis novi capio, ex conſilio ſapientiſſimi Auguſti

gusti, qui initio principatus, teste Suetonio. *omnimodo nixus est, ne quem novi status pœniteret.*

Sed hæc sunt ferè imperiorum arcana, quæ id cavent, ne Respubl. mutentur, vel in aliam formam fluant, quorum pleraque sunt simulatoria, ficta καὶ μεθοδικά. Vt ecce, Tiberius censûs Senatorum juvit, non adductus amore erga ipsos, neque impulsus studio liberalitatis, sed ut viris magno animo præditis occasionem adimeret, aliquid moliendi adversus se & præsentem Rempub. itaque aliud simulavit, aliud egit. Eodem modo se habent reliqua fere omnia: quæ qui vellet, sine negotio illustrare posset, multa etiam alia addere, & instar phrygionis attexere. Verum mihi hoc in opusculo decretum est studere brevitati, & viam mihi aliisque facere ad hanc tam nobilem, tamque necessariam doctrinam magis magisque investigandam atque discutiendam.

Finis & effectus arcanorum imperii.

ARNOLDI CLAPMARII DE ARCANIS RERUM-PUBLICARUM, LIBER TERTIVS.

Qui est de arcanis dominationis:

CAPVT I.

Arcana Dominationis qualia sint. Quomodo differant tum ab arcanis Imperii, tum à Iure Imperii. Quotuplicia sint hæc Dominationis Arcana.

Arcana dominationis seu Rerũp. differunt ab arcanis imperii quod hæc sint Reip. illa eorũ qui rerũ potiuntur.

VT Respubl. salva sit atque incolumis, non satis est, præsentem Reip. statum integrum & salvum esse, nisi etiam eorum qui imperant & Reipub. præsunt habeatur ratio. De illis, quæ dicuntur Rerumpublicarum arcana & propriè arcana Imperii atque *στηρίγματα*, quęve pręsentem Reipublicę formam conservant, hæc fere dicta sunto, sequuntur nunc Rerumpublicarum arcana, quæ appellantur *Arcana Dominationis*, quæve à prioribus differunt; tum quod illa sunt Reipublicę veluti præsidia, hæc verò illorum qui rerum potiuntur propugnacula atque munimenta; tum etiam quod illorum pleraq; simulatoria sunt, horum vero pauca quædam. Quod discrimen luculentissimum est, & alii in Tacito erudite observarunt; idque Aristoteles ait lib. 5. Pol. cap. 10, *Insurgi quandoque in corpus dominantis, quandoque in ipsam dominationem.* Illud est, *μισῶ σοφιστήν, ὅστις οὐχ' αὑτῷ σοφός.*

Sunt

Sunt enim Arcana isthæc dominationis intima, occulta atque recondita consilia, sive rationes, non tantum pristini status conservandi, verum etiam, & inprimis, eorum qui in Republica principatum obtinent, sive unus, sive plures, securitatis causa introducta, & quidem contra eos, qui imperium student extorquere Principibus, ni prohibeantur. Quod ait Attius, *Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni.* Adversum quos, meritò Imperatores, & quivis in Republica civitatum principes, excogitarunt arcana quædam consilia cum sui tegendi causa, tum etiam plebis fascinandæ gratia. Quod ait Seneca, *Multi fallere docuerunt, dum timent falli.* *Definiuntur.*

Ac sunt tamen Arcana hæc dominationis, & Arcana imperii confinia valde atque conjuncta. Fieri enim non potest, ut Respublica sit salva, non salvo principe, aut Reipublicæ proceribus, & contra. Ideò, præclare Imperator ille, non salva Republicâ se salvum esse negabat, jurabatque se ab amplexu ejus, nisi cum morte, discessurum. Vbi verò Princeps laborat, qui caput est Reipublicæ, ibi omnia membra languescere ac confici oportet. Vtraque hæc arcana intelligit Iovius quoque, cum ait ult. Histor. *Franciscus moriens Henrico filio arcana tuendo regno communicavit, & quibus maxime artibus subjectarum gentium studium promereretur.* *Affinitas Arcanorũ Imperii, & Dominationis.*

Porro totidem facio arcana dominationis, quot sunt arcana Imperii. Vel enim sunt arcana dominationis Regiæ, vel Arcana dominationis Aristocraticæ, vel Arcana dominationis Popularis. Hæc faciunt ut plebeji sint salvi: illa ut patricii securi sint ab insidiis aliorum: ista

ut Rex, sive Princeps salvus sit atque inviolabilis.

Ex quibus omnibus apparet, parum harum rerum intelligentes esse illos, qui hæc arcana dominationis cum iis, quæ appellantur jura imperii confundunt; quippe à quibus multis modis differunt. *Primò* enim jura imperii, ut antea dictum est, sunt unum & idem, neque variant pro Rerumpubl. varietate. At verò dominationis arcana alia sunt in Regno, alia in Aristocratia, alia in Democratia, alia in aliis Rebuspubl. *Deinde* arcana dominationis aliis remitti possunt, jura verò Imperii minimè. *Denique* jura imperii sunt in conspicuo, & ab omnibus sciri atque intelligi fas est; at vero arcana dominationis sunt occulta atque abscondita consilia, & quibus convenit illud Poetæ, *hinc fida silentia sacris*. *Quartò*, jura Imperii sunt augusta & majestatis plena (unde etiam appellantur jura majestatis) at arcana dominationis sunt multo humiliora. Contra quæ qui cõmittit, non tam apertè majestatem lædit aut imminuit, quam lentè & clanculum ad imperium repit. Hic dicitur ferox, contumax, civilis; ille reus majestatis, perduellis, ut in veteri illo carmine C. Martii apud Livium, quod suo nitori restituit eruditissimus Scaliger:

Differentia Arcanorum Imperii, & Iuris Imperii.

Romulidæ si perduelles expellere vultis,
Et vomicam, quæ gentium longe alienigenarum
Venit.

Postremò arcana dominationis, sicut & arcana imperii, sunt veluti propugnacula juris imperii, non ipsum jus imperii. Quæ omnia ex utriusque exemplis eorumque invicem collatione clariora fiunt.

CA-

CAPUT II.

Dominatio*, Herrſchafft. *Legitima ac juſta Tyrannis. Tyrannica Dominatio. Libertas. Modus libertatis. Diffluens licentia. Dominationis vocabula. Dominantia nomina. Imperator, Rex, Dominus, Cæſar*, Κύριος τ̃ δυνάμεως. *Regalis ſenſus, inſtrumenta regni.

HAnc de dominationis arcanis doctrinam antequam aggrediamur, ante omnia conſtare debet, quid ſit dominatio, quam Græci appellant *κυρίαν ἀρχὴν*, Itali *Signoria*, Germani Herrſchafft/ Galli *Alteſſe.* Quod dominationis vocabulum ſeverioris notæ homines difficulter concoquunt. Eſt autem ſumma illa vis imperandi; proprieque competit iis, qui noviter, vi & jure belli, ſive, ut Pomponius loquitur, manu regia imperium occupant vel tenent. Quo tempore pauca admodum vi tractantur, (ut Tacitus de initio principatus Auguſti,) quo cæteris quies ſit. Eſt enim conjuncta cum violentia quadam & ſuperbia, atque à tyrannide prope abeſt, ac meo periculo legitimam ac juſtam appelles tyrannidem. Vnde in veteri gloſſario: *dominatur, δεσποτεύει, τυραννεῖ*, & Virgilius 6. *Æneidos. Vnde genus longa noſtrum dominabitur Alba*: & in ſacra ſapientia interpretes retinuerunt, *quando dominantur juſti, lætatur populus: & cum dominantur impii, gemuit populus.* Tyrannidi tamen, quam Apulejus vocat *tyrannicam dominationem* opponitur. De quâ accipio illud Saluſtii: *poſt, ubi regium imperium, quod initio conſervandæ libertatis atque augendæ Reipublicæ fuerat, in ſuperbiam dominatio-*

Dominatio quid:

Quatenus juſta Tyrannis.

minationemque convertit : & illud Curtii lib. 6. *illi pro libertate hi pro dominatione pugnabant.* Quæ causa est, propter quam sapientissimi Principes Romani, Domini vocabulum fastidiverunt. Quippe quod herile & violentum imperium præ se ferebat, veluti de Augusto & Tiberio Suetonius, de Trajano Plinius, & Iovius de Iuliano Medice testantur. Hinc illud Poëtæ : *Tu domini nomen, principis ille tenet*. Quod etiam ex illo versu Martialis liquet.

Domini nomen cur fastidiverint Romani Principes.

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum Dominum appellas, Sosiabane, patrem.

Dominatio quomodo non adimat civibus libertatem.

Ac tamen dominatio, sive principatus, civibus libertatem minimè adimit. Quod olim de Nerva scitum fuit, eum conjunxisse principatum & libertatem. Atque est hæc libertas medium aliquod inter abruptam servitutem, qualis est sub tyrannis, & inter dissolutam licentiam, sive corruptam libertatem. Pulchrè Tacitus 4. *Historiarum* vocat *modum libertatis : quomodo pessimis principibus sine modo dominationem,* (intellige tyrannidem) *ita quamvis optimis, modum libertatis placere*, de qua Gunther. lib. 3.

Quæ vera sit libertas.

Quæ tibi libertas poterit contingere major,
Quam regi servire tuo? & lib. 8.
Libertas maxima nobis,
Tam placido parere viro.

Quod identidem Cicero intelligit: *Nihil*, inquit, *à me asperum sit ; nec tamen quicquam populare ac dissolutum*. Nimia enim libertas, libertas non est, sed soluta quædam ac diffluens licentia : qualis erat apud Parthos olim teste Tacito 2. *Annal. Incerti nimirum solutique*

tique, & magis sine domino, quam in libertate: & de Aboriginibus Saluſt: *genus hominum agreste, sine legibus, sine Imperio, liberum atque solutum.* Quam libertatem Livius *lib.5*, graviter perſtringit: *quoniam ea demum libertas Romæ est; non Senatus, non magistratus, non leges, non mores majorum, non instituta patrum, non disciplinam vereri militia.*

Eſt igitur Dominatio nihil aliud, quam legitimum imperium, ſed paulò violentius. Quo tamen opus eſt, in Republica præſertim noviter occupata, vel plena ſeditioſiſſimis ac ferociſſimis civibus, quam qui regia via gubernare volet, is præpoſtere faciet, & ſerpentem, quod dicitur, in ſinu alet. Sive ergo appelles arcana dominationis, ſive arcana principatuum, ſive alio modo, perinde eſt. Illa enim *Dominationis vocabula*, ut Tacitus vocat, ſive, ut Horatius *dominantia nomina*, ut ſunt Imperator, Dominus, Cæſar, Rex, Princeps, Κύριος τῆς δυνάμεως, & quæ ſunt plura, mihi unum & idem fuiſſe videntur; niſi quòd glaucoma obducta fuit populo. Quod aperte ac verè de Vitellio Tacitus: *Præmisit*, inquit, *in urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Cæsaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret.* Neque eſt quod contra dicat Plinius, cum etiam illa dominationis vocabula promiſcue à ſcriptoribus uſurpentur. Hinc Iuſtinianus *regalis sensus*. & Tacitus: *instrumenta regni.* & 14. *Annal. de quo opinio est, tanquam mutationem regis portendat*, apud eundem Tacitum Veſpaſianus appellatur *rerum Dominus*; & Suetonius in Galba: *Oriturum quandoque ex Hispania principem, dominumque rerum.*

Quid dominatio.

In quali Repub. opus dominatione.

CAPUT III.

Arcana regia Dominationis. Ne Senatoribus aut Equitibus illustribus liceat intrare Ægyptum. Ægyptus claustrum terræ ac maris. Ægyptiorum artificia & manuprecia formidolosa Principibus Rom.

Arcana dominationis unde orta. Arcana dominationis regia quæ. Tale arcanum lex Augusti, ne liceret intrare Alexandriam, claustrum terræ ac maris. Caussa istius legis.

HInc igitur nata sunt arcana dominationis. Ac primum quidem dominationis regiæ sunt, occultæ quædam rationes ad securitatem Regis vel Principis pertinentes, adversus illos qui imperiis inhiant, non tam regni, quam Regis odio, ut de Cassio olim tritum fuit. Quibus imprimis opus est in regno, propterea quod Regum majestas, ut verè Livius lib.37. *difficilius summo fastigio ad medium detrahitur, quam à mediis ad ima præcipitatur.* Cui periculo prævenit Augustus lata lege; ne cui ex Senatoribus liceret intrare Alexandriam. Ita enim Tacitus lib. 2. Annal. *Augustus, inter alia Dominationis Arcana vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum, ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio, adversus ingentes exercitus insedisset.* Hæc Tacitus. Quam etiam causam opinor esse, quod Gallienus, volens Theodoto imperium proconsulare in Ægypto decernere, prohibitus est cum hoc dicto; *fasces consulares ingredi Alexandriam non oportere.* Reperio etiam aliam causam; ne si quis Romanus perturbidam & natura seditiosam intraret provinciam, quo eum natura ducebat, societate quoque gentis duceretur. Quare Tiberius Germanicum, cum Ægyptum profectus esset,

esset, vel cognoscendæ antiquitatis vel cura provinciæ, acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti, non sponte Principis, Alexandriam introivisset, deque eo gravissime in Senatu questus est. Quæ res Germanico causa mortis fuisse creditur. *Suetonius in Tiberio.* Nimirum in eo sibi caverat Augustus, quod noluit senatorem eò ire, unde dominationi suæ periculum creari posset. Quo consilio Vespasianus invasurus Imperium Romanum, alias aliis provincias demandavit, ipse claustra Ægypti obtinuit, *Tacitus* 3. *Hist.* Et hoc nomine antea Iulius Cæsar victor regnum Ægypti Cleopatræ, fratrique ejus minori permisit, veritus provinciam facere, ne quandoque, violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset. Quo pertinet etiam illud Taciti 3. Histor. *Adjiciebat*, inquit, *imperio consilium; quando Ægyptus claustra annonæ, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur; posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi.* Hinc Diocletianus, teste Suida, suspectos habuit inprimis Ægyptios, eosque variis modis punivit, propter nimia artificia, quæ callebant; adeoque veterum scripta, de fusione argenti & auri, conquisita combussit; pessimo quidem exemplo, sed tamen hoc consilio, ne exinde ditati Ægyptii facile rebellarent. Eandem ob rationem, Ægyptiis alienæ civitatis civibus esse non licuit, ut testatur Iosephus adversus Appianum.

C A-

CAPUT IV.

Ne Senatori liceat pro arbitrio peregrinari, vel extra Romam ire, & ad exercitum. Libera legatio. Ne milites domos senatorias adeant: ne Legatus Pontificis in Germaniam veniat: ne quis Romam proficiscatur. Ne quis cursiones publicas instituat.

Lex, ne viri illustres injussu Principis peregrinarentur, neve ad exercitus eant.

ADeò autem consuluerunt dominationi suæ Principes Romani, ut ne peregrè quidem abire senatori, aut illustri viro, licitum fuerit, injussu permissuve Principis; multo minus ad exercitus commeare: Quod hæc occasio facilima videbatur aucupandi militum studia. De Cæsare Suetonius. *Sanxit*, inquit, *ne quis civis major annis viginti plus triennio continuo Italia abesset: neu quis Senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes Magistratus, peregr proficisceretur.* De Augusto expressius Dion lib. 52. προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύουσι, μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας, ἂν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ: *Edixit omnibus Senatoribus, ne quis eorum peregrinaretur extra Italiam, injussu suo:* Imo non tantum extra Italiam, verum etiam ne extra Romam quidem, teste Suida. Est hoc arcanum dominationis regiæ proprium, plurimumque facit ad securitatem Principum, eorum inprimis qui recenter imperium invaserunt, neque dum radices egerunt. Tales enim, facilimo concussu, è regno ejici atque exturbari possunt.

Licebat tamen Senatori etiam rei privatæ caussa peregrinari; liberam tantum una legationem petebat.

Cæterum in libera Republ. Senatori licuit etiam privatæ rei causâ peregrinari; tantum unâ petebat liberam legationem, quo majori iret & abesset cum dignitate. Quæ ratio fuit

legis

legis 15. *Cod. de dignitat.* Clarissimis & Spectabilibus licebat sine commeatu discedere, Illustribus non licebat, quod horum potentia major erat, adeóque Principi periculosior recessus. Quam ob causam Claudius, commeatus à Senatu peti solitos, sui beneficii fecit. *Suetonius in Claud.* Et dicebatur libero commeatu ire, qui, ubi vellet, morandi arbitrium impetraverat. *l. filii eorum. §. 6. D. ad municip.* Cæterum hoc jus singulariter indultum fuit Senatoribus Siciliæ & Galliæ Narbonensis, ut est apud Dionem lib. 52. & Tacit. 12. Ann.

Claudius cõmeatus à Senatu peti solitos, sui beneficii fecit.

Caussa SCti.

Eadem causa fuit Senatusconsulti Claudiani, ne milites domos Senatorias adirent salutandi causa. Vnde etiam Fridericus Ænobardus vetuit legatum Pontificis in Germaniam venire, nisi vocatum. Quin etiam prohibuit eos, qui ad Romanum tribunal provocaverant, Romam proficisci, ut est apud Nauclerum: Et Guntherum lib. 6.

Vetitosque ultra procedere jussus,
Turpiter ac trepidos ad limina sacra remisit,
Neve quis ad nostram, toto de corpore regni
Audeat ulla sui deferre negotia sedem,
Observare aditus, angustaque claustra viarum
Dicitur, & medium, positis custodibus, Alpem.

Ne milites domos Senatorias adeant.

Ne quis à Pontifice in Germaniam veniat nisi vocatus. Frid. Ænobardi lex.

Idem fecit Alexander occiso Philota. De quo Curtius libro sexto: *Iam ad omnes aditus dispositi equites, itinera quoque obsidere jussi, ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediæ magnisque copiis præerat, evaderet.* Quo nomine identidem cursiones publicas prohiberi oportet. *tot. titul. C. de Cursu publ.* omnesque occasiones committendi nuncios aut literas. Qualis fuit illa de qua

Ne quis publicas cursiones constituat.

de qua Cæsar libro ſeptimo, de bello Gallico. *Vbi major atque illuſtrior res incidit, clamore per agros regioneſque ſignificant, hunc excipiunt alii, & proximis tradunt, ut tunc accidit. Nam quæ Genabi oriente Sole erant geſta, ante primam confectam vigiliam, in finibus Arvernorum audita, quod ſpatium eſt millium paſſuum circiter C L X.* De quibus vide etiam ſupra.

CAPVT V.

Ne quis ad ſenatum, vel exercitum ſcribat præter Principem. Ne quis Principis manum imitetur. Ne acta publica evulgentur, neve penes alium ſint, quam Principem. Ne quis habeat nobiles ab epiſtolis, libellis, aut rationibus. Nomina ſumma cura & meditamenti. Acta, geſta; ὑπομνήματα δημόσια γράμματα regiſtra publica, ſecreta carta.

EOdem conſilio cautum fuit, ne quis ad ſenatum neve ad exercitum ſcriberet, præter Principem. Tacit. lib. 5. *Miſerat,* inquit, *Mutianus epiſtolas, quæ materiam ſermonibus præbuere, ſi privatus eſſet, cur publice loqueretur, potuiſſe eadem paucos poſt dies loco ſententiæ dici.* Eſt hoc arcanum dominationis regiæ. In eo enim ſibi volebant conſultum Imperatores Romani, ne quis per publicas literas apud Senatum res novas moliri poſſet adverſus ſe. Publicè enim ſcribere eſt ſolius Principis, non alicujus privati, quod Tacitus ait: *ſi privatus eſſet, cur publice loqueretur.* Et 2. Hiſtor. *Recitata Fabii Valentis Epiſtola ad Conſules ſcripta haud immoderata: gratior Cæcinæ modeſtia fuit, quod non ſcripſiſſet.* Ideò Gordianus gerens ſe pro Imperatore, publicè ad ſe-

Ne quis publice ſcribat ſenatui vel militibus.

ad senatum populumque Rom. scripsit. *Herodianus in Maximino*. Deinde ad exercitum etiam scribere nefas fuit; quare Tacitus hoc refert inter signa accepti Imperii: *literas*, inquit, *ad exercitus, tãquam accepto principatu misit.*

Pari ratione nemini licuit Principis manum aut picturam imitari atque mutuari. De quo alias cautum fuit in *l. 23. D. de l. Cornel. de falsf.* & severissime olim, non tantum Imperatores, verum etiam ipsi Pontifices vindicarunt. Vnde Poëta *1. de Ponto*. *Ne quis Principis scripturam imitetur.*

Nec mea fallaci convicta est gemma sigillo
Mendaces lignis imposuisse notas.

Quippe est hoc non tantum improbum, verum etiam periculosum ipsi Principi, quod is, qui eadem qua Princeps utitur scriptura aut litera, Principem apud subditos miris modis suspectum atque invisum facere potest; sibi vero aditum patefacere ad Imperium. Quod ipse Titus Imperator cum omnia chirographa posset imitari, professus est, sæpe se maximum falsarium esse potuisse. *Tranquillus in Tito.* Quo consilio Augustus nihil æque laborasse dicitur, quam ut ii, quos hæredes imperii destinaverat, imitarentur chirographum suum, ut refert idem Tranquillus in Augusto. Quam fraudem imitati sunt legati Manuelis Græci Imperatoris: de quo Gunt. lib. 5.

Gentilibus usi
Fraudibus, impressas falso sub imagine regis
Mendaces chartas sibi confecere sigillo.

Similis religio fuit circa acta publica, ne evulgarentur. Intelligo acta publica senatus: de quibus Sueton. in August. c. 36. *Auctor etiam aliarum rerum senatui fuit, in queis, ne acta senatus publicarentur*. Nam acta populi, quæ *Acta Senatus ne emanent.*

alias

alias diurna acta, emanabant: de quibus Iuven.

Fient ista palam, cupient & inacta referri.

Acta publica qualia fuerint, & de quibus rebus.

In actis senatus continebantur acta, sive monumenta publica de Asylis, de Diis receptis in Rempublicam, de fœderibus initis, de legationibus missis & receptis: imo omnia illa, quę in senatu de quavis re dicebantur agebanturve, de quibus Tacitus *Magna*, inquit, *ejus diei species fuit, quo senatus majorum beneficia, sociorum pacta, & qui ante vim Romanam valuerunt decreta, ipsorumque numinum religionem introspexit.* Quæ quidem stante Republica in tabulario conservabantur, teste Livio l.43. Postea apud neminem esse licebat, quam apud Principem, vel ejus præfectum. Vnde Tacitus 13. Annal. *Princeps curam tabularum publicarum à quæstoribus adpræfectos transtulit.* Hinc actuarios habere, loco criminis fuit; idque ego pro arcano dominationis usurpo. Tacitus lib.15. Annal. de accusatione Iunii Torquati: *Iussi*, inquit, *accusatores objicere, eum nobiles habere, quos ab epistolis, & libellis, & rationibus appellet; nomina summa cura & meditamenti, &c.* Quid enim aliud sunt nomina hæc summæ curæ, quam actuarii & censuales publici? Eadem fere Suetonius de Pomposiano refert, eum interfectum fuisse à Domitiano, *quod habere Imperatoriam genesin vulgo ferebatur, & depictam orbem terræ in membranas, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret; quodve servi nomina Magonis & Annibalis indidisset.*

Ne acta publica penes aliũ sint, quam principem, & in archivo.

Ne quis habeat Actuarios, vel censuales publicos, & nobiles ab epistolis.

Acta publica variè appellantur;

Cæterum variè hæc acta appellari reperio. In jure civili κατ' ἐξοχὴν *Acta*; ut in *l.45. de re judic.* In veteri glossario *Gesta*; sicut & in *l.31. C. de*

C. de Donatio. l. 10. *D. de probat. monumenta publica.* Similiter Livius nunc *publica monumẽta*; nunc *commentarios publicos*; nunc *Tabulas publicas*; Polybius ὑπομνήματα; Tacitus *acta patrum*; Ammianus *volumina publica*; Dion δημόσια γράμματα Vopiscus *registra publica instrumenta publica*; In responſ. Oriental. οἱ τ̃ ὑφ' ἡμᾶς σεκρέτων χάρτιοι, *secreta carta*. Quorum actorum qui curam habebant, apud Athenienſes dicebantur νομοφύλακες: poſtea Quæſtores, Chartophylacii, hodie Cancellarii, ſive Curiæ & Archivi præfecti. Quarum rerum tamen cura hoc tempore negligitur cum ſummo Reipublicæ detrimento. De quo olim etiam Cicero conqueſtus eſt contra Rullum, & Plutarchum in Catone Vticenſi. Quo magis laudo Senatuſconſultum illud apud Capitolinum. *Vt non Scribæ, non ſervi publici, non cenſuales illis actibus intereſſent: Senatores exciperent, Senatores omnia officia cenſualium Scribarumque complerent, ne quid fortè proderetur.*

Item qui curam iſtorum habent.

CAPVT VI.

Ne quis Prætorianorum, aut exercitus ſtudia largitionibus ambiat. Ne cuiquam, præter Principem, alloqui liceat Prætorianos milites. Ne quis Præmia militibus det, excepto Principe; multo minus ſtipendia augeat. Prætoriæ cohortes. Ianitſchari.

MAgna vis atque autoritas fuit prætorianorum militum in Republica Romana, & longè, meo judicio, major, quam hodie Turcicorum Ianitzarorum: nec tantum prætorianorum, verum etiam reliquorum militum. Ideo ſeditioſi illi apud Tacitum *ſua in manu ſitam rem Romanam, ſuis victoriis augeri*

Vis Prætorianorum militum apud Romanos.

geri Rempublicam, in suum cognomentum asciſci Imperatores. Certè horum ope multi imperium occuparunt. Ita enim de Auguſto Tacitus. *Vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim:* Et de eodem Aurelianus *in lectis per dona militibus, &c.* Quare merito principes facti notarũ t eos, imo odio proſecuti ſunt, qui favore militum pollebant, quo freti facilimè res novas moliri poterant. Aurelianus in Octavio.

Ne quis militũ ſtudia ambiat.

Avunculum quoque vehementer arguebat, qui milites commilitones novo blandoque more appellans, dum affectat charior fieri, autoritatem Principis emolliverat. Quo nomine Piſo, teſte Tacito 3. Annal. accuſatus eſt, quod ſtudia militum per ambitionem quæſiviſſet: item quod vulgus militum, per licentiam & ſociorum injurias, eo uſque corrupiſſet, ut parens legionum appellaretur. Quo ægrius tulit Tiberius de Iunio Gallieno qui cenſuerat, ut prętoriani, auctis ſtipendiis, jus adipiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi; adeoque ipſum vehementer per literas increpavit: *quid illi cum militibus, quos neque dicta Imperatoris, neque præmia, niſi ab Imperatore, accipere par eſſet?* Primum ait, *dicta*: Erat quippe arcanum dominationis, ne quis Prætorianos alloqueretur, præter principem. Iulianus certè id noluit teſte Ammiano Marcellino, *ut videretur id affectaſſe, quod ſibi ſoli deberi Auguſtus exiſtimabat.* Sic Herodianus in Commodo, ἐν ὅσαις περὶ τὴν κηδείαν τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν ἀπησχόλουν, ἔδοξε τοῖς φίλοις προσαγαγεῖν τὸ μειράκιον εἰς τὸ στρατόπεδον· ὡς διαλεχθείη τε τοῖς στρατιώταις καὶ χρήματα δωρησάμενον. (ὡς ἔτος ἐστὶ τοῖς βασιλείαν διαλεχομένοις) μεγαλό-

Ne quis alius, quam Princeps ſtipendia militibus decernat.

Ne quis prætorianos alloquatur.

φέρωνι ὅπιδόσει οἰκειώσονται τὸ στράτευμα: id est, *Ne milites præmia, nisi à Principe accipiant.*

Celebrato funere Marci, visum est amicis Commodum adducere ad exercitum, ut & milites alloqueretur, & (qui novis Imperatoribus mos est) pecuniis elargiendis illorum animos sibi devinciret. Ideò addit præmia Tacitus, quorum jus penes solum Principem erat. Quare milites illi seditiosi apud Tac. lib. 1. *Ann. Novum*, inquiunt, *id plane esse, quod Imperator sola militis commoda ad senatum rejiciat, eundem ergo senatum consulendum, quoties supplicia aut prælia indicantur, an præmia sub domino, pœnas sine arbitrio esse?* Ideò Philotas ille in defensione sua apud Curtium *lib. sexto*: *Et quis è vobis corruptus est donis? quem ducem, quem præfectum impensius colui?* Idque est quod Verus M. Antonium monet, ne talem inter præcinctos habeat, quem milites libenter audiunt, libenter vident: quo etiam pertinet illud Absolonis, qui extorturus patri Imperium, primum dum omnium animos militum sibi conciliavit. Ejusdem criminis accusatus est Silanus, quod nimis prodigus esset largitionibus, & corruptione studia militum ambiret. Quam ob causam *l. contra. C. de re mil.* lata mihi fuisse videtur: ne milites à numeris, injussu Principis, ad alios numeros transferantur, Itaque additur in fine legis; *nisi hoc Augusta majestas publicæ utilitatis causa fieri jusserit*. Omnes enim clientelæ, & nimiæ amicitiæ, suspectæ sunt Principibus. Id quod monuit Philosophus *lib. 5. Polit. c.* 8. cauto opus esse, ne quis nimis potens fiat amicorum præsidiis: quin potius hujuscemodi clientelas tollendas esse.

Nimia clientela suspecta.

CAPVT VII.

Ne quis sponte civitatem muniat. Ius muniendi. Lex Romuli. Transilitio murorum; murorum destructio; & in transitu quædam de usu propugnaculorum.

Mœnia sancta existimari juxta legem Romuli.

LEx illa Romuli, *Mœnia sancta existimantur*, maximum mihi videtur sapere arcanum dominationis. Certe Remus transilitione muri Imperium fratri adimere voluisse, vel saltem abjectum eum reddere visus est. Ideò Poëta 4. Fastorum:

> *Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam*
> *Transeat, audentem talia dede neci.*

Est enim illud hostile & abominandum, ut ait Pomponius in *l. 11. D. de rer. divis.*

Ne cui liceat arcem exstruere vel civitatem muris circumdare.

Hinc jus muniendi nemini competebat, nisi cui illud indulserat Princeps. Tacitus 5. *Hist. Iudæi*, inquit, *empto jure muniendi, struxere muros in pace, tanquam ad bellum.* Et Vlpianus *l. 9. D. de rer. divis. Muros municipales nec reficere licet sine Principis vel præsidis autoritate, nec aliquid ejus conjungere vel superponere.* Quare ædificia mœnibus ita sociata, ut exinde insidiæ metui possint, dirui ac prosterni debent, *l. ædificia. C. de operib. publ.* Est nimirum illud arcanum dominationis, ne cuiquam liceat arcem exstruere, vel civitatem muris circumdare. Quare cum Marsus Syriæ Præses Claudio Cæsari indicasset, Agrippam murum ingentis magnitudinis circa Hierosolymam inchoasse; Claudius novarum rerum ac discordiæ suspicionem captans, Agrippæ novum opus nunciavit: quo facto statim ab opere destitit Agrippa, *Iosephus lib. 19. Antiq. c. 7.*

Et

Et plerumque murorum demolitione puniebantur rebelles. Suetonius in Galba. *Quasdam*, inquit, *civitates Hispaniarum Galliarumque, quæ cunctantius ei accesserant, murorum destructione punivit:* & de Placentinis Guntherus:

Demolitione murorū rebelles puniti.

> *Talique reis est reddita pacto*
> *Gratia, direptis ut tota turribus urbe*
> *Mœsta ruinosis lacerarent mœnia muris:*
> *Quasq; metu regis cepissent ducere, rursus*
> *Ingesto patulas implerent aggere fossas.*

Neque alias exstruere licebat. Idem lib. 4.

> *Terdona veteres, nobis prohibentibus, arces*
> *Erigit, & vetitas audet sarcire ruinas.*

Et ibidem:

> *Ne claudere pergeret urbem,*
> *Iussus ab incepto populus desistere muro.*

Quin etiam hodie multæ civitates, teste Gailio, privilegium ab Imperatoribus obtinuerunt, ne vicinis liceat, intra unum vel duo milliaria prope civitatem, castrum ædificare, quod hæc res vicinorum potentiam ac robur auget, ipsis vero periculum ac metum infert. Idq; refert de Rege Scytharum Curtius *lib.* 7. eum urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam cervicibus, emissa militari manu dirui jussisse. Quo argumento cum primis utuntur illi, qui tam hodierna, quam veterum propugnacula deprimunt. Quæ tamen maximum usum habent; & Romani sæpenumero totam salutem in iis posuerunt, ut videre est in illo Livii *lib.* 32. *Vides tu Aule Corneli cacumen illud supra hostem, arx est illa spei salutisque nostræ, si eam, quoniam cæci reliquere Samnites, impigre capimus.* Et Cremonam Tacitus *propugnaculum* vocat,

Privilegio ne liceat vicino intra unum vel duo miliaria castrum ædificare, multæ civitates donatæ.

vocat, *adversus Gallos trans Padum agentes, & si qua alia vis per Alpes rueret.* Neque Augustus, accepto nuncio de clade Vari, aliam ob causam tam fœdè exterritus dicitur, adeò ut caput parieti alliserit, quam quod nullum propugnaculum erat inter Germaniam & Italiam, quod Germanorum impetum & incursiones retardare potuisset. Quo etiam nomine Germanos, quos armigeros secum habebat, dimisit ut suspectos; Suetonius in Augusto. Idem etiam metus à Germanis fuit Marci Imperatoris ut testatur Herodianus. Sed de his etiam vide quæ accuratè disserit Florentinus ille Ammiratus contra popularem suum Machiavellum.

CAPVT VIII.

Ne quis arcem exstruat, vel nimis splendide ædificet. Ne quis tribunal militare exstruat, vel ascendat. Ne quis in clypeo sedeat. Signum dare prætoria cohorti. Annulus aureus. Fortuna aurea.

Ne quis splendidè ædificet.

ARcanum etiam dominationis Regiæ videtur, ne quis nimis splendidè ædificet. Quæ magnificentia privatorum, Principibus suspecta esse solet. *Erat,* inquit Tacitus lib. 3. Annal. de Pisone, *Inter juritamenta invidiæ domus foro imminens festo ornatu, conviviumque & epulæ, & celebritate loci nihil occultum.* Idem 15. Annal. *Nero jubet prævenire conatus Consulis; occupare velut arcem ejus, opprimere delectam juventutem, quia Vestinus imminentes foro ædes, decoraque servitia, & pari ætate habebat.* Sic Lucas ille Pittus, qui adversus Petrum Medicæum postea conjuravit,

vit, Florentiæ ad Romanam portam, editiore in loco, ad effigiem munitæ arcis ingentem domum exſtruxit; ut Coſmum magnificentiæ gloria ſuperaret, & hac via ad principatum graſſaretur.

Ejuſdem notæ eſt, ne quis in caſtris ceſpititium tribunal exſtruat, vel aſcendat, & ex eo verba faciat: quod erat proprium Principis, & ab eo miſſi Ducis, ſive Imperatoris. Vopiſcus in Probo: *Vndique ab omnibus acclamatum eſt: Probè Auguſte Dii te ſervent. Deinde concurſus, & ceſpititium tribunal, appellatuſque Imperator.* Quare cum milites ſeditioſi congeſſiſſent ceſpites, adeoque tribunal exſtruxiſſent, Blæſus vehementer eos objurgavit, ac veluti capitis reos, inquiens: ***Mea potius cæde imbuite manus, leviore flagitio legatum interficietis, quam ab Imperatore deſciſcetis.*** Et Suetonius refert inter portenta mortis Galbæ, quod obliti miniſtri erant, adoptionis die milites allocuturo Caſtrenſem cellam, de more, pro tribunali ponere. Sic Commodus, patre mortuo, ad Imperium vocatus tribunal aſcendit. *Vide Herodianum in Commodo.* Quod etiam notat Ioſephus in Archelai electione *lib.*17.*Antiq.cap.*12.

Vel in caſtris ceſpititium tribunal exſtruat.

Hiſce adde Principis poſitionem in ſcuto aut clypeo. Nicephorus *lib.*2. *Poſtea autem Imperator dictus eſt, ſedens in clypeo, more recepto:* & Zonaras de quodam qui per ſeditionem electus erat, καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα. Idcirco factus Imperator, ſtatim ſignum dabat Prætorianis militibus, idque proprium erat Principis. Tacitus 1. Annal. *Defuncto Auguſto, ſignum Prætoriis cohortibus ut Imperator dederat.*

Suppoſitio clypei vel ſcuti.

Signum dare Prætorianis propriũ Principis.

Annulus aureus signum traditi Imperii. *rat.* Sic apud Curtium annulus aureus est indicium, sive signum traditi Imperii: & apud Imperatores Romanos, Fortunæ aureæ missio.

CAPUT IX.

Ne Consules pecunias spargant. Ne quis regia vela suspendat. Principales vestes. Purpura, Inscriptio Purpurea. Insignia Imperii. τὰ τῆς ἀρχῆς ἐπίσημα. Extubiæ, arma, comitatus militum. Diadema, Sella, Crux.

Congeruntur alia similia exempla. Libet in hoc caput tumultuariè congerere, καὶ ὕστερον πρότερον, aliquot alia hujusce rei exempla. Nam illa constitutio Marciani, ne Consules pecunias spargant, *C. de Coss. & non sparg. ab his pec.* quid aliud est, quam præsidium aliquod dominationis Regiæ. Quod ex superioribus liquet, quam tamen legem Iustinianus mitigavit; Leo vero in *Novel. 94.* prorsus abrogavit.

Ne Coss. pecunias spargãt. Eadem ferme fuit causa Constitutionis, quâ cautum est, Ne quis privatos carceres habeat. Quippe quod id speciem quandam Imperii præ se ferebat: & Constitutio illa Honorii & Theodosii, Ne quis privatus titulos prædiis suis, vel alienis imponat, vel regia vela suspẽdat. Quamvis eo inprimis facit, ne quis nomine fisci loca aliena invaderet, tamen huc etiam spectat, ne quis hac ratione ad imperium reperet. *Regia enim majestatis est*, ut ait Imperator *lib. 1. C. ut nemo privat.* &c. *ut nostra tantum domus & patrimonia titulorum inscriptione legantur.* Ejusdem farinæ est Constitutio Valentiniani *C. de Vestib. holos. & aur.*

Ne quis privatos carceres habeat. *Titulos prædiis imponat vel suspendat regia vela.* *Vel fisci nomine aliena invadat.*

Ne quis

Ne quis vestes auratas gerat, præter Principem, Ne quis Vellera sacro murice intingat, Ne quis sericas vel holopurpuras vestes, & quibus Princeps utitur, usurpet. Quæ, ut ait Imperator Theodosius in *l. 4. C. eod. soli Principi, ejusque domui dicantur.* Qua ratione identidem purpuræ nundinæ innumeris constitutionibus prohibitæ sunt. *l. ult. d. tit.* Vnde qui Imperatores salutabant, dicebantur *sacram purpuram adorare. l. 1. C. de App. præf. prat.* Adeóque non licebat fucare purpuram, vel adulterino colore intingere, quod receptum est propter existimationem hominum; & ne facile rebellibus foret, Tyrannum, Imperatoria majestatis purpura vel vera, vel fucata, amicire, quod ex Marcellino constat, & *l. 1. C. Quæ res ven. non possint*: Quo nomine *l. 1. C. Quæ res export. non deb.* quædam ad barbaros transferri vetat, ne hi suavitate frugum inlecti impetum faciant in Romanum Principem. Quæ prima fuit Gallorum in Italiam adventus causa, *teste Livio.*

Ne quis vestes auratas, sericas, vel holopurpureas gerat præter Principem.

Idem Arcanum animadverto in Inscriptione Purpurea, quæ solius erat Imperatoris, ut est in *l. 6. C. de divers. rescr.* Vbi Imperator Leo, *Hanc*, ait, *sacri incausti confectionem nulli sit licitum aut concessum habere, aut à quocunque sperare: eo videlicet, qui hoc aggressus fuerit tyrannico spiritu, post præscriptionem bonorum omnium, capitali pœna plectendô.* Hęc ille. Quinimo totus fere postremus liber Codicis nihil nisi hæc dominationis arcana continere mihi videtur, modò sint qui enucleent; quæ tamen longè aliter à plerisque interpretibus accipiuntur.

Inscriptio purpurea; quæ solius erat Imperatoris.

Totus postremus liber Codicis artis canorũ dominationis plenus.

Insignia enim illa Imperii, sive, ut Dion, τὰ

Insignia imperii etiã soli Principi tributa.

τῆς ἀρχῆς ἐπίσημα quid ni huc referas? Quippe quæ soli Principi tribuebantur. Inde Vitellius filium suum designaturus hæredem Imperii, cunctis fortunæ principalis insignibus cinxit. Tacitus 2. Histor. Quæ insignia idem Tacitus notat 1. Annal. *Excubiæ*, inquit, *arma, cætera aulæ; miles in forum, miles in curiam comitabatur*. Et Herodianus de Gordiano: *Sequebatur ipsum principalis pompa omnis, milites quicunque aderant; juvenesque urbani procera statura, ad eorum similitudinem qui Romæ Imperatorem comitantur; virga item laureata, quo insigni Principes à privatis dignoscuntur. Præterea ignis de more præferebatur, &c.* Quibus accessit Diadema, corona, sceptrum, sella. Hinc Maro;

Item diadema, corona, sceptrũ, sella.

Et sellam regni trabeamq; insignia nostri.

Quam occupare capitale fuit. Quod & de sella regum Persiæ refert Curtius lib. 8. Item crux. Hieronymus quam graphicè *Regum*, inquit, *purpuras & ardentes diadematum gemmas, patibuli Salvatoris pictura condecorat?* Quod jus postea solum Pontificem Romanum habuisse, memini legere. In quibus insignibus magna plerumque majestas quædam posita fuit. Quocirca Flandri hortabantur Anglos, ut insignia Galliæ usurparent; quo facto, putabant se liberari posse à juramento Gallo præstito. *Froissardus.* Qui enim insignia habet, imperium habet; nec ulla unquam, ut scribit Cujacius 20. obser. 37. insignium & imperii separatio fuit.

Insignia qui habet imperium habet.

C A P V T X.

Ne mentio fiat hæredis, duobus ad Imperium contendentibus & vivo Principe. Principes Iuventutis, Augusti, Cæsares, Reguli, Reges Romanorum, Delphinus, Infans Σολοικισμὸς Galbæ, Corrhois, aliorumque in nuncupando hærede.

INtereſt Reipublicæ, in principatu, *ne ſucceſſor in incerto ſit*, ut cum Tacito loquar. At enimvero ipſi etiam Principi expedit, partim ut pluribus munimentis inſiſtat, partim etiam ut aliorum ſpes cohibeantur. Quod & Plinius ait lib. Epiſt. 2. *Malim hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus eſſem & ſecurus & felix:* idque vovet Pædo Auguſto: *Ne ſucceſſor ſit in incerto.*

Et tibi ſuccreſcant Iuvenes bis Cæſare digni,
Et tradant porro Cæſaris uſque genus.

Auguſti in hac re prudentia.

Auguſtus enim, Princeps ſapientiſſimus, ut dominationem quam occupaverat, inter tot factionum conjurationumque fluctus retineret, adque poſteritatem tranſmitteret, Cajum & Lucium nepotes à patre per æs & libram emptos in familiam Cæſarum induxit. Quibus defunctis, rurſum Agrippam Poſthumum & Tiberium curiata lege adoptavit, eâque conditione, ut hic primum Germanicum arrogaret.

Quæ veſtigia, ut multa alia, identidem inſtituit Tiberius, & Druſum adhuc ſummæ rei admovit, *ne ſi extra domum Auguſtam ſucceſſor quæreretur, memoria Auguſti, nomenque Cæſarum in ludibria verteret.* Aliorum Principum ac Regum exempla ſunt trecenta; Inter quæ hoc recens eſt & illuſtre in Carolo IV. *Item Tiberii.* *Caroli quarti.*

qui vivus adhuc impetravit, ut filius suu Rex Romanorum crearetur, id est, hæres Im perii.

Rex Romanorū hodie is, qui hæres Imperii.

Qui enim olim dicebantur Principes Iu ventutis, sive, ut vertit Zonaras. *προκριτοι νότητ@ sive διάδοχοι τ ἀρχῆς, ut est apu Dionem*; sive hæredes, & consortes Imperi *apud Suetonium*, sive Augusti & Cæsares *apud Ammianum & Spartianum*; sive, *ut es in veteri glossario* Regulli, sive Reguli *(Regul lus* inquit, *ὑι@ βασιλέως)* ii nunc sunt Rege Romanorum; quemadmodum in Gallia Del phini, in Hispania Infantes, in Scotia Princi pes Scotiæ.

Si duobus spes ad Imperium neuter nuncupandus.

Quæ uti regulariter ita se habent;ita si duo sint, vel plures, quibus spes est ad Imperium satius est neutrum nuncupare, *ut sine pericul vivere possi*, uti eadem de re ait *lex* 77. §.24 *D.de legat.*2. Altero enim nuncupato, alteriu spes præciditur, atque ex desperatione teme ritas & audacia additur.Sub Tiberio fuerun Germanicus,& Drusus. Hic erat filius Princi pis,& pollebat amore patris: Germanicus ve rò progener Augusti, adoptatus à Tiberio, & jussu ejus qui Imperium dederat. Huc accede bat summus in eum favor populi ex patru alienatione, postremo rerum gestarum glo ria: quin etiam claritudine materni generi anteibat, avum M.Antonium, avunculum Augustum ferens: *contra Druso proavus eque Romanus Pomponius Atticus dedecere Clau diorum imagines videbatur*, ut commemora Tacitus.

Ne mentio hæredis fiat vivo adhuc Principe.

Quo tempore pro arcano dominationis summo, ne mentio hęredis fiat vivo adhuc Prin cipe. Itaque Tacitus de Tiberio, *eum Iudicium sustinuisse*

sustinuisse. Quod enim alterum præoptabat ille, alterum vero populus, neminem populo ostendit; ne scilicet aut alterum firmando, suum abjiceret, aut hunc præferendo, studia popularium in se concitaret; ut sapienter hac de re disputat elegantissimus Messerus. Quam ob causam etiam hodie Turcicorum Imperatorum filii non prius è custodia dimittuntur, quam mortuo Principe.

Notantur principes qui in eo erarunt. Qua in re turpissime erravit Galba, adeóque in administratione Imperii, magnum, ut ita loquar, solœcismum fecit. Pisonem enim nominavit, non ante abjecto Ottone, quæ res Ottonem animavit atque incendit adversus utrumque. Similiter Corrhoes ille II. cum duo essent, quibus spes ad Imperium erat, Syroes & Medarsa, temerè rejecto Syroe, Medarsæ regnum tradidit; quæ res utrique, & Corrhoi & Medarsæ, occasio fuit interitus.

Cautio quâ successor tutò nominari potest. Quanto prudentius Augustus, antequam Cajum & Lucium ad spem imperii eveheret, Tiberium ablegavit Rhodum, & destinato Tiberio, Agrippam Posthumum in exilium ejecit; neque Tiberius prius Drusum nominavit, quam comperta morte Germanici. Sic Theseus, ut scribit Pausanias, cum Phædram uxorem duxisset, liberosque procreasset, Hyppolitum, à quo merito sibi timebat, ad Pytheum amandavit. Et Philippus rex Macedoniæ duos habebat liberos, Demetrium & Perseum: utrique erant suæ causæ, & favor suus. Perseus ætate major, sed ex pellice natus; Demetrius ex justis nuptiis, sed minor. Quare, presso primum Demetrio, pater Perseum regem declaravit. Et Rex Ptolomæus, quod filium minorem præ omnibus amaret, primum

reliquorum spem clanculum fregit, postea verò populo persuasit, ut suffragarentur minori. Quo factum est, ut scribit Iustinus, *ut populi non minor favor fuerit in accipiendo, quam regis in tradendo*.

Elizabetha Angliæ Regina quomodo ea non ignoraverit hoc arcanum.

Idque non nescivit Elizabetha Regina Angliæ, adeóque lege cavit, ne quis, sub pœna capitis, mentionem faceret hæredis regni: dicens, sibi ante mortem non esse fodiendum sepulchrum. Rationem reddidit Tiberius Macroni, *Orientem ab eo Solem adorari, occidentem deseri*: adeoque teste Tacito 1. Histor. *suspectus semper invisusque dominanti est, quisquis proximus destinatur*.

CAPUT XI.

Ne quis summam rei gestæ ad se trahat: militiæ auspicia & gloriam propriam esse summi Principis. Falsi triumphi.

16. Ne quis alius præter Principem rei gestæ gloriam ad se trahat.

HVjuscemodi dominationis arcana, uti salutem Regis, vel Principis respiciunt; ita inprimis efficiunt ut salva maneat ejus majestas & autoritas. Quo nomine, ipsi, legatis etiam in bellum missis, omnia dirigunt; mittendo milites, arma, pecuniam, commeatum, substituendo duces, centuriónes; & revocando, ut de Iustiniano refert Procopius hanc nimirum ob causam, ut gloria rerum gestarum penes ipsos remaneat. Id vult Poëta Lyricus ad Augustum.

> *Te copias, te consilium, & tuos*
> *Prabente divos.*

Et Alexander apud Curtium *lib. 6. Quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui.* Et eodem libro Curtius. *Craterus*, inquit, *omnibus*

omnibus praeparatis, Regis exspectabat adventum, capta urbis titulo, sicut par est, cedens. Hinc Tacitus de Tiberio. *Bellica Germanici gloria angebatur.* Et alibi de Ottone. *Laeto Ottone, & gloriam in se trahente, tanquam & ipse felix bello, & suis Ducibus suisque exercitibus Rempub. auxisset.* Vbi enim rerum autores rei gestae famam ad se trahunt, & Principis majestatem existimationemque opprimunt, & hac militari gloria facile ad Imperium contendunt. *Ratio arcani.*

Quare est hoc arcanum dominationis Regiae, ne quis alius praeter Principem famam gloriamque rei gestae ad se trahat. Itaque de Silio illo qui ingentes exercitus septem annos moderatus fuerat, cum immodice jactasset, suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur, neque mansurum Tiberio Imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset, ita Tacitus: *destrui per haec fortunam suam Caesar, imparemque tanto merito rebatur.* Quo prudentius Mecaenas, de quo Pedo, *Silii jactantia notatur.*

Majus erat potuisse tamen, nec velle triumphos,
Major res magnis abstinuisse fuit.

Et Agricola ille, teste Tacito, *nunquam in suam famam gestis exultavit, ad autorem & Ducem, ut minister, fortunam referebat.* Vnde Curtius lib. 6. *Alexander, inquit, hostes vinci voluerat, Antipatrum vicisse, re tacitus quidem indignabatur, suae demptum gloriae existimans, quicquid cessisset alienae.* Quare Germanicus debellatis Germanis congeriem armorum struxit, superbo cum titulo, de se nihil addidit, metu invidiae, an ratus conscientiam *Item Agricolae prudentia.*

facti

facti satis esse. Et de Alberto Comite Tirolensi Guntherus pulchrè.

Alius magni reputantibus, ipse
Negligit, & modico factum metitur honore:

Quo etiam respexit Constantius, qui, (*teste Ammiano lib. 16.*) edictis testatus est, se cum gestis non adfuisset & dimicasse & vicisse. Sic Domitianus, more quamvis ridiculo & inepto, sed autoritatis conservandæ spe falsos triumphos egit. Quod tamen crimen grave erat, & olim appellatum fuit crimen falsæ pugnæ. De Domitiani falso triumpho, & Agricolæ victoria ita Tacitus: *Inerat*, inquit, *conscientia derisui fuisse nuper falsum è Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur, at nunc veram magnamque victoriam tot millibus hostium cæsis ingenti fama celebrari; id sibi maximè formidolosum, privati hominis supra Principis attolli: frustra studia fori & civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet, & cætera utcunque facilius dissimulari, ducis boni Imperatoriam virtutem esse*. Hæc ille. Militaris enim gloria propria est, vel esse debet, summi Principis.

Domitiani falsi triumphi.

Militaris gloria propria summi Principis esse debet.

CAPVT XII.

Majestas in Principe. Ne quis effigiem alterius magis colat, quam Principis. Vt pro Principe solo vota fiant. Ne quis privata sacra habeat, aut novos Deos. Ne quis quempiam de salute Principis consulat, neve rogatus respondeat.

PRope abfuit, quod abominandum est, olim imperatoria majestas à divina. Vnde

Impera-

Imperatoribus effigies, ſtatuæ, templa ſtatue- bantur. Hinc ſigna, nomina atque imagines eorum in vexillis & ſcutis. Quare cum Vitel- lius de imperio periclitaretur, Tacitus ſcribit 3.Hiſtor. primores Caſſiorum nomen, atque imagines Vitellii amolitos fuiſſe. Qui honor poſtea Chriſto habitus, quo reſpexit Pruden- tius, *Imperatorũ effigies, & nomina in vexillis colere.*

Chriſtus purpureum gẽmato textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chri-
Scripſerat. (*ſtus*

Hinc qui alterius effigiem plus quam Princi- pis coluiſſe dicebatur, contumaciæ, imò læſæ majeſtatis reus fiebat. Quod crimen Marcello intentatum eſt, quod ejus ſtatua altius quam Cæſaris ſita eſſet. Et Lucius Ennius ejuſdem majeſtatis poſtulatus eſt, quod effigiem Prin- cipis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet. Et cum populus Romanus effigiem Agrippinę ac Neronis gerens circumſtetiſſet curiam, *Ti- berius criminatus eſt, nihil reliquum eſſe, niſi ut caperent ferrum, & quorum imagines pro vexillis ſecuti forent, Duces Imperatoreſque de- ligerent.* Nam & Ducum imagines in vexillis conſpiciebantur. Ac tamen Tiberius Syria- cis Legionibus munera dedit, quod ſolæ nul- lam Sejani imaginem inter ſigna coluiſ- ſent. *Contra facientes criminis poſtulati.*

Sic Pontifices, cum pro incolumitate Prin- cipis vota ſuſciperent, & Neronem quoque & Druſum iiſdem Diis commendarent, Ti- berius impatienter doluit æquari adoleſcen- tes ſenectæ ſuæ, adeoque ægrè illis hoc con- donavit. Refero hoc ad arcanum dominatio- nis: tum quod pro ſolius Principis ſalute vota concipiebantur, *l.* 1. *C. de oblat. Vot.* (& *Pro ſolius Principis incolumitate vota ſuſcipere.*

Plinius

Plinius *in Paneg. Vnum omnium votum est salus Principis)* tum etiam quod hac ratione majestas Imperatoris aliorum dignitate adæquabatur.

Æternos, venerabiles, sanctos Imperatores appellari. Cæterum Imperatores id inprimis studebant, ut non tantum fortes essent & existimarentur, verum etiam sancti ac venerabiles, quod nihil animos plebis magis percellit quam religio: Quod Curtius de Persis testatur lib. 8. *Persas prudenter reges suos inter Deos colere. Majestatis enim imperii, salutis esse tutelam.* Vnde illud Pauli, *Dico Dii estis.* Quo nomine Imperatores Romani, etiam Christiani, se æternos, sanctos, divinos appellabant, ut in *l. 2. C. de Fabric. Qui adorent Fabricenses nostram æternitatem*; & passim. *Ammianus ridet istam hyperbolen.* Quam tamen hyperbolen Ammianus Marcellinus non immeritò irridet, & alii detestantur. Vnde qui per Principem Romanum pejerabat, fustibus cædebatur. *l. si duo §. ult. D. de jurejur.* Et Tiberius apud Tacitum. *Iusjurandum per Principem, perinde æstimandum esse ac si Iovem fefellisset.*

Privata sacra habere & ne alius habeat prohibere. Quam etiam ob causam nemini ferè licuit, præter Principem, privata sacra habere, aut novos Deos facere: ut ex Suetonio colligo. Et Callisthenes apud Curtium libro octavo: *Scilicet ego & tu, Cleo, Deos fecimus?* Et de Alcibiade Æmilius Probus: *Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria diceba-tur, quod nefas erat more Athenienfium; idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere arbitrabatur.* Itaque soli Principes in Lario suo colebant Fortunam; tanquam habitatricem indigenam & auctricem Imperii Romani. Simili etiam ratione nemini licuit,

alium

alium de salute Principis, vel Reipublicæ consulere. Firmicus, *Cave*, inquit, *ne quando de statu Reipubl. vel de vita Romani Imperatoris aliquid interrogatus respondeas*. & Tertullianus lib. 35. *Apolog. Cui opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi à quo aliquid adversus illam cogitatur, vel optatur, aut post illam speratur, aut sustinetur?*

Ne quis de salute Principis consulat.

CAPVT XIII.

Ne quis Magicam artem faciat. Mathematici. Chaldai. Ne quis nisi apud Regem vaticinia edat. Ne quis cum exule conversetur. Conventus & conciliabula in principatu.

MVlti namque ad Imperium contenderunt, vel hoc solum prætextu quod fato sibi deberi arbitrati sunt. Veluti Lentulus, qui destinatum familiæ suæ regnum ex Sibyllinis versibus vaticinatus est. Et de Telepho quodam Suetonius in Augusto, *Ad extremum*, inquit, *Telephus quasi debita sibi fato dominatione, & Augustum & Senatum aggressus est*: ut reliquos innumeros omittam.

Vltima ratio præcedentis arcani.

Quæ res Imperatores impulit, ut divinandi artem damnabilem fecerint, *l. 6. C. de mal.* Et olim prohibita fuit interdictione ignis & aquæ, ut constat ex Vlpiani fragmentis; postea pœnâ capitis punita: Quippe *quæ ipsam pulsat propemodum Majestatem*, ut ait l. 7. C. eod. Dicebantur autem Mathematici qui futura prædicebant; Vnde Iuvenalis. *Nota Mathematicis genesis tua.*

Ars divinandi tanquã perniciosa in principatu prohibita.

Non enim intelligo veram illam & genuinam Mathematicam, quam teste Dioclet. discere atque exercere publicè interest, quæve permultum

Mathematica & eam profitentium distinctio, & quæ quive genuini.

permultum confert ad ædificandas urbes, propugnacula exstruenda vel oppugnanda, unde Philo appellat, ἀρχὴν καὶ μητρόπολιν, omnium scientiarum. Sed illam artem Magicam quam Curtius, *Vanissimi cujusque ludibrium esse*, ait, & de qua Tacitus 12. *Annal. Molitur crimina & accusatorem qui objiceret Chaldaos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis Imperatoris.* Et alibi: *Scribonianus in exilium agitur, quasi finem Principis per Chaldaos scrutaretur.* Item, *Mathematici, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.* Vnde Domitianus Pomposianum interfecit, *quod imperatoriam genesin habere vulgo ferebatur.*

Ne quis apud alium quam regem vaticinia profiteatur.

Quo etiam modo Tiberius Aruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit, Suetonius in Tiberio. Sic in regno Macedonico non licuit, nisi apud Regem, vaticinia profiteri. Illud est quod Alexander Aristandrum increpat: *Non Rex*, inquit, *sed privatus sum: sacrificium ut faceres mandavi, quid eo portenderetur, cur apud alium quam apud me professus es? Eriginus arcana & secreta, te prodente, cognovit.* Curtius *lib.* 7. Ab hisce artibus etiam sibi timere dicuntur Turcici Imperatores; veluti est nobilis illa prædictio, fore, ut ex Transsylvaniæ rupibus prodeat Princeps, qui ad nihilum redigat Ottomanicum Imperium. Cui simile est illud responsum Aruspicum apud Vopiscum in Floriano.

Ne quis cum exule diu multūque sit.

Hinc etiam periculosum erat cum ejuscemodi versari. Quemadmodum etiam nefas fuit cum exule diu multumque esse: de quo plinius in Epistola quadam: *Equidem cum essent Philosophi*

losophi ab urbe summoti, fui apud illum in suburbano & quo notabilius hoc periculosiusque esset, fui Prætor, pecuniam etiam dedi, &c. Ideo Sejano accusato majestatis, nonnulli qui unà cum eo consederant, surrexerunt, *Dion.* 58.

Quam etiam ob causam Mecænas ille Augustum docuit, quam perniciosa sint in principatu conventus & conciliabula: idque Tacitus notat in rebellione Galliarum: *Igitur,* inquit, *per conciliabula & cœtus seditiosa disserebant.* Vnde Senatusconsultis & Constitutionibus Principum prohibiti sunt. *tit. D. de colleg. & corporib. & tit.* 53. *Feud. lib.* 2. §. *Conventicula.* Quod sic reddit Poëta Augustus lib. 8. *Conventus prohibere & conciliabula, tanquam periculosa.*

Non conventiculum, vel conspiratio fiat;
Sive sodalitii, seu juncti sanguinis astu.

CAPVT XIV.

Præsidiis se munire, armatum, loricatum esse. Nimia securitas Cæsaris, ἢ ἀπαιδευσία in dimittendis Prætorianis militibus. Regalis corporis custodia.

Sicut jus armorum minimè privato competit; ita contra Princeps se armis, contra factiosorum hominum insidias, munire debet. Nam, ut ait Livius lib. 2. *parum tuta est sine viribus Majestas.* Ideò Romulus trecentos armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit. Idem sedulò Livia Augustum monuit, ut sui corporis custodiam exquisitissimam instituere: Et Mecænas ad eundem; *Suadeo,* inquit, *ut duos præstantißimos ex equitibus, qui præsidio præsint, sumas, ut sint qui tui custodiam gerant.* *Princeps debet se armis munire contra factiosorum hominum insidias.*

Non

Non esse hoc tyrannicum. Non enim audio illos qui hoc plus tyrannicum esse existimant. Enimver rum arcanorum usus, vel ipso Aristotele non tam est in tranquilla & pacata Rep ca, quam in turbulenta ac seditiosa multum à tyrannide differt dominatio.

Dominationis & tyrannidis differentia. suum commodum spectat, hæc & suum vium. Illa per scelera occupatur; hæc vi ter quidem, sed vi ac jure belli. Illa armi nita est ad perniciem civium; hæc ad dium & custodiam sui.

Custodia regalis corporis ut necessaria, ita exemplis variis commendatur. Quare rectè Augustus, quod loricâ su ste munitus ferroque cinctus in curiam Rectè Tiberius, quod in funere Augusti sidia disposuit, ut ut inrisus fuit à pop Quos secutus Cosmus Mediceus occupato perio Florentino, non nisi armatus & manu militari in senatum venit. Quin e Masinissa ille parum hominibus credens nibus salutem suam vallavit, teste Va Maximo. Quænam enim, per fortunam cipem, alia causa fuit tam inopinæ & fel tæ C. Iulii Cæsaris necis, quam quod neg excubias, prætorianosque milites dim firmissimum corporis regalis robur? Qua

ἀπαιδευσία. Iul. Cæsaris, in dimittenda prætoria cohorte. quo Syllam increpat, quod Dictaturam d fuerat, eum literas nescivisse; in eo multo gis objurgandus est Cæsar ipse, quod, deposita Dictatura, prætorianos tamen lites dimisit. *Principatus enim armis quæs* ut monuerunt eum Pansa & Hirtius apud terculum, *armis tenendus erat*: Quo n ne eum merito Anglicus Scriptor Henr Savilis solæcum appellat, & pessimum Gr maticum: Verè Tragicus in Hercule fu te,

Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis.

Quare quod Augustus & Tiberius Germanorum custodia usi sunt, Galba Evocatorum, Caligula Batavorum, Antoninus Germanorum equitum, atque alii aliorum; ideò & se securos reddiderunt à sceleribus civium, & nefariis hominibus terrorem incusserunt. Quam etiam ob causam antiquissimi Reges, ut est apud Xenophontem & Iustinum, circa se habebant gustatores, qui temperabant sive prægustabant potum propter periculum veneni. Qui mos Regibus adhuc hodie in usu est. Cæterum stationem militum Suetonius vocat *vim Dominationis. Statione,* inquit, *militum, hoc est vi & specie Dominationis assumpta:* & Nævius *Regalis corporis custodias appellat.*

CAPUT XV.

Non omittere sedem Imperii, id est, caput rerum; Et discutiuntur rationes propter quas Tiberius, Antoninus, Iustinianus, Carolus Rex Galliæ, Ammurates, ab urbe non discesserint: Imperatoriæ Majestatis est, præcisè agere. Gallorum imprudentia in deserendo Mediolano.

Roma, ut dictum est, erat sedes Imperii Romani, & caput rerum. De qua Romulus ille apud Livium lib. I. *Abi nuncia,* inquit, *Romanis, cœlestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit.* Quocirca non facile eam deserebant Principes Romani. De Augusto Suetonius. *Non diu,* inquit, *urbem reliquit:* Alibi: *Biennio continuo post adeptum Imperium pedem porta non extulit.* Idem fecit Tiberius.

Sedes Imperii non facile deserenda.

Tiberius. Exorta enim seditione in Illyr
vulgus incusare Tiberium, ire ipsum, &c
ponere majestatem Imperatoriam deb
verum immotum adversus eos sermone
xumque Tiberio fuit, non omittere ca
neque se remque publicam in casum dare.
feras hoc identidem, meo periculo, ad arc
Rationes quæ Tiberiũ detinuerunt. Dominationis: Ac quidem rationes non e
de nihilo, imò gravissimæ. Quamvis Tibe
alium prætextum excogitavit, magnitu
nem Imperii extollens. *Primò*, quod u
erat caput rerum, unde in omnia regim
ut ait Tacitus 2. Annal. *Neque decorum*,
quit alibi, *Principibus si una alterave c*
tas turbet, omissa urbe, unde in omnia re
men, &c. Deinde, ne se & Rempublicam in
scrimen conjiceret. Maluit enim vulpecula
dem Imperii premere, quam absens Re
publicam adeòque Dominationem suam c
juratorum insidiis obnoxiam facere. *Ter*
Quia si ivisset, aut utrique exercitui, t
in Illyrico quam in Germania, satisfac
oportuisset, aut neutri, aut alterutri. Si u
que, futurum hoc erat contra salutem Rei
blicæ, quæ tantis oneribus erat impar. Si n
tri; metuebat ab utroque, ne sibi vim inten
rent, & quod ultro nequissent, necessitate
primerent. Ideò Tacitus 1. *Annal. Pericu*
severitas, flagitiosa largitio, seu nihil mil
seu omnia concederentur, in ancipiti Rep
Si alterutri, atque ita hunc exercitum
teri prætulisset; periculum erat, ne p
positi hac contumelia incenderentur. *Qu*
tò, Itaque consultius erat filios mitti, I
peratoria majestate salvâ, *cujus ex longin*
major est reverentia; & ut Cæsar ait: *om*
plerum

plerumque quæ absunt, vehementius hominum mentes perturbant: & Livius libro 35. *continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit. Quintò.* Legatis licebat perplexè agere, & Senatus arbitrium prætendere, quædam etiam ad Imperatorem rejicere: at imperatoriæ majestatis est, præcise omnia agere, & ad punctum; hoc est, ut Alciatus interpretatur, sine tectorio aliquo & sermonis involucro: vel, ut Cicero libro octavo ad Atticum, sine ulla exceptione. Ideò Tacitus de Druso, eum arbitrium Senatus & patris prætendisse. *Sextò.* Si milites resistant Germanico & Druso, nitigari & infringi posse; se verò id est, imperatoria majestate læsâ, quodnam subsidium sperarent? Idem factitarunt Antoninus, Iustinianus, Carolus ille Rex Galliæ, Ammurates, aliique. Antoninus hanc causam asseruit, quod provincialibus comitatus Principis nimis gravis futurus erat, sed verius judicio meo. Capitolinus, *ne Imperatore absente, sedes Imperii à conjuratis occuparetur.* Ideò Ammurates ille Turcarum Imperator gloriari ausus est se sedentem Constantinopoli majores res gessisse, quam ullum ex Majoribus suis in ipsa acie. Idque Tiberius dicebat, fide ac virtute Legatos, se consiliis superfuisse. Cujus rei tamen alia causa non fuit, quam quod Constantinopolis sedes erat Imperii, & plena Christianis hostibus Turcico nomini infensissimis. Sic Carolus Gallus bellum cum Eduardo Rege Angliæ per fratres gessit, ne rebus improspere gestis, ut est fortuna belli, absente Rege, Parisienses more suo secessionem facerent: ac tamen Eduardus dixisse fertur, cum nullo unquam hoste sibi rem fuisse, qui minus armare-

Imperatoriæ Majestatis est præcise agere. *Exempla Principum qui Tiberium sunt secuti.* *Speciatim Caroli regis Galliæ.*

Gallorū imprudentia in deserendo Mediolano. tur, & plus negotii sibi facesseret. Fross lib. 2. Unde Machiavellus meritò ipsi etiam Gallorum imprudentiam perstri quod Mediolanum deseruerint, ubi quamdiu pedem fixissent, non tam citò ab Hispanis fuissent ejecti.

CAPUT XVI.

Imperium intra terminos coercere. Metus consilio & prudentia. Limites Imperii mani sub Augusto. Difficultas retinend perii in remotis regionibus. Reipubl. diu necessaria quies. Occulta causa conjura Catilinariæ.

Felicitas Reip. constituenda in prudentia imperandi & parendi, non in magnitudine. Felicitas Reipublicæ, ut testatur flore simus rei Romanæ scriptor, non co in magnitudine, sed in summa impe parendique prudentia: idque oraculi ins detur mihi in Repub. præsertim turbule multis intestinis discordiis laborante. tectus certè intelligens non graviores p que contignationes superædificat, nec tius domum tollit quam ferendo est metum. Quare Augustus Imperator occ Imperio, consilium iniit coërcendi int minos Imperii, ut refert Tacitus & Dio locus magnum mihi arcanum sapere v dominationis. Non enim invidiâ id fec gustus, qualis in Adriano fuit, neq; timor dam, aut metu, aut etiam ignaviâ, ut vulgus hominum existimavit; sed ex prudentia, *ne*, ut testatur Dion, *si imperi latare voluisset, id difficilius tueretur, etiam partum amitteret*. Erat enim Res Romana ægra, quæve vix cicatrices c stina acceptas obduxerat. Nisi forte ap

Unde Augusti consilium de coercendo intra terminos imperio.

citum, cum Scipione Admirato, metum interpreteris prudentiam, sive, ut alibi Tacitus appellat, consilium, veluti in Agricolæ vita: *Ac longa*, inquit, *oblivio Britanniæ etiam in pace consilium id D. Augustus vocabat. Tiberius præcipuè*, sive, ut Lipsius legit, *præceptum*, & aliàs metus pro prudentia sumitur. Hinc Arbiter: *Quantum quisque timet, tantum fugit:* Metus enim tutos facit. Thucydides. τὸ δ᾽ ἀντίπαλον δέος, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν: Et Tacit. *Germania à Dacis mutuo metu, aut montibus separatur.* Sic Ligurinus:

Vrget quippe metus faciuntque pericula fortes,

Rationes hujus consilii. Ac quidem hujus consilii rationes etiam sunt aliæ. *Primò*, quod varia est fortuna belli & alea, adeóque ipsius virtutis. Hinc Seneca in Hercule furen. *Post multa virtus opera laxari solet.* Quare Corbulo ille meritæ tot per annos gloriæ ultra periculum facere noluit. *Deinde*, quod Imperium Romanum jam mole sua laborabat. Erant enim termini, ab Oriente Euphrates, à Meridie Nili cataractæ, & deserta Africæ; & mons Atlas ab Occidente, à Septentrione Danubius & Rhenus, unde magna difficultas erat retinendi. Ideò Tacitus 1. Annal. *Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum Imperium, legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa.* Quæ omnia pertinebant ad securitatem Principis. Qua de re pulchra est Venetorum oratio apud Guicciardinum *lib. 3. Histor.* Civitatem Pisanam esse quidem peropportunam Venetis, cæterum quod nisi per alienam ditionem & portus eo appellere queant, difficulter, & non nisi magnis impensis contra Florentinorum injurias conser-

Limites Imperii Romani.

Difficultas retinendi remotas ditiones.

vari posse. Et verissime Curtius libro
Pragrave Imperium difficile est contin
capere non possu. Videsne, ut navigia
dum excedunt, regi nequeant; Nesci
rius ideo tam multa amiserit, quia n
magnæ jactura locum faciunt, faciliu
dam vincere, quam tueri. quam herc
ditius manus nostræ rapiunt, quam c
Hæc eleganter Curtius. Taceo nunc
rem justitiam & patientiam Augusti
qui nulli, teste Suetonio, bellum int
justis de causis; Prætereo etiam illud
gati apud Procopium dicebant, ideò
lum, ut pax videatur quæsita. De quo
silio ipse Augustus magnificè loqui
πολιτικὴ ἀρετὴ Augusti. Iulianum in Cæsaribus. *Bellis verò*
sæpenumero in extremum discrimen a
rem Romanam sic composui, firmaviq
enim, immoderatis cupiditatibus more
omnia undique parare, & dominio eju
gere suscepi, sed duos Imperio nostro lim
quam à natura datos, Istrum & Eu
statui. Deinde domitis Thracibus & Sc
bellum aliud ex alio sum commentatu
Iuris descriptione, & eorum quæ bellis
depravata erant correctione incubui:&
quuntur. Intererat nimirum Reipubl.
sauciæ quiescere, ne, ut ait Florus,
curatione ipsa rescinderentur: quod in
etiam laudavit prudens scriptor, *eum*
Occulta causa conjurationis Catilinariæ. *di Imperii incuriosum fuisse.* Quam eti
sam Florus lib. 1. facit conjurationi
nariæ, *quod in extremis mundi finil*
Romana peregrinabantur. Et Salustius
lia, inquit, *nullus exercitus, Cn. Pom*
extremis terris bellum gerebat. Porro

recte & ex dignitate Reipubl. Britanniam, & Trajanus Arabiam Imperio adjunxit; quippe quibus temporibus jam tum Respub. convaluerat. Quare quod Iustinus de Mithridate scribit, eum, cum ad administrationem regni accessisset, non de regendo, sed de augendo regno cogitasse, facilius fuit Mithridati, occupato tranquillo Imperio: ac tamen à reditu veneno periclitatus est. Iustinus lib. 37. Quomodo etiam intelligendum est illud de Friderico Barbarossa,

Credens hoc perdere tempus,
Quo nihil adjectum regni proventibus esset.

CAPVT XVII.

Ne quis impunè Principem, etiam hostem, interficiat. Vt acta priorum Principum conserventur, etiam Tyrannorum. Ne facile princeps supplicio afficiatur.

CVm reverentia civium erga Principes, tum etiam ipsius Principis salus in eo posita est, ne facile aliquis regii, vel principalis sanguinis interficiatur; imò etiam ne cædes Principis, quantumvis hostis, impunita maneat. Quod Laurentius ille Mediceus dixit, se nolle committere, ut opinio hæc in animos hominum illabatur, regium, sive principalem sanguinē licere effundere. Qui enim Princeps Principem interficit, exemplum dat sui interficiendi, suumque ipsius latus denudat. Ideò sanctus David: *Occidi*, inquit, *eum, qui nuncio allato de morte Sauli, præmiū sibi dari postulabat; quanto magis homines impios, qui interfecerunt virum justum in domo sua & lecto dormientem*; Eodem consilio Augustus percussores

Non facile Principalem sanguinem fundere. Laurentii Medicei insigne dictum.

Cæsaris intra triennium ultus est. Quod eleganter Guntherus:

Sic Augustorum primus summusque Monarches
Eximiusque nepos, crudelia Cæsaris olim,
Hostibus extinctis, pius ac fortissimus ultor,
Protinus accepto diademate fata piavit.

Exempla Principum in percussores Principum animadvertentium.

Et Severus Imperator Pertinacis interfectores capitali pœna damnavit: *quod factum* teste Herodiano *incredibilem illi tum gloriam attulit, tum etiam diutissime imperandi securitatem.* Sic Domitianus Neronis libertum, quod Neroni petenti jugulum opem tulisset, ad supplicium traxit. Vnde acer scriptor: *Vltor est* inquit, *quisquis successit.* Ideò Vitellius interfectores Galbę, quantumvis hostis, omnes conquiri & interfici jussit: *non*, ut ait Tacitus; *honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimẽtum in præsens, in posterum ultionem.* Cujus rei rationem prçclarè exposuit Alexandro Darius à Besso letaliter vulneratus *Exempli, communemq́ omnium regum esse causam, quam negligere illi indecorum esse & periculosum, quippe cum in altero justitiæ ejus, in altero etiam utilitatis causa versetur.* Rectè ait communem causam esse; sic apud Senecam Amphytruo increpatus à Lyco, quod Iovem mentiretur patrem Herculis; respondit: *Communis ista pluribus causa est deis.* Quæ etiam ratio videtur, propter quam Nero Pilato caput amputari jussit, quod Christum Regem Iudæorum supplicio afficere non dubitasset, si Suidæ credendum est. Sic Bajazetes Turcarum Imperator, Bernhardum Bandinum Iuliani Medicis percussorem, qui in Asiam usque perfugerat, dignitate hominis & sceleris atrocitate per-

Communem Regum causam esse, ulcisci cædem Principis.

motu.

motus, ad supplicium tradidit, ut refert Iovius. Causam etiam expressit apud Sophoclem Oedipus, qui Laji cædem ulcisci cupit; ut suam ipsius vitam tueatur. Non enim piget versus egregios huc referre.

Ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀπωτέρω φίλων,
Ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ τοῦτ' ἀποσκεδῶ μύσος·
Ὅστις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανὼν, τάχ' ἂν
Κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι
Κείνῳ προσαρκῶν οὖν, ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Quo fine etiam priorum Principum acta conservantur. Suetonius in Augusto *Nihil convenientius ducens, quam necem avunculi vindicare. & acta tueri*; imo etiam Tyrannorum. Cicero *Nihil usitatius, quam Tyrannorum acta valere*. De simili re Gellius lib. 18. *sic bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est*. Idem fecerunt Arcadius & Honorius, & Maximino Tyranno cæso legem tulerunt: *Quæ Tyrannus contra jus rescripsit, non valere præcipimus, legitimis ejus rescriptis minime impugnandis*. Pari ratione Nerva & Trajanus beneficia Domitiani conservarunt.

Acta priorum Principum cur serventur.

CAPUT XVIII.

Arcana Dominationis Aristocraticæ. Nimiæ largitiones. Nimiæ affinitates. Ne quis munitam domum habeat. Ne Patricius in arce, aut Capitolio habitet. Ne penes alios quam Patricios auspicia sint. Ne quis impune Senatorem pulset & injuria afficiat. Ne Patricius facile supplicio afficiatur.

AT que hæc sunt dominationis Regiæ arcana: cæterum non minus in Imperio multorum, hoc est nobilium, sive patriciorum,

Senatus immortalis quidem; sed non minus nefariorum civium conjurationibus obnoxius.

ciorum, id genus artibus opus est. Qu
enim Senatus, ut Imperator ille dice
mortalis est, Princeps verò mortalis;
nus tamen ille, quàm hic nefariorum
injuriis obnoxius est, nisi ipse obvian
exempla conjurationum adversus se
patricios sunt obvia. Qualis fuit no
Catilina, qui universum senatum t
instituerat, exceptis Pompeji liberis
cinori patrando una nox Saturnaliu
tuta fuit.

Arcana Aristocraticæ dominationis quæ. Eorum multa cum regiis conveniunt. Tale est ne largitiones & conventus fiant.

Quemadmodum ergo arcana reg
nationis sunt occulta consilia pro sal
cipis excogitata; ita Arcana Arist
dominationis, sunt intima atque occ
silia ad salutem Nobilium, sive Patric
Republ. pertinentia.

Quorum multa sunt, quæ cum ar
giis communia sunt. Quale est illud,
tiones aut conventus fiant. Quippe
Livio, *temeritatis apud plebem sunt in*
ta. De conventibus idem Livius lib
vero plebs cætus nocturnos, pars in
pars in Aventino facere, ne in foro s
pidaret consilium, & omnia temere a
ageret. Eam rem consules rati, ut er
tiosam, ad Patres referunt. De Larg
idem Livius eodem libro: *Publica pa*
licitudo inerat, largitione consulum p
libertati opes struere: Et paulo post,
servitutem iis qui acceperant laturos.
chrè faciunt illa M. Tulii ad Attic
Epist. 17. *Nihil est quod non timendum*
λογιζομένους τυραννίδα συσκευάζει, Q
ista repentina affinitatis conjunctio,
Campanus, quid effusio pecunia si

Quasi essent extrema, tamen esset nimium mali. Sed ea natura rei est. ut hæc extrema esse non possint. Quid enim eos hæc ipsa per se oblectare possunt? Nunquam huc venissent, nisi ad alias res pestiferas aditus sibi compararent. Quo modo apud Livium libro quarto Patres increpant Consules quod Spurii Melii largitiones, cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri.

Ne quis in munito loco ædificet.

Deinde, ne quis ex Patriciis nimis splendide ædificet. Livius libro secundo: *Valerius,* inquit, *Cos. affectati regni in suspicionem venit, quia ædificabat in summa Velia. ibi alto atque munito loco inexpugnabilem fore, itaque delata confestim materia infra Veliam, domus in infimo clivo ædificata. Vnde latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret.*

Ne patricius in arce vel Capitolio habitet.

Taceo quod hæc ædificiorum magnificentia egenorum animos perstringit, & ad seditiones invitat. Catilina apud Salustium; *Quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari, & montibus coæquandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? Illos binas aut amplius domos ædificare; nobis larem familiarem nusquam ullum esse?* Idem Horatius increpat: *Structas in altum divitias, &, jactis in altum molibus.* Et Petronius;

Ædificant auro, sedesq́ue ad sidera mittunt,
Expelluntur aquæ saxis.

Senatores & Patricios sanctos a-

Cumprimis autem ad patriciorum salutem facit, ut senatores & patricii existimentur sancti & inviolabiles. Vnde apud Romanos penes eos solos auspicia erant. Livius libr. 6: *Penes quos igitur sunt auspicia more majorum? Nempe penes patres.*

Nempe penes Patres. Et lib. 23. *Nec privatu auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum; externo ea sola nova atq; integra concipere poss*

Severissimè vindicare injurias Patricio vel senatori factas.

Quare grande crimen fuit, virum Senator ordinis pulsare, vel injuria afficere. Quod a Arnobius libro 4. *Magistratum in ordinem r digere, Senatorem convitio prosequi, suis esse d cretis periculosissimum pœnis*.

Ne Patricius facilè supplicio afficiatur.

Simili ratione Patricii non facile supplic affici debent. Id Decemviri posituri Imp rium orant ac monent Patres, *ut ipsis ab inv dia caveatur; nec suo sanguine ad supplicia p trum plebem assuefaciant*, Livius lib. 3.

Quibus nominatim in Aristocratia ista arcana opponenda.

Hujuscemodi arcana consilia in Aristocr tica etiam Republica opponenda sunt iis, q Nobilium sanguine se polluere malunt, qua eorundem imperium æquo animo ferre.

CAPUT XIX.

Dictatoris creatio, & potestas. Ut Patricii f cum gladiis sint. Ciceronis Cos. Romani lo ca. Lictores. Fasces.

Creatio Dictatoris quæ erat majestas.

IN primis autem arcanum dominationis A ristocraticæ sapere videtur creatio illa D ctatoris Romani post latam legem prov cationis. Idque testatur Appius Claudius apu Livium lib. 2. Consul revera ἀριστ@ & ple infensus, *Id adeò*, inquit, *malum ex provocat ne natum. Agedum Dictatorem, à quo prov catio non est, creemus; Iam hic, quorum omn ardent, conticescet furor, pulset tum mihi lict rem, qui sciat jus de tergo vitaque sua penes num illum esse.* Equidem hoc consilio nisi fu sent usi Patres Romani, vix, ac ne vix qu dem, plebejorum vim atque atrocitatem stinuissent. E

Erat enim Dictatoris magna vis atque potestas; adeò ut ab eo, & inprimis optima lege creato provocare minime licuerit. Vnde Livius lib.8. *Dictatoris*, inquit, *edictum pro numine semper observatum.* Et Tribuni lib.6. *Dictatorium fulmen in se creatum* ajunt. Ibidem. *Nec adversus Dictatoriam vim, aut tribuni plebis, aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebat.* Neque solum tempore belli creabatur, sed etiam in pace, Livius lib.7. *Dictatorem hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore* belli, *sed ne Licinia lex Comitiis consularibus observaretur.*

Dictatoris quae erat majestas.

Cæterum illud salutariter in libera Republica quod tanta vis atque majestas ad sex tantum menses durabat; ne quis fretus diuturna potentia Rempublicam everteret. Quod plerumque accidit, ut hujuscemodi Dictaturam subsequatur Principatus. Vti videre etiam est in illo Taciti 11. Annal. *Exhaustis, quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia sublegêre, &c.*

Dictatura ne sit diuturna, & cur.

Quo etiam pertinet, ut in hac Republica patricii muniti sint, & cum gladio atque armis eant. Quod quamvis parvi momenti esse existimatur; mirifice tamen plebem deterret; patriciis vero vim atque autoritatem auget. Vnde Cicero, quamvis gloriatus est ad Atticum, se firmissima hominum benevolentia munitum esse; tamen Consul in campum ascendit cum lata & insigni lorica. Qua re sibi salutem attulit, Catilinæ verò & Antonio maximam invidiam conflavit. Qua de causa Coss. cum lictoribus & fascibus incedebant. Itaque arcanum dominationis Consulum tentatum est, cum Livius ait: *Violatos esse lictores,*

Vt Patricii armati incedant.

Cum lictoribus & fascibus Consules.

res, fasces fractos, &c. Vt ut Plinius libro 5. Epistol. vocet, *fasces imaginarios*.

CAPUT XX.

Ne Senatores, Coss. vel Patricii Urbem deserant, aut Urbe cedant. Ne pax alicunde quam Roma petatur.

Ne Patricii facilè relinquant avitam sedem.

AD salutem etiam Patriciorum spectat, ne facile sedem avitam relinquant. De quo Cicero gravissime incusavit Pompejum, adeóq; universum senatum Romanum, quod adventante cum exercitu Cæsare, Roma discesserint, οὐκ μαλ' ἀριστοκρατικῶς. *Nec sum miratus*, inquit lib.8. Epistol. 1. ad Atticum, *eum qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere.* Et 7. Epist. 11. *Per fortunas, quale tibi consilium Pompeji videtur? Hoc quæro, quod urbem reliquerit: Ego enim ἀπορῶ, tum nihil absurdius: Urbem tu relinquas? Ergo idem si Galli venirent. Non est*, inquit, *in parietibus Respublica; at in aris & focis. Fecit idem Themistocles, fluctum enim totius Barbariæ ferre urbs una non poterat. At idem Pericles non fecit, annum fere post quinquagesimum, cum præter mœnia nihil teneret. Nostri olim urbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt.* Et paulo post: *Multa hominum querela est, sine Magistratibus urbem esse, sine Senatu.* In quo etiam Pompejum perstringit Petronius,

Pompeji & Senatus hic error notatus à Cicerone.

Petronio.

Nescis tu Magne tueri
Romanas arces, Epidauria mœnia quære.

Quanto fortius olim, cum plebs Romana Vejos migrare vellet, Optimates ita contenderunt, ut morituros se citius dicerent in conspectu populi Romani, quam relicta Roma transmigrare Vejos.

Adde

Adde quod patribus absentibus facile nefarii cives res novas moliuntur. Livius lib. 3. de Terentillo, qui tempore capto insidiatus est Reipubl. *Is*, inquit, *Consulibus absentibus ratus locum Tribunitiis actionibus datum, per aliquot dies Patrum superbiam criminatus est*; Et postea: *Timebant Patres ne absentibus Consulibus jugum acciperent.* Quare in certaminibus hisce civilibus, non facile patricii, & inprimis qui imperia habent Vrbe cedere debent. Cujus rei exemplum est in exilio Cæsonis, acerrimi defensoris patriciorum. *Cum velut victores Tribuni*, inquit Livius lib. 3. *perculsis Patribus Cæsonis exilio, prope perlatam esse crederent legem, & quod ad seniores Patrum pertineret, cessissent possessione Reipubl.*

Ratio arcani quod Patrum absentia ad res novas moliendas nefariis audaciã prabeat.

Quin etiam propterea pax non alicunde petebatur quam ex urbe Roma: tum ne promiscuè ab exercitu in discrimen adducto extorqueretur, tum etiam ne unus extra Romam in periculum cum Reipublicæ tum etiam ipsorum senatorum, pacem facere posset, ut constat ex sponsione Caudina & Numantina, de qua aliâs.

Pax non aliunde quam ex urbe Roma petenda.

CAPUT XXI.

Ne Patricii cum plebejis matrimonia ineant. Ne familiæ deficiant, & ut novæ sublegantur.

IN hac Aristocratica Republica, & in qua præcipuæ ac peculiares quædam familiæ rerum potiuntur, eâdem ope niti decet, ne cum plebejorum sanguine commisceantur Patricii partim, quod hæc commixtio atque affinitas Patriciorum nobilitatem existimationemque tollit, vel saltem minuit: partim etiam,

Ne Patricii cũ plebejis matrimonia contrahant.

etiam, quod plebeji hac affinitate moti & incensi Reipublicæ participes esse satagunt. De quo cautum est in LL. 12. tab. *Patricii cum plebejis connubia ne junganto*. Quam ob causam maximæ dissensiones fuerunt in Republica Romana. Quippe quod *hæc matrimonia* (verba sunt Livii) *colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque afferunt, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit, ut discrimine omni sublato, nec se quisquam nec suos noverit; quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque, ut qui natus sit ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors?* Hæc Livius.

Ratio hujus arcani. Est nimirum hoc arcanum dominationis Aristocraticæ. Nam plebs postquam gentem adepta est, omnia etiam quæ sunt Patriciorum, ut magistratus, sacerdotia, ordines, imperia & triumphos assequitur. Qua ratione Patricii Romani plebejis se mirifice obnoxios fecerunt.

Remedium ne plebejorum affinitates quærãt Patricii inopes. Sed enim inquies; ita nonnullas familias nonnunquam ad inopiam delabi. Quin igitur ex publico ærario accipiunt, quantum ad splendorem familiæ opus est? Qua liberalitate usus est Augustus erga M. Hortalum Hortensii nepotem, *ne*, ut ait Augustæus scriptor, *clarissima familia extingueretur*. Quod nisi fiat, periculum est ne plures Catilinæ in orationem erumpant, qualis est apud Sallustium, *Postquam Resp. in paucorum potentiam jus atque ditionem concessit, semper illis Reges, tetrarchæ, vectigales esse, &c. Cæteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus sine gratia,*

tia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si Resp. valeret, formidini essemus.

Quo magis opus est, ut vetustissimis familiis exstinctis, novæ sublegantur; Quod sæpenumero Romę factum est, tum ne summa Reipublicæ elapsis temporibus, ad nimis paucos redigatur, tum etiam ne ipsorum Patriciorum potentia diminuatur. Quæ res si in principatu usum habet, quanto magis obtinet in Republica, in qua certæ familię principatum obtinent. De Claudio Tacitus 11. Annal. *Iisdem diebus in numerum Patriciorum ascivit Cæsar vetustissimum quemque, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum & L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia sublegêre.* Et olim Romulus ille Rex diruta Alba, in Patres, ut ea quoque pars Reipublicæ cresceret, legit Tullios, Servilios, Quintios. Quo etiam consilio Cajus, quamvis in principatu quibusdam Equitibus, teste Dione libro 59. laticlavium dedit, id est, spem dignitatis senatoriæ.

Vt familiis exstinctis novæ substituantur.

CAPUT XXII.

Ne alterius quam vernacula lingua usus sit. Crimen alieni sermonis. Linguæ Germanicæ dignitas. Damagogi. Tribuni plebis.

AD autoritatem etiam Reip. conservandam permagni interest, ut sanctè observetur & usurpetur lingua vernacula. Valerius 2. cap. 2. *Magistratus*, inquit, *prisci quantopere suam populique Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest; quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud*

Vt sanctè observetur lingua vernacula.

quoque magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam, nisi Latine, responsa darent. Quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant; non in urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia & Asia, quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur: indignum esse existimantes, illecebris & suavitati literarum imperii pondus & autoritatem donari. Hæc ille. Idque Phavorinus dicebat, posse Imperatorem hominibus Barbaris civitatem Romanam dare, vocabulis nominibusque Barbaris non posse; Quippe *quæ à naturali civium usu, qui ut* est *in l. 2. D. de usu. autoritate Senatus immutari nequit*, vim atque proprietatem accipiunt. Cujus rei Philotam in reatu stantem, & alieno sermone utentem incusat Alexander. *Ecquid videtis odio etiam sermonis patrii Philotam teneri? Solus quippe fastidit eum dicere: sed dicat sane utcunque cordi est: dum memineritis æque illum à nostro more atque sermone abhorrere.* Eodem modo Turcici Imperatores majestatem imperii sui ostentant, ut non alia lingua quam sua vel legatos exterorum Principum audiant, vel iisdem respondeant. Quo etiam pertinet constitutio Imperii, ne in Camera lites alia lingua intendantur, quam Germanica. Cujus linguæ (quidquid Arias Montanus calumnietur) tanta est majestas, tantaque dignitas, ut cum aliis fere omnibus, non tantum de elegantia, verum etiam de exquisitorum verborum circumductione, & periodorum decenti amplitudine atque tractu, certare possit.

Latinæ linguæ observantia apud Romanos.

Turcica apud Turcas.

Lingua Germanica in Camera Imperii.

Quo-

Quo magis cavendum eſt, ne in Rempubl. inrepant homines loquaces & male diſerti. Quippe qui, veluti, litui, animos plebis adverſus patricios animant atque incendunt; quales fuerunt olim apud Athenienſes Dæmagogi, & apud Romanos Tribuni plebis, quorum locum hodie quidam ex ordine ſacro (qui pudor eſt religionis noſtræ) obtinent, veluti Rockiſanus ille, cujus concionibus & debacchationibus Georgius à Kunſtadt Podibradius regnum Bohemiæ invaſit. Quo laudabilius, civitates nonnullæ adeò eorum loquacitatem ambitionemq; comprimũt, ut iis nulla fere alia de re præterquã de morum corruptione, animarumq; ſalute, publice verba facere liceat. *Ne in Remp. inrepãt homines loquaces & male diſerti.*

CAPUT XXIII.

Arcana Dominationis Democraticæ. Ne quis civem Romanum vinctum teneat. Lex Portia. Ut Tribuni ſint ſacroſancti: ne extra urbem abnoctent. Ut nunquam eorum poteſtas ceſſet. Tribunitia poteſtas. Ne patricii nimis multos lictores habeant.

Porro, nihil minus in hac rerum natura mortale eſt, quam populus. Itaque haud ſcio, an populari Reipublicæ arcana dominationis accommodari queant. Ad libertatem tamen ac ſalutem populi Rom. pertinet edictum illud Conſulis Romani: ne quis civem Romanum vinctum teneret, aut clauſum, quo minus nominis edendi apud Coſſ. poteſtas fieret: ne quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret aut venderet, liberos nepoteſque ejus moraretur. Inprimis vero huc pertinet lex illa Portia, quã ſancitum fuit: ne cui *Arcana dominationis Democraticæ. Ne quis civem Roman. vinctũ teneat, aut militis bona poſſideat.*

aut civem Roman. occidat ex lege Portia.

cui civem Romanum interficere liceret. Adeoque hæc vox, *civis Romanus sum*, multis sæpe in ultimis terris opem inter Barbaros tulit & salutem. Hinc Vellejus Paterculus *Illud*, inquit, *unum nefariè proditum, quod capitis, non dicam, Gracchi, sed civis Romani, precium se daturum, idque auro repensurum proposuit*. Quare sæpenumero hæc lex renovata est. Cujus rei non alia causa fuit, teste Livio lib. 10. quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterant. Contra quam legem, cum Cicero Consul Romanus supplicium de hostibus patriæ sumpsisset, non injuste in exilium ejectus est.

Lex Portia cur propria dominationis popularis.

Atque hanc propriè ad dominationem popularem, imo ad jura populi, de quibus ago lib. 4. referri oportere, vel ex eo liquet, quod mutata Republica, vim suam & valorem perdidit. Etenim Galba, ut refert Tranquillus cuidam cruci affixo, implorantique leges, & civem Romanum testificanti; quasi solatio, & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter cæteras altiorem, & dealbatam statui crucem jussit.

Arcana dominationis à Tribunis plebis usurpata.

Sacrosancta potestas.

Ne Tribuni extra urbe pernoctent.

Cæterum tribuni plebis arcana quædam dominationis suæ usurpasse mihi videntur. *Primo*, quod sacrosancti fuerunt. Canulejus ille apud Livium lib. 4. *Quid tandem est*, inquit, *cur negent se manibus temperaturos, violaturosq; denuncient sacrosanctam potestatem?* *Deinde*, quod Tribunis extra urbem abnoctare non licuit, teste Gellio & Appia. 22. de bel. civ. adeoque ne quidem in continentibus licuit versari diem unum, vel noctem unam. Ne nimirum populi salus intuta esset, & patricio-

triciorum injuriis obnoxia. Quo etiam sensu legibus Æduorum iis, qui summum magistratum obtinebant, excedere ex finibus non licebat. *Cæsar de bel.Gal. Tertio.* quod prehendendi potestatem habebant eos, qui plebi injuriam inferebant, eosq; in carcerem mittendi. Vnde appellabantur Prçsides, atque libertatis populi Romani custodes, *Quarto*, quod creato Dictatore, cum reliquorum magistratuum Iurisdictio cessaret, Tribunus plebis in potestate manebat. *Adde*, quod Tribunis licuit Senatusconsultis intercedere, imo in curia subsellia habere, adeò ut Veturius, teste Plutarcho, morte affectus fuerit, quod Tribuno in forum venienti non cessisset. Quo facit illud apud Livium lib. 3. *Aut plebs non est habenda, aut habendi sunt Tribuni plebis.* Propterea Imperatores, occupato Imperio, momento Tribunitiam potestatem usurparunt, quod erat, ut scribit Tacitus 3. Annal. *summi fastigii vocabulum.* Quare Augustus eam triginta septem annos continuavit, eandemque à Senatu Principibus Iuventutis petiit. Hinc Alexander Imperator apud Lampridium, *Gratias*, inquit, *vobis ago de Cæsareo nomine, de pontificatu maximo, de tribunitia potestate.* Sed & hujus generis est illud: Ne in populari statu patricii multos lictores habeant. Liv.lib.3. *Non pudet lictorum vestrorum majorem prope numerum in foro cõspici, quam togatorum aliorumq;.* Hisce etiam similia sunt arcana quædam dominationis tum regiæ, tum Atistocraticæ, quæ huc referri possunt: ut sunt nimiæ clientelæ Patriciorum, nimis munita ædificia, & id genus alia. Quibus etiam plura ex variis historiis addi possunt, quod nos identidem aliquando, cum Deo & ætate, faciemus.

Potestas plebi injuriam inferentes, prehendendi.

Mansio in potestate post creatũ Dictatorem.

Potestas intercedendi.

Ne Patricii multos lictores habeãt.

Recenseantur alia cumulatim.

CAPUT XXIV.

Alia quædam famæ & existimationis obtinendæ, & communia consilia. Romanorum stupenda magnanimitas; Externa corporis majestas; Magnus animus in rebus adversis.

Arcanũ maximum tuenda fama studiũ ac reputationis. In eo Romanos supra alias gentes excelluisse docetur. Exemplis Senatus. Cæsaris. Germanici. In facto quò magnanimitatē Philosophi ad vivum expressit.

ILlud verò studium famæ atque reputationis, ut vocant, plurimum potest in omni Republica conservanda. Cujus rei Romani, supra alias gentes, peritissimi fuerunt, & dignissimi admiratione. Veluti illud, quod à Senatu Romano decretum est, *ne captivorum octo millia, quæ cladi Cannensi superfuerant, ullo pretio redimerentur.* Ejusdem notæ est illud Cæsaris, *non esse consuctudinem populi Romani, ullam accipere ab homine armato conditionem.* Item illa magni animi vox est: *navibus transire Rhenum, neque suæ; neque populi Romani dignitatis esse.* Itaque pontem struxit. Sicut etiam Romanorum magnanimitas in accipiendis muneribus in stuporem conjecit sæpenumero vicinas gentes: Qualis fuit Germanici, quod dum Galli, Itali, & Hispani arma, equos, aurum offerebant, laudato eorum studio, armis modo & equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit.

Quo facto magnanimitatem illam Philosophi ad vivum expressit. Primo equos & arma sumpsit, aurum repudiavit. *Magnanimi enim est*, inquit Aristoteles Ethic. libro 4. cap. 3. *non tam utiles & fructuosas res capere, quam egregias & elegantes, & Imperatore dignas.* Nimirum equi & arma conveniebant Imperatori; aurum verò plebejo cuidam. Deinde, quod laudato ipsorum studio, & quasi cum pudore accepit. *Est idem magnanimi*, autore Aristotele, con-

le, *conferre beneficia: sed cum verecundia accipere.* Vnde Livius lib. 2. *Legatis,* inquit, *gratiæ actæ pro munificentia, curaque, patera, quæ ponderis minimi fuit, accepta.*

Ac quidem Principem ipsa nonnunquam armat augusta corporis species, atque majestas; qua multi deterriti atque obstupefacti, à cæde, quam destinaverant, abstinuerunt. Quemadmodum etiam de Augusto memoriæ proditum est. A cujus facie, cum quidam miles se averteret, & interrogaretur ab Augusto, cur ita faceret; respondit, *Quia Cæsar, fulmen tuorum oculorum ferre non possum.* Adeò nihil magis conservat salutem Principum, nihilque citius conjuratorum insidias opprimit, quam sarta tecta existimatio atque majestas. Quod prudenter Tacitus 4. Annal. *Cæteris mortalium in eo stare consilia, quid sibi conducere arbitrentur: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* *Species corporis ac majestate Principem nõ nunquã armari.*

Qualis magnitudo illuxit etiam in illo veterum Germanorum Duce ac Principe, qui fusus à Catualda, ad Romanos confugit, Tiberioque scripsit, *non ut profugus aut supplex, sed ex memoria veteris fortunæ.* Rebus enim deperditis sæpe magnus animus fortunam comminiscitur, atque ab audacia mutuatur. Eadem gravitas fuit Cononis, qui regem, ad quem missus erat, adorare noluit, quod teste Æmilio Probo προσκυνεῖν illi vocabant; ne civitati suæ, quæ antea cæteris gentibus imperare consueverat, notam aliquam inureret. *Exemplum magnitudinis in Germanorũ Duce vertere. Conone.*

Illa verò animi torpedo atque segnities Principum latus veluti aperit, qualis stupor fuit in Vitellio Imperatore cum de Imperio periclitaretur. De quo Tacitus 3. Histor. *Tanta torpedo in-* *Torpedo animi Principum latus aperit.*

do invaserat animum, ut si Principem eum fuisse cæteri non meminissent, ipse oblivisceretur. Est enim cordati & magni Principis, nihil committere quod ipsius dignitati famæque detrahit. Quam animi magnitudinem etiam in Friderico Primo notat Guntherus lib. 6.

Ergo pudet, populo quasi debita, cogar avaro
Solvere, cui magni solvunt indebita Reges.

CAPVT XXV.

Omnium firmissima dominationis munimenta, pietas & cultus divinus; clementia; nulla injuria; mitis gubernatio. Fati vis in interitu Principum & Rerumpubl.

Imperantium clementiam & pietatē omnia præcedentia arcana consilia superare.

Cæterum omnia hæc arcana consilia superat, tum clementia eorum qui imperant, tum pietas & cultus divinus, ut est in veteri Vaticinio C. Martii antiqui vatis:

Hæc si faxitis, rectè gaudebitis semper,
Atque ideò fiet melior Respublica vestra.
Nam is Divus vestros perduelles stinguet ad unum,
Qui vestros campos placide nunc ruraque pascunt.

Vbi enim nimis vectigalibus aliisque pensionibus onerantur cives, ibi conjurationes in caput Principis iniri oportet. Id est, quod monuit Pisonem Galba: *Cogita* inquit, *quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris.* Et Mecænas ille apud Dionem, *Nulla in re laberis, si ea ipsa libenter feceris, quæ velles alium facere, si ejus imperio subjectus esses.* Quare nemo temerè injuria afficiendus est: quin potius imperandi auspicium à clementia fieri debet, ut rectè Augustum monuit Livia. In quo pruden-

Item injuriis nemo afficiendus temerè.

ter

A Clementia imperii auspicium faciendum.

ter Germanicus, qui, Cappadocia in formulam provinciæ redacta, quædam ex regiis tributis deminuit. *Quo*, ut ait Tacitus *mitius Romanum imperium speraretur*. Id quod inprimis observare debent illi, qui noviter Imperium occuparunt. De quo idem Tacitus arguit Mithridatem, *eum atrociorem fuisse, quam novo regno conduceret*.

Mihi corollarii instar erit illa Salustii ad Cæsarem Oratio, auro magis aurea: *Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna arbitror; neq; quendam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam, bellum æternum, & anceps gerere: quoniam neque adversus, neque à tergo, aut lateribus tutus sis, semper in metu aut periculo agites.* Quid, quod hujuscemodi humanæ cogitationes & arcana consilia, sæpenumero turpiter fallunt, & in fumum eunt? *Salustii aurea circa hanc rem oratio.*

Vsque adeò, ut canit elegantissimus Lucretius, *res humanas vis abdita quadam*
Obterit, & pulchros fasces, sævasq; secures
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.

ARNOL-

ARNOLDI CLAPMARII DE ARCANIS RERUM-PUBLICARUM, LIBER QVARTVS.

Qui est de Iure dominationis.

CAPVT I.

Diversitas Iuris publici & privati. In illo magis dominatur vis & salus populi, quam æquitas. Ius humanum. Ius belli. Belli commercia. Militaris Iurisdictionis summa lex pecunia. Quomodo Iuri dominationis reliqua cedant jura.

Iura publica ex privato promiscue decidi non debent. Vtriusque juris diversitas.

QVi publica negotia, quæve ad regna & populos spectant, promiscue ex jure civili ac privato ponderant atque decidunt, næ illi mihi perperam facere videntur; idque duabus inprimis de causis. Quarum prima est rei diversitas, atque dignitas. A causis privatorum pendet unius atque alterius salus: à causis publicis populi, Respublicæ, imò aliquot regna, quæ respectu rerum privatarum, *quæ*, teste gravissimo scriptore, *semper offecere, officientque publicis negotiis*, minimè consideranda sunt. Hinc Poëta de arte Poëtica.

Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis.

Non attenuo eorum studium, qui de jure belli, de fœderibus, de legationibus, de magistratu, de imperio, non solum ex historiis & jure

& jure publico disputant, sed etiam ex jure privato.

Scimus & hanc veniam, (canit Poeta) *petimusque, damusque vicissim:*
Sed non ut placidis coëant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Deinde, quod in publicis parva, imo nonnunquam nulla habetur ratio juris privati; quippe in quibus dominantur privilegia, fœdera, vis armorum, militum, pecuniæ. Adde quod obscuritas est, rerum privatarum, quæ teste Cicerone 2. de Orator. multo sæpe obscuriores sunt quam publicæ, sicut &, ut Vlpianus vocat, judicialis illa subtilitas in publica negotia minime cadit. Hinc factum est ut regni causa, juri civili multis modis abrogatum sit juxta illud, salus populi summa lex esto. Neque hoc sine ratione aut exemplo. Cum enim neque jus naturæ, sive gentium &, ut Tacitus appellat, jus humanum, neque jus civile pro sua angustia omnibus temporibus accommodari posset; hinc evenit, ut ingruentibus bellis, juri civili; tum propter superbiam pervicaciamque civium, tum etiam propter militum sævitiam, detractum fuerit, novumque Ius constitutum. Quod appellatum est jus belli. Quemadmodum apud Livium lib. 5. Camillus. *Sunt*, inquit, *pacis, ita & belli jura, justéque ea non minus, quam fortiter gerere didicimus.* Tacitus lib 3. Hist. *Sabini cæde dirempta belli commercia*. Et Poeta in Cyr.

Quod in publicis parva juris privati habeatur ratio.

Et multis modis regni caussâ iuri civili abrogatū.

Qua de caussa.

Ius belli.

At belli saltem captivam lege necasses.

Hinc Curtius lib. 9. de gest. Alex. *Adeò etiam natura jura bellum in contrarium mutat.* Vnde jura militaria atrociora sūt paganorum.

Iura militaria paganorũ atrocia.

l. 5. §. 1. *D. de re milit.* Quo tempore sæpissime, quæ iniqua sunt belli calamitas introducit, ut ait Iustinian. in *l. unic. C. de caduc. toll.* Quippe præfecti militares sæpe non tam jus & æquum in cognitionibus quam magnitudinem spectant pecuniarum. Quæ, ut Mucianus dicebat, bellorum nervi sunt. Quæ tamen restitutâ pace iterum abolentur. *d. l. C. de Cad. toll.* Atque ita ea usurpantur quæ contraria sunt juri civili, fiuntque ait Tacitus 1. *Annal.* bono magis exemplo, quam concesso jure. Cujus rei exempla sunt multa in ipso jure civili, ut testantur interpretes ad *l. 1. D. de offic. Procos.* Idque Iulianus ait *in l. 51. D. ad leg. Aquil.* *Multa jure civili contra rationem disputandi, pro utilitate communi, recepta esse, idque innumerabilibus rebus probari posse.* Id quoque vult Seneca in Epist. *ICtorum responsa valere, etiamsi ratio non reddatur.* ut Vlpianus *quamvis*, inquit, *id perquam durum est, tamen lex scripta est.* Sicut igitur jus naturæ corrigitur à jure gentium, jus gentium à jure militari, jus militare jure legationis, jus legationis à jure civili: ita hoc jus civile iterum corrigitur, sibique veluti frænum injici patitur, à jure, quod appello Regni sive dominationis. Cujus naturam describit Cicero, cum ait pro Rabirio Posthumo *Regum autem sunt hæc Imperia: animadverte & dicto pare, & præter rogitatum si quærare; & illa minæ: si te secundo lumine hic offendero, moriere.*

Exempla in jure civili contra rationem introductorum.

Diversitas jurium & unde.

Iuri dominationis omnia cedunt jura.

C A-

CAPVT II.

Ius dominationis quadrupliciter appellatur. Vis potestatis, vis regni, vis Imperii, vis Principis. ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου, ragion di stato, exceptiones regiæ, jura exorbitantia, dispensationes, juris hujus Definitio. Boni publici cura apud Deum & homines. Magnorum heroum dicta.

QVod jus dominationis variè appellatur. Cicero in Epistolâ ad Q. Fratrem vocat *vim potestatis*. Vt *remoto*, inquit, *Imperio, ac vi potestatis & fascium, publicanos cum Græcis gratia & autoritate conjungas.* Curtius interdum *Ius regni*. Attius *vim Imperii: Neque*, inquit, *fera hominum pectora frigescunt, donec vim persenserint Imperii*. Tacitus nonnunquam *vim Principis*, alii, id quod de jure regni licet. Aristoteles, δίκαιον πολιτικὸν; item δυναστευτικὴν, lib. 2. Politicor. cap. 8. Et 5. Politicor. ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου, & alibi. παμβασιλείαν. Itali, *Ragione di dominio, di Signoria, di regno, d' Imperio*; & omnium elegantissime, *ragionamento di stato*. ICti appellant nunc exceptiones regias, nunc restrictiones, nunc jura exorbitantia, quod ab orbita, hoc est, lata & communi via divertant, nunc dispensationes, nunc limitatoriam dispositionem, nunc leges limitatorias, hoc est, quæ à regulis Iuris communibus recedunt, legibusque derogant. Id enim Ciceroni est limitare, ut in Epist. ad App. Pulc. *De tua prolixa beneficaque natura limitabit aliquid posterior annus*.

Ius dominationis variè appellatur.

Latinis.

Aristoteli,

Italis.

Iuris consultis.

De iure isto, nemini excepto Principe licet disponere.

Item Iura de quibus nemini, excepto Principe, disponere licet. Est autem tale, quo nihil excelsius, nihilve augustius in hac humana societate

cietate excogitari poteſt, ſecundum eam, quæ eſt omnium Princeps, quæ dicitur lex, ſive juſſum, immortalis Dei. Hujus enim Princeps veluti vicarius eſt atque beneficiarius. Vnde Horatius l. 1. Carm. od. 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

EtGuntherus lib. 6.

Nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit, excepto cœlorum rege, poteſtas.

Definitur jus dominationis.

Quare ſic definio; *eſſe ſupremum quoddam jus ſive privilegium, bono publico introductum, contra jus commune, ſive ordinarium; ſed tamen à lege divina non alienum; atque eſt jus velut legitima Tyrannidis.* Sive, ut Alciatus definit, eſt juris communis quædam relaxatio, ſive correctio. Quod privilegium dici poteſt: quod quamvis ibi de privatis intelligitur, tamen huc accommodari poteſt. Sicut enim aliàs privilegia, in jure civili ſunt correctio legis, circa unius atque alterius commodum: ita jura dominationis ſunt correctio legum circa ſalutem & commodum multorum; hoc eſt, & ipſius Principis, & civium. Addo boni publici cauſa, cujus tamen ſancta tamque antiqua ratio haberi debet; cui omnia jura adeóque ipſe Princeps cedere debet. Quemadmodum Otto Imperator mortem elegit potius, quam ut pateretur tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus ſterni rurſum & Reipublicę eripi, ut refert Tacitus, *Noluit nimirum*, ut ſcribit Suetonius, *tanto rerum hominumque periculo ſibi dominationem aſſerere.* Quæ etiam cauſa traditur, propter quam Carolus Rex in pugna à Montifortio ſuperatus eſt; (quod id plerique teſte Froſſardo, credebant ex compacto

Explicatur definitio.

Et ſpeciatim cur in ea dictũ quod bono publico hoc jus introductum.

pacto

pacto factum,) quod alia ratione finis imponi bello non potuisset. Sed cur ego de mortalibus solis agam? Inspice sis, summi atque immortalis Dei actiones atque consilia, an non eadem sunt? Quid? an non filium suum unicum & innocentissimum neci dedit boni publici causa, id est, propter salutem humani generis; secundum illud Caiphæ Iohan. cap. 8. *Expedit hominem mori pro populo*. De quo tamen exemplo, aliisque id genus, quod μυστικώτερα sunt, & supra captum humanum, reverenter & sobriè sentiendum est.

Cujus ratione quomodo recedere liceat à privato jure ostenditur ex sacris.

Quemadmodum & de illo Moysis, *Dele me potius ex libro vitæ, & populo peccatum condona*. Quam vocem hac ætate nostra bellicosissimus atque incomparabilis Rex protulisse fertur; se pro salute populi vel ad infernos iturum. Magna vox, dii immortales! neque facile ex nostro ingenio metienda, neque imitanda facile. Rectè Nonius Pedo.

Magni herois dictum notatur.

Non eadem, vulgusq; decent, & culmina rerum.

CAPVT III.

Qua in re differant jura dominationis ab arcanis dominationis. Dujunctio honestatis & utilitatis. Inter jus dominationis, & jus Imperii quid intersit. Ius in manu positum, ἐν χειρὸς νόμῳ; manu gubernare; manu agere. manu obtendere, ἐγχειρίζειν τὰς ἐπαρχίας.

HÆc jura dominationis plerique adeò ad arcana Rerumpub. referunt, ut cum arcanis dominationis confundant. Qui, ut in primo rectè sentiunt, ita in altero aberrant. Sanè sunt hæc jura dominationis occulta consilia, atque privilegia salutis Principum

Iura dominationis differunt ab arcanis dominationis.

rerumque publicarum conservandæ; non sunt tamen ea quæ appellavimus dominationis arcana. *Primum* enim, jura Dominationis sunt, quæ de regni jure licent; quorum pleraque sunt contra jus commune, ac, nescio quam iniquitatis atque injustitiæ speciem præ se ferunt, ut sunt supplicio non damnatum afficere, aliorum regna invadere: cæterum in rem & salutem fiunt Principis, reique publicæ. Et disjunguntur hæc nonnunquam, invito etiam quovis in Republica viro bono, honestas scilicet & salus Reipublicæ. Vt in illo Taciti de Galba Imperatore: *accessit Galbæ vox, pro Rep. honesta, ipsi anceps; legi à se militem, non emi:* Nam in hac materia, non tam jus, quam utilitas publica respicitur. De quo Livius lib. 3. *Neque suum cuiq; ejus modum faciebat, sed virium spe; & manu obtinendum erat, quod intenderes.* Arcana vero dominationis, neque fiunt contra jus commune; & si maxime fiant, non tamen hujuscemodi speciem injustitiæ habent. *Deinde*, arcana dominationis propriè & pleraque sunt de facto aliorum; ut ne cui liceat prætorianos publicè alloqui, aut castellum aliquod munitum ingredi: Iura vero dominationis sunt de facto Principis. Hæc sunt quæ Principi licent & iis qui in Repub. principatum obtinent: illa vero, quæ aliis non licent. Vt exempli gratia, arcanum dominationis est, ne quis Senatorum aut illustrium virorum nimio favore apud milites crescat: jus Dominationis est eundem frangere, alasque incidere, ne quid turbet. Quin hæc ita distingui, & subtiliter discerni debeant, mihi dubium non est.

Quod ista pleraque sunt contra jus commune, non arcana.

Iura Dominationis sunt de facto Principis.

Arcana dominationis, de facto civium.

Sed enim, inquiunt alii: hæc jura dominationis

tionis comprehendi ſub jure, quod dicitur, Imperii. Haud id quidem abſurdè, cæterum ita comprehenduntur, ut jus dominationis, ex jure imperii natum ſit atque profectum. Diximus enim jus Imperii, ſive Majeſtatis, in duobus inprimis conſiſtere; & ut Princeps ſit legibus ſolutus, & ut aliis leges ponat. Ius itaque hoc dominationis eſt reſtrictio quædam earum legum quibus ſolutus eſt, earumque limitatio: non enim omnibus ſolutus eſt. Deinde, jus Imperii nihil iniqui habet, ſed cum ſumma æquitate conjunctum eſt. Deinde Iuris Imperii uſus propriè eſt in pacata & tranquilla Repub. at verò juris dominationis in violenta ac ſeditioſa, in qua jus in manu eſt poſitum, καὶ ἐν χειρὸς νόμῳ, ut loquuntur Græci. Vnde Pomponius *manu omnia gubernare*. Et Tacitus in vita Agricolæ *manu agere*, & Livius *manu obtendere*; Græci eleganter ἐγχειρίζειν τὰς ἐπαρχίας: quo tempore multa fiunt fierique oportet contra Ius commune, vel ipſo Ariſtotele teſte in Politicis. Vnde Livius libro 2. *Diſcordia inteſtina, & bellum externum facere, ut hoc magiſtratu opus eſſet*, ut nunc taceam, quòd jura Imperii ſint generalia, jura dominationis ſpecialia, & in hypotheſi pro forma Reipub. conſideranda: Quæ quidem omnia mihi ſic diſcernere libet, ne ſit veluti ἄτροος ὄχλος.

Iura dominationis an ſub jure imperii comprehendantur & quatenus.

Vnde oſtenditur utriuſq; diverſitas.

CAPUT IV.

Quare tantopere hæc jura dominationis vapulent; & an merito? Iniquitas bono publico rependitur; & ponuntur limites sive possessiones hujus Iuris, religio, & fides: item Quotuplicia sint hæc jura.

Iura dominationis an damnanda.

Defenduntur ex necessitate quod pleraq; Reipub. turbulenta.

Quare frustra sunt ac nimis superstitiosi, qui hæc jura tantopere detestantur atque damnant. Verè & rectè Nicephorus: *Ii, qui in una Dei cognitione omnes cogitationes ponunt, huic montes & speluncæ conveniunt; at qui cum virtute & pietate civilem etiam vivendi rationem edidicit, & notitiam sibi comparavit rerum variarum; ille vero populum ad optima ducere idoneus est.* Ac primum dum omnium ita comparatum est, ut rarissimè, imo nunquam, Politiam aliquam Platonicam reperias: quin potius pleræque sunt turbulentæ, vel saltem minus compositæ, in quibus omnia exactè & ad unguem agere extremæ dementiæ est. Cato vir prudens & gravis, ut fuit, ita dum nimium præfractè ærarium atque vectigalia defendit, inque omnibus fere publicanis adversaretur, in multis sociis, Equites à senatu alienavit, & discordem, imo bicipitem Rempublicam fecit. De quo conqueritur toties ipse Cicero. Sic Pompejus, autore Tacito *censor factus, dum nimis severe vulgi mores inquirit, & graviora remedia, quam delicta erant, inducit; ea quæ armis tuebatur, armis amisit:* Quin potius hujuscemodi morbi pro valetudine Reipublicæ curandi sunt. Quod Tacitus pulchre notat in Galba, qui dum nimium honestatis retinens esse studebat; seque

Rem-

Rempublicam multum afflixit: itaque addit *neque ad hanc formam cætera erant.*

Deinde species illa iniquitatis, quam insipidi illi olfaciunt, sed devorare atque concoquere nequeunt, revera iniquitas non est, & si sit, publico bono recompensatur. Quid? quod legum iniquitates & incommoda sola conse-ctantur, omisso jure & utilitate? Mihi vero sempiterna lex erit, cujus iniquitates utilitate leviores sunt. Atque est aureum illud ne dicam divinum effatum Cornelii Taciti. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Et illud Plutarchi, *à Iustitia in parvis rebus nonnunquam abeas, si salvam eam voles in magnis.* Et illud Nervæ. *Æque malum esse Principem, sub quo omnia liceat, quam sub quo nihil.* Et Catonis, *Nulla lex satis commoda est; id modo quæritur, si majori parti, & in summa prodest.*

Ex utilitate nempe quod iniquitas hujus juris bono publico compensatur.

Puta quod omnes leges bonæ sunt, quæ in summa prosunt.

Postremò minimè cantradicunt hæc jura legi divinæ, cæteroquin non essent jura, sed flagitia. Sicut enim jura belli, jura fisci, jura Reipub. legationis, suos certos habent terminos, è quibus si evagantur, non amplius jura sunt, sed summa injustitia: ut si fiscus omnia rapiat, si naturæ vis inferatur, si specie legationis & Reipublicæ insidiæ struantur, jus gentium ac divinum violetur: sic etiam Iura dominationis suos certos habent limites, è quibus si excurrunt, & in vitiorum confinia atque possessiones involant, non amplius jura sunt, sed scelera, seu, ut Tacitus appellat, *dominationis flagitia.* Quale prçter cætera, est illud Ammiani lib. 14. *Quicquid Cæsaris implacabilitati sedisset, id veluti fas jusque perpensum*

Quod non contradicant juri divino.

Sed certos suos habeant limites.

Qui notantur. *urgebatur*. Quid enim? Ius hoc sit? Imo est extrema quædam immanitas atque Tyrannis, ne quis me injustitiæ patrocinari putet. Quare duo sæpimenta, sive terminos huic juri statuo: Divinum numen, sive Religionem; & Fidem sive pudorem. Quæ si integra maneant, nihil prohibet, nonnunquam à communi jure recedere, pacis ac quietis causa.

Iuri dominationis nō in Principatu solum sed & rebus publicis locum esse. Cæterum non solum huic juri locus est in Principatu, verum etiam in aliis Rebuspub. Quarum cum tres potissimum sint species, totidem etiam Iura constituenda sunt: veluti sunt jura dominationis Regiæ, Iura dominationis Aristocraticę, & jura dominationis Popularis; quæ tamen in plerisque concurrunt.

CAPVT V.

Iura dominationis Regiæ, quæ & qualia sint. Aperitio, & jus Asylorum.

Iura dominationis regiæ notantur. PRimùm ergo, jura dominationis regiæ sunt, quæ Principi licent contra jus ordinarium; tum conservandæ augendæque Reipublicæ, tum ipsius securitatis causa.

Aperire asyla.

Ad ea tria hominum genera confugere olim solita. Quibus in recensendis primo loco sese mihi offert aperitio Asylorum, in quibus recipiebantur, ut refert Plutarchus, omnium ordinum homines; nec servus domino, nec creditoribus reddebantur noxii, nec magistratibus criminosi. Nam hæc tria hominum genera ad Asyla confugiebant. Quod etiam notat Tacitus 3. Annal. *Complebantur templa pessimis servitiorum, eorum subsidio obarati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur*. In quo valde vapulat Romulus. Ideò Satyricus appellat infame Asylum;

lum; & Augustinus facinorosorum domus, alii durius. Qui quantum nimia pietate (nolo enim dicere superstitione) excellere cupiunt; tanto ego illis Reipubl. communisque salutis amantior videri volo, & quantum illi de civili jure atque æquitate dimicant; tantum mihi de salute populorum atque incolumitate libet decertare. Etenim Romulus, & laudabiliter, & pro dominatione sua fecisse dicendus est. Non enim modò Romanam Rempublicam civibus locupletavit; verum etiam alias civitates quæ erga ipsum hostili erant animo, ejuscemodi ferocibus hominibus deoneravit, sibique devinxit; quæ non exigua jacti tanti fundamenti pars fuit. Quid? quod ipse Moyses Asylum aperuit Num. 35. *De urbibus quas dabitis Levitis, erunt sex urbes refugii, quas dabitis, ut fugiat illic homicida.* & Deuter. 26. *Ne trade servum domino suo, qui ad te confugit.* Idque aliæ gentes secutæ sunt. Vt de Theseo refert Plutarchus. Et Senon ille apud Cæsarem de bell. Gall. *Vt primum defecerat Gallia, collectis undique perditis hominibus, servis ad libertatem vocatis, exulibus omnium civitatum receptis, latrociniis impedimenta & commeatus Romanorum intercepit.* Illa autem ratio videtur magni momenti esse, quod non tantum Rempubl. suam hisce gentibus roboravit; verum etiam inconditam multitudinem honestis legibus ad societatem civilem traxit atque composuit: adeóque, ut de Orpheo Poeta:

Romulus defenditur circa hoc arcanum.

Circa idem Moysis exemplum.

Aliarumque gentium.

Placitis hominum, fera corda mitigavit.
Doctaque vitam voce temperavit,
Iustitiam docuit, cœtu quoque congregavit uno,
Moresque agrestes expolivit Orpheus.

Quo tamen jure Alexander (cætero quin sui juris non negligens) non est usus. Nam, exstructa Alexandria, captivos, quos incolas novæ urbi dedit, liberavit; sed reddito pretio dominis, *Curtius libro septimo*.

CAPVT VI.

Statuæ Imperatorum, Aræ, Ædes sacræ, Ecclesia. Iura civitatis & ordinis dare victis hostibus. Asylorum abusus.

Idem jus circa statuas Imperatorum.

Qvin etiam circa statuas Imperatorum idem jus fuit; cum ut miseris perfugium essent, tum etiam ut eo venerabiliores sanctioresque viderentur Principes. Itaque in honorem Cæsaris edixere Duumviri, inquit Dion, Μηδένα εἰς τὸ ἡρῷον αὐτοῦ καταφυγόντα ἐπ' ἀδείᾳ, μήτε ἀνδρηλατεῖσθαι, μήτε συλᾶσθαι, ὅπερ οὐδενὶ, οὐδὲ τῶν θεῶν, πλὴν τῶν ἐπὶ τοῦ Ρομύλου γενομένων ἐδεδώκεισαν. *Ne quis qui in templum D. Iulii impunitatis causa confugisset, inde extrudi, vel abripi posset, quod nemini Deorum concessum, exceptis iis quæ ad Romuli Asylum pertinent.* Hæc Dion. Nec solum hoc jus statuarum fuit, verum etiam imaginum principalium: idque Philostrates scribit lib. 1. de vita Apoll. *Impietatis damnatum quendam fuisse, quod servum suum verberasset, qui drachmam argenteam Tiberii imagine signatam gestabat.*

Item imagines Principales & circa aras.

Sed & ad aras confugiebant. Plautus, *Ego interim hanc aram occupabo*. & Virgil. 2. Æneid. *Ingens ara fuit, &c.*

Hic Hecuba, & natæ ne quicquam altaria circum
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ & divum amplexæ simulacra tenebant.

Et

Et postea; *Hæc ara tuebitur omnes.*

Cæterum hæc miserorum perfugia, quæ hoc jure nituntur, in abusum trahi non oportet. Quocirca Tiberius nimiam licentiam & impunitatem circa Asyla abrogavit. Et laudabilis est constitutio in l. unic. C. de his qui ad stat. conf.* *Qui ad statuas, vel vitandi metus, vel creandæ invidiæ causa confugiunt; si certas habuerint causas, quibus confugere ad Imperatoria simulacra debuerint, jure ac LL. vindicentur: sin vero probati fuerint artibus suis invidiam creare voluisse, ultrix in eos sententia proferatur.* Et Callistratus *in l. 28. §. 7. D. de pœnis. Eum qui imaginem Cæsaris in invidiam alterius prætulisset, in vincula publica coerceri, D. Pius rescripsit.* Idem circa Ecclesiam jus est. *l. 2. C. de his qui ad Eccl. conf.* Nec tamen promiscuè ad alias domus referendum est. Ideóque Pompejus ille Columna Salernitano Principi summa familiaritate sibi conjuncto, tanquam reo læsæ majestatis comminatus est, nisi extemplò maleficum hominem ad carcerem statuisset, qui è manibus præfecti vigilum elapsus, tanquam ad Asylum in domum ejus perfugerat. Sed de Iure Asylorum & Ecclesię, quibus indulgendum sit & quomodo, vide alios. Non enim libet actum agere, & quę nimis vulgaria sunt, recoquere.

Abusus hujus juris.

Item circa ecclesiam.

Porro quo jure Asyla aperta sunt, eodem Reges Imperatoresque gentibus hostilibus jura civitatis & ordinis dederunt, contradicente quamvis Senatu. De Anco Livius *lib. 1. Ancus secutus morem Regum primorum, qui rem Romanam auxerant, hostibus in civitatem accipiendis multitudinem omnem Romanam traduxit.* Et Claudius Imp. in pulcherrima de

Iura ordinis hostibus dare quamvis contradicente Senatu.

hac ipsa re oratione apud Tac. 11. Annal. *Quid aliud exitio Lacedæmonis fuit atque Atheniensibus, quanquam armis pollebant, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit.* Et ibidem. *Iam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum & opes suas inferant potius, quam separati habeant.* Prorsus ad sapientiam sacram 14. Proverb. *Ex multitudine populi apparet magnitudo Regis, & ex inopia infirmitas Principis.* Reperio etiam occultiorem causam; ne Senatus ex solis Romanis constaret, sed interessent etiam, qui & natura magis obsequiosi essent, & Principi devincti. Id ait Tacitus 3. Annal. *Simul novi homines è municipiis & coloniis, atque etiam provinciis, in senatum crebro assumpti, domesticam parsimoniam intulerunt.*

CAPVT VII.

Raptus Sabinarum Virginum, vis necessitatis, Repulsa. Castrensis Iurisdictio fori expers. Reipublica αὐτάρκεια.

Raptus Sabinarũ virginum ex hoc iure defenditur.

RAptus etiam Sabinarum virginum ex hoc iure defenditur. Neque enim hic audio Theologorum, Philosophorumque voces; profanatum jus divinum; violatum jus gentium; ruptum jus hospitii. Age enim, quo ore, qua fiducia, petentibus Romanis matrimonia negarunt finitimi? nisi quod rati sunt hac ratione deletum iri gentem omnium nationum fortissimam atque bellicosissimam. Quare factum benè quod Romulus prævortit, artemque ut dicitur, delusit arte. At dices ex Iurisconsultorum aditis: judicio peti oportuit.

tuit. Ita enim ait Paulus Iurisconsultus *l.* 176. *D.de reg.jur.Non esse singulis concedendū,quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi.* Te verò ineptum! ne quid fortius dicam. Nimirum cum armato & feroci populo; imo cum publico hoste, judicio experiundum erat? Ac tamen Romani pacificè & missis legationibus petierunt: sed cum repulsa; qua, ut quidam Poëta Græcus ait, viro magno nihil acerbius accidit. Ideò Lycus ille apud Senecam in Hercule furente.

Non equidem reor
Fore ut recuset,ac meos spernat thoros,
Quod si impotenti pertinax animo abnuet,
Stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
Invidia fastum ac sermo popularis premet.

Quare ni maluisset populus Romanus Rempublicam juxta atque seipsum ire perditum, necessitate adductus, quod bono titulo nequivit, extra ordinem adeptus est. Ita enim Poëta: *raptas sine more Sabinas:* Idque ait, *Seneca de clementia lib. 9. Necessitas magnum imbecillitatis humanæ patrocinium, omnem legem frangit.* & Valerius lib.7.cap.6. *Abominandæ necessitatis amarissimæ leges & truculentissima Imperia, tum urbem nostram, tum etiam exteras gentes, multa non intellectu tantum, sed etiam auditu gravia perpeti coëgerunt.* Et quidem necessitatis exempla sunt in ipso jure civili,ut in *l.2. Cod.de patr. qui fil.suos distr.l.7. D. de admin. & per. tut.* & in aliis: Et hæc omnia Romulus summus Nomothetes publicæ utilitatis causa usurpavit: ne civibus destitueretur Respublica. Ea est enim necessitatis vis,

Necessitatis lex hic dominata.

Vis necessitatis.

ea

ea dignitas, ut sæpe rei non licitę jus & ęquum tribuat. Quamvis quomodo hoc illicitum fuit, contra fraudulentos homines, & capitales inimicos, sui conservandi causa nonnihil exorbitare, &, ut dicitur, manu agere: cumprimis Romanos, qui erant homines militares. *Credunt plerique*, inquit Tacitus in vita Agric. *Militaribus ingeniis subtilitatem deesse; quia castrensis jurisdictio secura & obtusior, & plura manu agens, calliditatem fori non exerceat.* Et ne quidem ipsæ raptæ admodum ægre tulerunt cum fortissimis viris conjungi: *Accedebant*, inquit venuste Livius, *blanditiæ virorum, factum purgantium cupiditate atque amore; quæ maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.* Vnde mos mansit apud Romanos rapiendi virginem ex gremio matris, cum ad virum ducitur. Cæterum cessante necessitate, nefas erit: & regulariter raptus virginum capitis supplicio puniuntur. *l. un. C. D. rap. virg. seu vid.*

Militaris jurisdictio minus subtilis.

Pœna raptus.

CAPVT VIII.

Fratris filiam in uxorem ducere. Imperator fons ac caput juris Civilis. Matrimonium cum fratris filia juri civili non repugnat. Princeps profanus.

Mortua Messalina Claudii Imperatoris uxore, consilium habitum est à tribus in aula Imperatoris potentissimis libertis, de secundis nuptiis Imperatori viduo conciliandis. Narcissus favebat Æliæ Patinæ. Pallas Iuliæ Agrippinæ; Germanici, id est, fratris Imperatoris filiæ. Callistus Lolliæ Paulinæ, Lollii consularis filiæ. *At Pallas*, inquit Histo-

Cavere ne per nuptias splendor Augusta domus in aliam familiam transferatur.

Historicus, *id maximè in Agrippina laudare, quod Germanici nepotem secum traheret, dignum prorsus imperatoria fortuna, stirpem nobilem & familiæ Claudiæ, quæ posteros conjungeret; ne fœmina experta fœcunditatis integram claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret.* Itaque ejus sententia prævaluit. Sed enim dices, quo jure? Imo verò optimo, hoc est, jure hoc regni, sive dominationis. *Primum* enim Agrippina erat ex domo Augusta; quæ si alii nuberet, periculum erat, ne is Imperio Claudii insidias strueret, fretus hoc conjugio cum nepte Imperatoris. *Est enim fœmina*, ut ait Plinius in Epistolis, *interdum pestis generis humani.* Quo etiam nomine Ruffus Crispinus in exilium pulsus est, invisus Neroni, quod Poppæam quondam matrimonio tenuerat. *Tacitus 5. Ann.* Et Asinius suspectus fuit Tiberio, tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret. *Deinde*, quod nefas erat Augustæ domus splendorem in aliam familiam transferri. Id enim dedignationem aliquam & contemptum Cæsaribus inlaturum erat. Quod testatur Tacitus 5. Annal. Romanam Rempubl. in luctu fuisse, *quod Iulia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupserat in domum Rubellii Blandi, cujus avum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant.* Adde, quod erat expertæ fœcunditatis, sive, ut cum Varrone loquar, nondum erat exparta. Cæterum expediebat tum Reipubl. tum ipsi Principi, hæredes nasci. De quo vide quæ dixi supra.

Inde Claudii Imp. matrimonium cum fratris filia.

Principum dignitas posita est in splendidis nuptiis.

Ac ne mihi quis opponat jus divinum. Vtut enim

Nuptiæ cum fratris filia licitæ.

enim hoc sit, Romani tamen respectu suæ sectæ, ut Galenus alicubi tradit, adeoque pro religione sua, tum in his, tum in aliis excusationem mererentur. Iuri enim Civili non repugnat, ut rectè ex Vlpiani fragmentis tradit Cujac. *lib.* 13. *obser.* multo minus juri gentium. At enim, inquit prudens scriptor, *nova nobis in fratrum filias conjugia, sed aliis gentibus solennia.* Et si maxime sit contra jus civile, Claudius juri huic, cujus ipse velut fons erat, ac caput, opposuit bonum publicum; id quod late patebat, adeoque tunc temporis totum ferme complectebatur terrarum orbem. Quin etiam alias in ipso jure civili, propter excellentiam personæ à regula generali receditur *l.2. C. de senten. ex per. recit.* sicut & plura illustribus personis conceduntur quam inferioribus *l.17. C. de dignit.* Vt taceam nunc dispensationes Pontificum super hac re, ut videre est in lib. Taxarum Pœnitent. Apost. At enimvero quod de Ptolomæo Alexand. Heraclio, nonnulli afferunt, frustra sunt. Quippe qui libidinis saltem explendæ hujusce modi matrimonia affectarunt, non tranquillitatis publicæ conservandæ. Quare posteriores Principes constituta pœna, hasce nuptias prohibuerunt, adeóque hodie regulatiter nullam ex tertio gradu uxorem ducere licet, *l.17. C. de nupt. & l. ult. C. de incest. nupt.* Neque enim illud probo, quod peculiari SCto in exemplum raptum est. Nàm, ut ait ICtus in *l.14. C. de LL. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.* Tametsi ideò factum est, ut puto, ne Princeps videretur incestum committere; adeoque populus sperneret Imperium profani Principis. Quod Seneca expro-

Nec civili nec gentium juri repugnāt.

Cur eas posteriores principes prohibuerint.

exprobravit Neroni, ut refert Tacitus 14. Annal. *Pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos profani Principis Imperium.* Et vel hanc ob causam, ne hæredes, ejus & Imperii, ex nefariis nuptiis dicerentur nati. Id quod Princeps ille VValdensis dicebat, filium illegitimum non oportere occupare regnum; fieri hoc pessimo exemplo, & præjudicio cæterorum Regum ac Principum, ut est apud Frossardum. Et Pompejus ille Columna Iulium Mediceum Pontificem fieri noluit, indignum ratus eum Christiano orbi & sacrosanctis ceremoniis patrum judicio præfici, qui parum certa, neque propalam legitima Iuliani patris uxore natus esse diceretur. Iovius in vita Pompei Columnæ.

Princeps ne profanus sit.

Filius illegitimus non debet occupare regnũ.

C A P U T IX.

Ne fœmina ex augusta domo pro arbitrio nubat. Matrimoniorum cura in Principibus. Via per matrimonia ad Imperium.

Matrimoniorum magnorum Principum maxima cura est, atque esse debet, quod exinde & bella oriuntur, & rursum desinunt, quemadmodum Frossardus venustè dixit, *magnorum ducum bella comicos habere exitus.* Quæ causa est, quare cum aliàs matrimonia libera esse debeant, id mutet in fœminis Augustis. Etenim Agrippina vidua Germanici fœmina potentiæ avidissima; (quæ cum liberius quiddam questa esset, Tiberius manu apprehensa græcoque versu, *εἰ μὴ*, inquit, *κρατεῖς, τεκνίον ὑβρίζεσθαι δοκεῖς*; ita enim Canterus conjicit fuisse verba illius, quod Suetonius refert,

Principibus matrimoniorum debet magna esse cura.

Ne matrimonia fœminis Augustis sint libera.

refert, *Si non dominaris filiola, injuriam te accepisse existimas?*) hæc igitur Agrippina maritum petebat, sed Tiberio negante, *non ignaro*, ut ait Tacitus, *quantum ex Republicâ peteretur*. Est hoc jus dominationis & juri communi contrarium, adeò ut ex DD. Sententia, lex, sive statutum, prohibens matrimonium contra jus naturale, non valeat. Verum enimvero Cæsar metuebat, ne is cui fœmina, & à favore vulgi, & à familia potens nuberet, res novas adversus se moliretur, sibique imperium extorqueret, accedente uxorio animo dominandi avidissimo. Hinc Seneca in Octav.

Quod multū valeant matrimonia ad occupanda imperia.

Mactata soceri concidit thalamis gener
Victima, tuis ne fieret hymenæis potens.

Et Africanus. *Uxorem quære firmamentum familiæ*. *Est enim*, ut eleganter ait Tacitus in Agricolâ *matrimonium ad majora nitenti decus ac robur*.

Quam ob causam David Rex sanctissimus atque sapientissimus, decem concubinas à filio suo constupratas, vinctas detinuisse mihi videtur, *Sam. 2. c. 20.* Quippe quod erant concubinæ regiæ, quas non satis tutum erat dimitti, aut cuipiam elocari. Quamvis non ignoro, quid hac de re sentiat doctissimus Theologus. Qua identidem arte Octavia filia Claudii Imperatoris Neroni desponsata est; quod ait Historicus, *majora patefacturum erat*; hoc est, aditum illi ad Imperium facturum. Et Livius lib. 1. de Servio: *Idem*, inquit, *affinitatibus, perque nuptias filiæ, multos sibi cognatos amicosque conciliat*. Et Perdiccas, ut viribus autoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatræ sororis Alexandri Magni, & alte-

& alterius Alexandri quondam uxoris intendit. Iustinus lib. 13. & lib. 1. de Dario, *Principio*, inquit, *regni, Cyri Regis filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reversum videretur.* Eodem consilio Lycus ille apud Senecam in Hercule furente ambit nuptias Megaræ:

Exempla imperii causa matrimonia affectātium.

Alieno in loco
Haud stabile regnum est; una sed nostras potest
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisque Megara: ducet è genere inclyto
Novitas colorem nostra.

Quam etiam causam esse certus sum, propter quam Sejano petenti matrimonium Liviæ obscurè negavit Tiberius apud Tacitum 4. Annal. *Falleris*, inquit, *Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam, quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat.*

Sejano eandem ob causam negatum Liviæ matrimoniū.

CAPVT X.

Prævenire iis qui nocere possunt. Bella populi Romani. Diversitas rerum privatarum & publicarum.

Illa verò omnium maximam iniquitatem præ se ferre videntur, quæ passim ad invidiam Romanorum, cum voce, tum scriptis circumferuntur, de studio ipsorum juvandi socios. Propterea quod hac specie pedem lento gressu promoverint, aliarumque gentium agros atque possessiones invaserint, sine ullo jure atque titulo. Neque enim M. Tullius potest,

Studiosè juvare socios.

teſt, quin publicè fateatur, *populum Romanum juvandis ſociis totum terrarum orbem occupaſſe.* Et Rex ille apud Saluſtium. *Namque Romanis*, inquit, *cum nationibus, populis, Regibus cunctis, una & vetus cauſa bellandi eſt, cupido proferendi Imperii*. At enimverò mihi in pleriſque, & pro magnitudine ſua, & pro jure dominationis ſuæ feciſſe videntur. *Primum* enim, merito cavebant, ne quis, hoſtili præſertim animo erga ſe, cum periculo magnitudinis Romanæ nimium creſceret. Id quod ipſi Macedones prætendebant, *id agendum ne vis ac poteſtas ad unum populum deveniret.* Eſt enim, ut Lyricus Poëta canit, *ipſa utilitas juſti prope mater & æqui*; in magnis præſertim & præruptis negotiis. *Alterum* eſt, ne populus ſemel ſedatus, & in amicitiam populi Romani receptus, iterum arma caperet: id quod cum periculo Romanorum conjunctum erat. Cum enim Latini ab Senatu Romano peterent, ut aut mitterent ſibi ſubſidium, aut ſeipſos tuendorum finium cauſa arma capere ſinerent, *Romanis tutius viſum eſt, defendi inermes Latinos, quam pati retractare arma*, *Livius lib. 2.* *Addo* quod ad dignitatem rei Romanæ pertinebat, ne ſocii injuriis afficerentur. Cæſar de bello Gallico, *Æduos fratres conſanguineoſque populi Rom. in ditione atque ſervitute Germanorum teneri, in tanto imperio populi Romani turpiſſimum ſibi ac Reipublicæ arbitrabatur.* Sic Guntherus lib. 4.

Eo facto Romanũ credidiſſe imperium. *Facti ejuſdem rationes.* *Prima.* *Vtilitas juſti prope & æqui mater.* *Altera.* *Tertia.*

> *Hoc ſiquidem bellum quod juris amore coactum*
> *Milite ſuſpicitur, meritum, non culpa vocatur.*

Et

Et Maro laudi id ducit,

Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem,

Vincere & Oceani finibus ulterius.

Ecquis enim adeò nullius animi est, adeóque suæ salutis prodigus, ut expectare velit, donec alter à multis victoriis potens & efferatus, bellum transferat, & ferrum in ipsius viscera stringat; Vt enim hoc in privatis negotiis, & religioni & patientiæ alicujus dem; quod do libenter: in publicis certè negotiis, quæ ad regna & populos pertinent, nequaquam tibi concedo. Quemadmodum recte Crotognitates ille apud Cæsarem, *Atque ego*, inquit, *hanc sententiam probarem, tantum apud me dignitas potest; si ullam præterquam vitæ nostræ rationem fieri viderem: sed in consilio capiendo omnem Galliam respiciamus oportet, quam ad nostrum consilium excitavimus.* Quo verius Dion Halicarnassæus. *Ratio imperiorum est ne nocere possit.* Et Antonius ille: *Non concedendum, ut Hispani, sub nomine pacis, moliri res novas possint.* Et legati Campanorum ad senatum Romanum: *Pugnavimus*, ajunt, *verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajectum illud incendium esse, Livius lib. 7.* Neque absurdè apud Curtium lib. 6. Alexander recte intellectus. *Sicut*, inquit, *in corporibus ægris nihil quod nociturum est, Medici relinquunt, sic nos quicquid obstat Imperio, recidamus.* Qua de causa Florentini Pontificem Xistum tantopere rogabant, ne pateretur Venetos Ferrariam occupare: Sic denique illos totam Italiam tandem occupaturos, novos homines,

Prævenire iis qui nocere possunt.

Ratio quippe imperiorū ne nocere possit.

mines, qui è paludibus in proximum continentem pedes extulerint. *Iovius*. Romani certe istac erga socios pietate toti terrarum orbi pacem conciliarunt. Quod pulchrè Cicero in Epistola prudentissima ad Q. Fratrem: *Simul & illud Asia cogitet, nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem absfuturam, si hoc imperio non teneretur*. Et de Tyro Curtius lib. 4. *Eam civitatem multis casibus defunctam, & post excidium renatam, longa pace cuncta refovente, sub tutela Romana mansuetudinis acquievisse*.

Romani socios servādo orbi pacem conciliarunt.

CAPUT XI.

Οςρακισμὸς. Falsa legatio. Exilium Tiberii, Ottonis, Hadriani Pontif. Ludovvici XI. Miris modis frangere nimis potentes; æmulos adjungere, pecunia exuere.

Evacuare Rempubl. iis quorum virtus nimis conspicua.

SAnguinis emissione & purgatione, ajunt Medici, plurimum etiam boni sanguinis ejici & abradi. Expedit tamen, nisi voles vitæ periculum facere. Eadem est ratio in Republica in qua nonnunquam reperiuntur, quorum virtus ita in conspicuo est, ut facile studia vulgi ad se trahant vel inviti; quibus Rempubl. evacuari oportet. Fulserat Romæ cometa, qui ex vulgi opinione mutationem Regis portendebat: & omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur. Quibus permotus Nero, literas ad Plautum componit, *consuleret sibi & turbis, seque pravè diffamantibus subtraheret, esse illi per Asiam avitos agros, in quibus & tuta & inturbida juventa frueretur*. Atque ita Plautus illud cum conjuge Antistia, & paucis familiarium concessit. Humaniter mea sententia

ſententia & rectè Nero, monſtrum alioquin non homo. Nam & ipſi Plauto pepercit, & tranquillitati Reipublicę conſuluit. Hæc enim eſt natura regni ut ait Seneca: *Cedat quicquid excelſum eſt.* Et alibi haud abſurdè, quanquam in perſona Tyranni:

Servare cives Principi, & patriæ graves,
Claro tumentes genere, quæ dementia eſt?

Non enim moveor illorum ſermonibus, qui exclamant, iniquum id eſſe, contra leges eſſe, hac ratione virtutum viam occludi. At enimvero tranquillitatis Reipublicæ intereſt, cui, quicunque volet vir bonus eſſe, æquo animo atque vultu pro tempore cedat; ſibi vero imputet, quod nimis virtutes ſuas exerit, quas nonnunquam diſſimulare, atque occultare, boni ac prudentis viri eſt. De Piſone Vellejus, eum in magnis negotiis otioſo ſimilem fuiſſe. Et de Galba Suetonius. *Paulatim in deſidiā ſegnitiemque converſum eſſe, ne quid materiæ præberet Neroni.* Ac multi ſponte ſe ſubduxerunt. De Tiberio Suetonius *eum ultro ſeceſſiſſe, & devitaſſe æmulationis cum Cajo Lucioque ſuſpicionem.* Et Velleius Paterculus lib.2. *Marcus*, inquit, *Agrippa ſub ſpecie miniſteriorum Principalium profectus in Aſiam, ob tacitas cum Marcello offenſiones, præſenti ſe ſubduxit tempori.* Quod ut ut iniquum ſit, utilitate tamen publica rependitur: Adeóq; Reſpublicas antiquas & hodiernas intuenti apparebit, non poſſe aliter, quin nonnunquam à juſtitia recedatur. Idque innuit Philoſophus 5. Polit.cap. II. *κοινὴ φυλακὴ πάσης μοναρχίας τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν*, Et cap.3. *Satius eſſe providere, ne aliquis in Republica tantopere creſcat: ubi verò Reſpubl. in eum ſtatum pervenit, medicina*

utendum est. Sic acer Historicus noster: *Imputare perfidiam,* inquit,, *non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum à Galba descivissent, quamvis interfuit Vitellium vinci.* Planè ex mente divini vatis, & Salvatoris nostri, *expedit fieri scandala, sed væ illis qui faciunt.* Illud verò omnium humanissimè, quod specie honoris, vel legationis, vel studiorum, vel amicitiæ, vel aliorum ministeriorum principalium emissi sunt, qui nolentes volentes præsentem dominationem plebi invisam faciebant. Hinc illud vulgatum de Ottone, qui per causam legationis in Lusitaniam sepositus est:

Specie honoris, legationis vel studiorũ &c. quibus præsens dominatio invisa emittendi.

Cur Otho mentito, sit, quæritis, exul honore,
Uxoris mœchus ceperat esse suæ.

Ac tamen nescio quo plerumque fato reduces Imperium sortiuntur. Tiberius certè è medio quam longissime se amovit, ut vitato assiduitatis studio, autoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret, si quando indiguisset sui Respubl. Tranquill. in Tiberio. De quo tritum illud est,

Regnabit sanguine multo
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Sic Hadrianus ille, moliente Carolo Ceurio, honoris specie ablegatus est, & haud multo post Pontifex creatus. Et notum est exilium Ludovici XI. Galliarum Regis, apud Philippum Ducem Burgundiæ, item Mediçæi, Allobrogum Principis, aliorumque.

Sunt & aliæ rationes quæ nituntur hoc jure, quasve usurpant Principes in frangendis iis, qui vel à nimia potentia, vel ab affectato imperio suspecti sunt. Veluti Tiberius Ger-

Rationes aliæ frangendi nimis potentes & suspectos.

Germanico Pisonem adjunxit, qui eum coerceret: & mira arte Ferdinandus Rex Hispaniæ emunxit Consalvum Magnum. Sic Romani Capuanis omnia jura ademerunt, *ne Senatus, ne plebis consilium, ne magistratus essent, sed sine consilio publico, sine imperio, & ut multitudo, nullius rei inter se socia, inhabilis esset, &c.* Et Fridericus I. rebelles pecunia exuit: De quo pulchri versus sunt Guntheri lib. 11.

Nec melius stultæ furor atq; superbia plebis
Puniri poterat, quam tanti ut causa furoris
Eriperentur opes, ut quos opulentia rerum
Fecerat elatos, in se revocaret egestas.

CAPUT XII.

An Sejanus, Cæcina, Parmenio, aliique justè interfecti sint? In quo casu ordo judiciarius non observetur: & an quis possit non accusatus damnari.

Opprimere manu militari suspectos affectati imperii.

NOn una exempla in Historiis sunt eorum, qui manu & imperio militari, in ipsa herba, quod dicitur, oppressi sunt è quibus quædam tantum excerpam, eaque quæ in regno licuerunt, (nam de jure dominationis Aristocraticæ & popularis postea) ex quibus de reliquis judicium esto. De Sejano, qui Germanici uxore & liberis, nefariis modis oppressis, non solum suspectus, sed etiam reus fuit affectati Imperii testantur Suetonius & Tacitus eum sine ullo ordinario processu ad supplicium raptum, *& dolo magis,* (verba sunt Suetonii) *quam principali autoritate.* Sic Titus Imperator Cæcinam consularem vocatum ad coenam, ac vix dum triclinium ingressum confodi jussit, Suetonius in Tito: *Sane urgente discrimine, cum etiam chirographum ejus*

In causa Majestatis, & in præruptis seditionibus, non semper opus est forensi processu.

præparatæ apud milites coniurationis deprehendisset. Eodem jure usus est Alexander adversus Parmenionem, de cujus tamen crimine adhuc dubius sum, & nuper Henricus III. Rex Galliarum adversus Guisium: & jure optimo; cumprimis in turbulenta ac seditiosa Repub. Quo tempore non solum necessitas, verum æquitas postulat, ut manu potius & Imperio militari Respubl. componatur, quam jure & processu ordinario, *l. 3. D. Ne vis fiat ei qui in poss. miss. est: & l. 16. D. De appellat.* Id ait Alexander apud Curtium lib. 8. *ubi reverentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus: præsertim adversus seditiosos ac perduelles: καὶ οὐδὲ γὰρ δικάζεσθαι τοὺς τοιούτους, πρὸ προσῆκεν; ἀλλ' ἐν πολεμίου μοίρᾳ κολάζεσθαι: hi in ius non sunt vocandi, sed tanquam hostes puniendi*. In crimine enim manifesto ac notorio, secundum interpretes, ordinem observare nihil est necesse, in quo velox debet esse supplicium, *l. 2. C. Quando lic. unic. sine iud. se vind.* Quin etiam præruptæ seditiones, factionesque cruentæ, moram non recipiunt *l. 6. §. 9. D. De in. rupt. irrito*, &c. Ac convenit hic illud recte acceptum, *οἱ τεθνηκότες οὐ δάκνουσι*. Et ut ait *l. 1. C. Quan. lic. un. sine ind.* &c. *Melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare*. Est enim *hæc conditio Principum*, ut argutè, sed verè Adrianus dixit, *quibus de affectato regno, nisi occisis non creditur:* adcóque remedium statim quærendum est, non post vulneratam causam, *l. fin. C. in quibus caus. rest. in int.* Et generaliter, in omnibus causis pro facto accipitur id, in quo quis alium perhorrescit, quo minus fiat.

Porro publica animadversio studia vulgi & seditio-

seditiones facile concitat. Tacit 2. Annal. *Nec Tiberius pœnam eius palam ausus, in secreta palatii parte interfici iussit, corpusque clam auferri.* Et de eo cavit Imperator in *l.*12. *C. de pœnis, Vanas voces populi audiendas non esse.* Quin etiam de carcere periculosum esse, vel ex eo liquet, quod Carolus V. Imperator fortissimus atque sapientissimus aliquando Romam conscripsit, utrumque sibi periculosum videri, & Pontificem in carcere esse, & dimitti, cavendum namque esse ne ex captivo liber & hostis factus, partium consiliis permultum noceret.

In publica animadversione prudentia opus & cur. Et in detentione in carcere.

Postremò parum interest, sit accusatus nec ne; cum etiam tutor suspectus repelli possit sine accusatione, in favorem pupilli si prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis, *l.*3. *D. de susp. tut. & curat.* Neque enim hic locum habere puto illud Marci apud Volcat. *Non possumus reum facere, quem nullus accusat.* Est enim hoc privilegium quoddam, quod derogat Iuri communi, quodve meritò indulgetur Principi, tanquam personæ publicæ, tum ipsius Principis, tum etiam Reipublicæ causa.

Etiam non accusatus damnari potest.

CAPVT XIII.

Exasperatio criminum, & acris animadversio. Quomodo crudelitati locus sit in Republ. Punire coniurationis conscios: punire voluntatem conjurandi.

Eodem jure nonnunquam atrocia supplicia ob rem leviculam decernuntur, exempli statuendi causa, Quod appellat Tacitus, *levicu-lam decernere supplicia exempli statuendi causa.*

Atrocia ob rem leviculàm de-

tus, *multa crudeliter agere, quo cæteris quies sit*. Et eleganter Guntherus lib. 1.

Plus sæpe nocet patientia Regis,
Quam rigor, ille nocet paucis, hæc incitat omnes,
Dum se ferre suos sperant impune reatus.

Neque hoc solum locum habet in bello, (in quo solenne est, teste Polybio, *crudelitatem exercere terroris causa*) sed etiam in Republ. Quo nomine acutus scriptor ab Hetruria Florentinos ridet, quod, cum Aretinos rebellantes in suam potestatem redegissent, nimis leniter cum illis egerint. *Quasi verò*, inquit, *urbs tota sine dedecore Florentinorum destrui non potuisset, &c.* Quare Cæsar exemplo supplicii deterrendos reliquos ratus, omnibus qui arma tulerant, manus præcidit, vitamque concessit, quo testatior esset pœna improborum. Neque enim bello finis facilè imponitur, nisi hæc interdum frangendæ pertinaciæ usurpentur.

Nec belli modò sed & pacis tempore & cur.

Sed hæc inquam ad jus belli pertinent. Atqui etiam tempore pacis, & quo inprimis seditiones gliscunt, hujus severitatis usus est. Ideo Mimus ille: *Bonis nocet, quicunque parcit improbis.* Qua de causa Pompejus Columna jussit manum detruncari honestissimo Equiti Neapolitano, cum ex jurgio gladium in atriis domus in altercantis caput sine vulnere strinxisset, atque pœnam deprecantibus amicorum præcipuis, ni ita faceret, vel ut alita auctaque audacia, quæ Neapolitanorum animis insita videretur; non defuturum respondit, qui cubiculo suo ferrum inferre, & ad cædem enudare dubitaret. Nimirum rectè Symmachus in quadam Epistola. *Tantum legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt.*

Quare

Quare idem Columna, cum ab Hispano, per præconem ignominioso tubæ cantu duellum detrectasse proclamaretur, è vestigio hominem trucidari jussit; & cum apud Iulium Pontific. hac de re conquereretur Hispaniæ Regis legatus, Pontifex nihil aliud respondit, quam rectissimè factum, quod servi à pedibus, ut tantam injuriam vindicarent, Hispanicam insolentiam Romana superbia contudissent. *Hæc Iovius.*

Conscios conjurationis in principem punire.

Eâdem severitate conscii etiam conjurationis in Principem puniuntur *l. 5. C. ad l. Iul. Majest.* ut eo citius insidiæ detegantur. De quo varia vide apud Curtium lib. 6. Sed & quæ animum alicujus percutiant. Adeò periculosum est in hujuscemodi tempora, & veluti noctes incidere, quod dicebat Philotas: *Si, & cum indicamus, invisi, & cum tacemus, suspecti sumus, quid facere nos oportet?* Et quamvis regulariter ratione solius consensus nemo ad pœnam obligatur *l. 18. D. D. pœnis:* sed secuto demum actu *l. 225. D. De verbor. signific.* Aliud tamen obtinet in crimine in Principem in quo voluntas punitur *d. l. 5. C. ad l. Iul. Majest.* Sed intellige talem voluntatem, ut recte docet Cujacius *ad d. l. D. De verb. signifi.* cum qua conjunctum est initium facti, id est, factio, vel conjuratio. Sola enim & nuda voluntas puniri nequit. Atque ita intelligo illud Guntheri lib. 8.

Qualis voluntas pro facto puniatur.

Quicquid in augustos ausus committere Reges
Vel meditatus erat,

Illud enim Poëtæ,

Et scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet; &c.

Iuris conditores, teste Cujacio minimè probant. Sicut & vix illud Paterculi lib. 2. *Adeò illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum; factaque ad consilium dirigebant, & quid, non in quantum admissum foret, æstimabant.* Quorum nonnulla, quæ sævitiam aliquam præ se ferunt, salute publica compensantur, & meritò, ad terrendos nefarios perditorum hominum conatus, pro salute Principis constituta sunt.

CAPVT XIV.

Imperialis abolitio. Vindicta noxia. Ne in omnia delicta, & in singulos autores inquiratur. locus pœnitentiæ.

Nocentes absolvere. NOnnunquam etiam hoc jure nocentes absolvuntur. Nam, ut ait Claudianus:

Ignoscere pulchrum
Iam misero est, pœnaque genus vidisse precantem.

Et Tacitus in Agricola. *Omnia scire, non omnia persequi, parvis peccatis veniam, magnis severitatem accommodare, nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentum esse.* Quod & Germanicus censuit Annal. *Dandum adhuc spatium, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent.* Idque facit ad securitatem Principis, ne nimiis suppliciis exacerbentur subditi. Quæ ratio fuit imperialium abolitionum, quæ fiebant vel in auspicio regni, vel ob festum diem, ut ait Iurisconsultus in *l. 8. D. ad Senatusconsultum Turpilian.* Adeóque observatum est, ne quoties Princeps introiret urbem, supplicium de quoquam sumeretur, *Tranquillus in Augusto.*

Cavere tamen, ne nimiis suppliciis subditi exacerbentur.

Sed dices, hoc modo delicta impunita abire.

ire. Mihi verò Thraseæ illud semper probabitur: *Non quicquid nocens reus pati meretur, id egregio sub Principe statuendum est*. Et apud Senecam *Amph. Tacita sic abeant mala*:

Her. *Vt inultus ego sim?* Amph. *Sæpe vindicta obfuit*.

Adeò nonnunquam delicta nimis asperis remediis atque suppliciis magis magisque augentur. Quod potissimum locum habet in conjurationibus, idque Tacitus de Tiberio: *Quanquam multi è domo Principis equitesque ac Senatores, sustentasse opibus, juvisse consiliis dicerentur, haud quæsitum*. Sic Theodosius militari scientia futura conjiciens, de conjuratis quæstiones agitari prohibuit, ne, formidine sparsa per multos, reviviscerent provinciarum turbines incompositi. Et Trajanus rescripsit autore Plinio libro 10. Epist. *Christianos conquirendos non esse, sed si deferantur & arguantur, puniendos*. Cæterum qui iterum delinquit, &c, quod dicitur, ad nauseam redit, Principis generali abolitione non fruitur. *l.* 3. *C. de epis. aud.* Quin etiam Fridericus I. cum in inauguratione sua quidam ex ministris, qui propter ingens aliquod crimen gratia exciderat, ad pedes ejus se projecisset, ratus ob præsentis diei hilaritatem Imperatoris animum emollitum iri, tamen negavit, inquiens, non ex odio, sed amore justitiæ eum à se puniri.

Ne turbines incompositi reviviscant.

CAPUT XV.

De conjuratorum filiis & propinquis pœnas sumere, ne ad parentum exempla succrescant. In nomina damnatorum sævire. Extrema consilia. Obsides punire.

Conjuratorũ sobolem punire.

UT autem hæc omnia cum iniquitate aliqua conjuncta esse videntur, ita inprimis illud iniquissimum videtur, quod in conjuratorum sobolem nonnunquam æquè severè atque in autorem animadvertitur, etiam innocentissimam. Regulariter enim crimen vel pœna paterna nullam filio maculam infligere potest. Namque unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. *l. 26. D. de pœnis:* & peccata suos debent tenere autores. *l. 22. C. eodem.* Cæterum id fit, partim ut parentes amore liberorum à cæde Principum abstineant, partim quod paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla in filiis metuuntur, ut ajunt Impp. Arcadius & Honorius. Et Tertullianus,

> *Autores scelerum, facinus ne cresceret ultra,*
> *Extinxit, sobolemque patrum peccata sequentem.*

Et Cicero in Epist. 11. ad Brutum. *Itaque cum rogamus, ut misericordiam liberis ejus impertiamus, nihil affertur quo minus summa supplicia, si, (quod Iupiter omen avertat,) pater puerorum vicerit, subeunda nobis sint. Nec vero me fugit, quam sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui: sed hoc præclare legibus comparatum est, ut charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet. Itaque* Lepidus

Lepidus crudelis in liberos, non is qui Lepidum hostem judicat. Inprimis verò propter cupidinem vindictæ paternæ, qua æstuant liberi, hoc constitutum est. Non aliter atque Dido illa imprecatur:

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.

Sed ita est, sed iniquum est. Quis negat? Sed & hoc terrore tyrannicidæ citius à sanguine regio abstinent. Ac tamen vix etiam his suppliciis capiuntur parentes in tot conjurationum exemplis. Itaque Tacitus lib. 5. Annal. de liberis Sejani: *Placitum posthac, ut in reliquos Sejani liberos adverteretur*. Et Ammianus Marcellinus, *Intercepti imperiali motu interière omnes ad unum, eorumque soboles parva etiam tum, ne ad parentum exempla subcresceret, pari sorte deleta est*. Quod etiam in hostium filiis locum habebat. Tacitus. *Mutianus*, inquit, *Vitellii filium interfici jussit, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset*. Vnde Seneca in Hercule. *Gnatos paterni regni vindices*. Sic apud Venetos, mortuo Duce, ejus administratio examinatur, & in cognitionem trahitur, quæ si paulo iniquior & ferocior fuit, sævitur in mortuum ejusque propinquos.

Pressius de aequitate.

Porro non tantum in filios sæviebatur, verum etiam tota memoria damnabatur, de quo supra. Hinc Guntherus, *(tum*

Atque feros manes & nomina sæva nocen-
Damnat, & irati natos odere parentes.

Et Seneca in Octavia:

Sævit in nomen ferus
Matris Tyrannus, obrui meritum cupit,

Simulacra, titulos destruit mortis metu,
Totum per orbem.

Et Curtius: *Nihil*, inquit, *ex omnibus inconsultò ac temerè actis, Regem magis moverat, quam Parmenionis cum honore mentio illata.*

Alii Imperatores beneficiis sibi devinxerunt conjuratorum filios.

Quanquam multi Imperatores, tantum abest, ut conjuratorum filios supplicio affecerint, ut potius eos multis beneficiis sibi devinxerint. Alexander apud Curtium libro 8. *Olim istum morem occidendi cum sceleftis insontes propinquos parentesque solvi, & profiteor in eodem honore futuros omnes eos, in quo fuerunt*, idque dicebat Verus: *nemo successorem suum occidit.* Vnde Diocletianus Cassii liberos non tantum non occîdit, verum etiam honoribus affecit. In hujuscemodi enim rebus extrema consilia omnium optima sunt. Aut enim interficiendi sunt, aut præmiis multis emolliendi. Tertia via nulla est. Paulo aliter atque Amphytruo ad Herculem apud Senecam,

Sic statue, quicquid statuis, ut causam tuam
Famamque in arcto stare, & ancipiti scias:
Aut vivis, aut occidis.

Quo consilio Solymannus Turcarum Imperator illustrem illum piratam Ariadinum Barbarossam splendidissimis & pretiosissimis pręmiis ad se allicere studuit, oblato etiam ei Architalassi officio, ut quem bello vincere non posset, beneficiis expugnaret, ne amplius damnum rebus Ottomannicis inferre posset.

Obsides punire.

Eodem Iure obsides puniuntur, quamvis innocentes, id est, etiam fœminæ, quas à Romanis Germanisque, pro obsidibus traditas legimus.

CAPUT XVI.

Civibus res adimere causa Reipub. Hæc iura non tam ex plenitudine potestatis, quam ex communi utilitate metienda esse. Res populi hosti addicere, census agere, vectigalia indicere. Census, sive Losungen/ *anima Rerumpub.*

Utilitas publica, ait Imp. in *l. 3. C. de Primip. præferenda est privatorum contractibus*. Quod quamvis alia ibidem mente dicitur: tamen huc referri potest. Quoties enim Reipublicæ interest, privatas res in usum publicum destinari, toties cives ac subditos à iure suo discedere oportet, & nisi volent, à Principe cogi, hoc nimirum Iure dominationis. Iniquum id sane videtur, imo miserabile, sed in favorem Reipublicæ indultum; veluti Levinus Consul Rom. apud Livium ait lib. 26. *Respublica incolumis, & privatas res facile salvas præstat, publica perdendo, tua ne quicquam serves*. De tempore belli liquidum est. Iovius: *Galli*, inquit, *obsesso à Cæsare Mediolano, adhortante Gritto Veneto necessaria, sed miserabili ratione, suburbana ædificia incenderũt, ne his ad ponenda castra uteretur Cæsar, & propius & tutius tegentibus tectis muro succederet*: idque Vercingetorix ait apud Cæsarem lib. 7. de bello Gallico *salutis causa rei familiaris commoda negligenda esse*, adeoque suadet Gallis, ut æquo animo sua ipsi frumenta corrumpant, ædificiaque incendant, qua rei familiaris jactura, perpetuum imperium libertatemque se consequi videant.

Bona civibus auferre.

Sed an etiam extra bellum? Ita verò seriò, suadente id utilitate publica. Nec tamen vix aliter, quæ est benignior sententia, nisi refuso aliquo

Etiam extra bellum, & quatenus.

aliquo pretio *l. 2. C. pro quibus cav. ser. pram. lib. acc.* Quippe quod omnia Princeps possidet, *non tamen Dominio*, ut ait Seneca, *sed imperio*. Et Poëta Ligurinus lib. 3.

Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,
Iure quidem nostrum est populo concedimus usum.

Iura dominationis ex salute Reip. metienda sunt, non ex plenitudine potestatis.

Ac tamen id, quod ajunt nonnulli, licere Principi sine ulla causa alicui rem suam auferre; non tam ad jus dominationis refero, quam ad dominationis flagitium, ut Cornelius appellat. Quæ sententia non ex alio fonte promanavit, quam assentationis & emerendæ gratiæ, quo nihil turpius de justitiæ sacerdote dici potest. Nam hæc, & id genus alia, non tam ex plenitudine potestatis metienda sunt, quam ex salute atque utilitate publica. *Quasi vero*, inquit Sallustius, *injuriam facere, id demum esset imperio uti:* & laudabile est illud de Tito apud Suetonium *abstinuit alieno, ut si quis unquam.*

Civium bona hosti remittere pacis causa an liceat Principi.

Sed licet ne Principi jure dominationis, vel belli, icto fœdere, civium bona hinc & inde direpta remittere? Ita certe, inprimis si aliter pax fieri nequit: adeóque cives perpetuo ab omni actione excluduntur. Nam quod glossa ait, compositiones dominorum non officere juri subditorum, haud iis convenit, qui pro arbitrio suo, & ut Curtius ait, regio more imperant; sed quorum Imperium variis conditionibus restrictum est. Sed οὐδὲ πάρεργον. Nam sobriè hęc & circumspectè aget prudens Princeps, quod, ut docet Philosophus lib. 5. Politic. capite 6. *per ablationes rerum conjurationes instituuntur.*

Et hæc

Et hæc fere jura sunt dominationis regiæ, quibus alia id genus addas licet. Nam ratio illa agendi censûs, ex qua non tantum facultates civium innotescunt, & in tabulas censuales referuntur; verum etiam ex cujus modo tributum & vectigal penditur, adeoque respublica locupletatur, haud ulla, ut opinor, excusatione opus habet. Cum enim Imperium sine vectigalibus nullo modo retineri possit, æquo animo cives parte aliqua suorum fructuum, pacem sibi sempiternam, atque otium redimere debent, ut scribit Cicero ad Q. Fr. Atque est hujuscemodi censûs, nos Losungen appellamus, anima magnarum Rerumpublicarum. Vnde Livius non immeritò vocat *rem saluberrimam magno futuro Imperio*. Et Claudius vocat opus arduum, *Quod opus*, inquit, *quam arduum sit, nobis cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ sint facultates nostræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoscimus*.

Censûs agere.

Censûs anima Rerum-publ.

CAPVT XVII.

Iura dominationis Aristocraticæ. Ne quis ex Patriciis, Regis, vel Principis filiam ducat. Ejicere cives nimis potentes. Vt interfecto domino omnes servi puniantur. Decimatio militum.

EAdem fere sunt Iura dominationis Aristocraticæ, & à quovis huic accommodari possunt. Sunt tamen etiam peculiaria quædam. Nam sicut jura regia saluti regni & unius inserviunt; ita quoque jura Aristocratica ad salutem & dignitatem nobilium, eorumque qui imperant, comparata sunt; sicut & jura populi ad civium. Quale est illud: Ne

Iura dominationis Aristocraticæ ferè eadem.

quis

Quædã particularia. Principalium affinitatũ prohibitio.

quis ex optimatibus Principis alicujus, vel Regis filiam in uxorem ducat. Quod is fultus fretusque hac nuptiali dignitate, facile animum dominandi sumit. Id quod ex præcedentibus liquet; Quod tamen potius ad arcana dominationis, quam ad jura referendum est.

Magni enim periculi res est in libera Republ. Principem nasci, non secus atque, ut Seneca ait, *semper magno constitit nasci Deum.* Adeoque cavendum esse existimo in Aristocratica Republica ab iis, qui originem ducunt à Regibus. Quæ res Cæsarem ad invadendam Rempublicam exstimulavit, ut constat ex funebri oratione de Iulia amita: *Est in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges.*

In Rep. principẽ nasci periculosum.

Ejectio è Republica eorum qui nimiis dignitatibus crescũt.

Tales autem, & qui hujuscemodi, & id genus aliis dignitatibus nimium crescit, ex Republica libera ejici potest, & quidem hoc jure dominationis. Qua ratione Scipio Africanus lubens, & meritò civitate cessit. Nam, ut testatur Livius, *periculosum erat, in Republica præsertim libera, unum hominem esse caput, & culmen Imperii: sub umbra Scipionis urbem terrarum orbis dominam latere, nutus ejus pro decretis patrum esse, &c.* Quo facit Atheniensium & Ephesiorum Ostracismus: *Nemo de nobis unus excellat, sed si quis exstiterit, alio loco & apud alios sit.* Quo nomine Romani omnes Tarquinios è civitate Romana expulerunt, *ne quam*, ut ait Varro apud Nonium, *seditionis per gentilitatem speciem haberent*, veluti fortiter & præclarè Brutus ad Tarquinium Cos. *Hunc tu*, inquit, *tua voluntate remove metum. Meminimus, fatemur, ejecisti reges, absolve*

Inde Ostracismus Atheniensium & Ephesiorum.

solve beneficium, aufer hinc regium nomen. Et apud eundem Livium lib. quadragesimo primo, C.Sempronius. *Nec Senatui tanti se civem, aut quenquam alium debere esse, ut in parendo uni malum publicum fiat.* Illud est quod Catulus de Pompejo dixit; esse quidem præclarum virum, sed nimirum jam liberæ Reipublicæ, neque omnia in uno reponenda, *Vellejus libro secundo.* Idem testatur Iovius lib 1. Histor. de Venetorum Republ. *Neminem*, inquit, *temere ex optimatibus, qui vel insigni virtute, vel spiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus crescere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur.* Sed hæc palam sunt, & à multis exemplis obvia. *Venetorum.*

Ille vero mos animadvertendi in singulos servos ob unius domini necem, maximam crudelitatem referre videtur; verum spectabat, tum ad salutem clarissimorum hominum, tum etiam ad contundendam ferociam mancipiorum. De Marcelli cæde Servius Sulpicius. *Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi; inveni duos libertos, & pauculos servos: reliquos ajebant profugisse metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset.* Quam severitatem confirmavit Augustus, & Nero, viro consulari, & præfecto urbi à servo occiso. Qua de re ita Cassius in Tacito 14. Annalium. *At quidem insontes peribunt. Nam & fuso exercitu, cum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui sortiuntur.* De qua decimatione Livius libro 2. *Centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit: cætera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti.* Vtrumque hoc cum iniquitate conjunctum est, sed, ut idem ait

Animadversio in singulos familiares ob unius domini necem.

Decimatio militum.

ait Cassius, *contra singulos utilitate publica rependitur.* Neque enim pudet me hanc sententiam toties repetere, cujus rei rationem reddit M. Tullius in Cluentiana, *Statuerunt,* inquit, *ita majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Nam qui miles locum non tenuit; qui hostium impetum vimq; pertimuit; potest idem postea & civis esse melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis & supplicii metus est à majoribus constitutus; ne autem nimium multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est.* Hæc Cicero.

CAPUT XVIII.

Proscriptorum liberos à jure ordinis prohibere; & perfunctoriè ostenditur differentia inter hæc jura Aristocratica & jura regia.

Proscriptorum liberos ab honoribus excludere.

SYlla, ejectis & proscriptis quamplurimis Senatoribus, & equitibus Romanis, lege lata proscriptorum liberos à jure petendorum honorum prohibuit, simulque *ut Senatorum filii,* (verba sunt Velleji) *& onera ordinis sustinerent, & jura perderent.* Quæritur an recte? Sane Vellejus indignissimum esse censuit. Mihi vero & jure dominationis, & ad salutem atque tranquillitatem præsentis Reipub. fecisse videtur. Quemadmodum Cicero ait 1. Philip. *Non quod probem; sed quod rationem habendam esse censeo maxime otii & pacis.* Et Quintilianus lib. 11. cap. 1. *Mollienda est,* inquit, *in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit. Quid*

Quid enim crudelius, quam honestis parentibus ac majoribus natos à Republ. summoveri? Itaque durum id esse, summus ille tractandorum animorum artifex fatetur: sed ita legibus Syllæ cohærere statum civitatis, ut his solutis, stare ipsa non possit. Itaque est, ut aliquid eorum quoque causa videretur facere, contra quos diceret. Hæc Quintilianus egregiè. Ideò enim jura ordinis perdiderunt, ne copiam haberent amore vindictæ Rempubl. perturbandi. Eadem ratio fuit in Bruti filiis, quos occupata libertate necesse fuit è medio tolli. *De quo vide Machiavellum.*

Probatur hoc dominationi Aristocraticæ convenire.

Propriè autem hoc convenire dominationi Aristocraticæ ex eo liquet, quod, imperio postea in unum devoluto, honoribus restituti sunt. Ita enim Suetonius de Cæsare: *Admisit ad honores & proscriptorum liberos.* Vnde Cicero appellat *legem temporis, non hominis.* Eodem modo Alexander, cum reversus ex India Epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatum exules, prçter cçdis damnatos restituebantur, magni motus exorti sunt, quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem Principum fuerant, verentibus iisdem Principibus, ne revocati potentiores in Republ. fierent, *Iustin. lib.* 13. Non enim omnia hæc jura omnibus Rebuspublicis promiscuè, omnibusque temporibus conveniunt, sed suo modo singulis accommodanda sunt.

Iura hæc suo tantum modo Rebuspublicis accommodanda.

C A-

CAPUT XIX.

Lupanaria admittere. Fœneratoribus atq; usurariis locum dare. Tyranno interfecto de crimine demum cognoscere. Supplicium S. Melii.

Lupanariorũ admissio. PORRO hoc quoque jure lupanaria colorari posse existimo, quæ passim propter hominum libidinem in vastis Rebuspublicis conceduntur, ut nimirum avertantur stupra honestissimarum fœminarum; & quod aliàs (ut festivè ICtus ait *l.* 27. *D. De hered. pet.*) *etiam in honestorum virorum prædiis lupanaria exerceantur*. Quo etiam alludit Catullus; *Ille domum nobis atque dedit dominam*. Quare Nerone delapso in amorem libertæ Actæ, & abhorrente ab uxore Octavia, nobili fœmina & probitatis spectatæ, ne quidé severiores amici Principis aversabantur. *Metuebatur enim*, inquit Tacitus, *ne in stupra fœminarum illustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur*. Cæterum erat hoc bono fisci atque ærarii. Nam sub Severo Imperatore hujuscemodi prostibula, sicut & ipsi Lenones solvebant vectigal à questu meretricio, idque in ærarium referebatur, ad refectionem publicorum ædificiorum, ut amphitheatri, circi, aliorumque.

Alia exempla similiũ indultorum in politia Mosis puta ratione. Cui simile est illud Deuteron. 23. *Extraneo tuo fœnerabis, at fratri tuo non*. Idque Iudæis indultum fuit propter duritiem eorum. Et illud Christi ad Pharisæos apud Matthæum cap. 19. *Moyses, pro duritia cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras; cæterùm à Principio non fuit ita*. Ejusdem farinæ est Lex Valeria, quæ permittebat Tyrannum interficere, & postea causam dijudicare; idq; propter peri-

periculum moræ, ficut & latronem & feditiofum ftatim licebat interficere, & poftea ad Principem fcribere, *l. 6. D. De injuft. rup. irr. teftam.* Cæterum, ut dixi, pleraque jura dominationis Regiæ huc referri poffunt. Eadem enim fuit ratio in Spurio Melio; quæ in Sejano & Cæcina. Spurius Melius ille quod in libera Republica regnum affectaverat, & à Dictatore ad caufam dicendam vocatus minime paruerat; quin potius quiritando multitudinem concitaverat, à magiftro equitum in publico obtruncatus eft. Sed rurfum inquies; iniquè verò, non auditus, non damnatus. At enimverò publico judicio cum illo agi non potuit, nifi cum feditionis periculo: & fortaffe partium favore è reatu fuiffet elapfus. Ne repetam illud, quod hæc iniquitatis fpecies utilitate publica tegitur & recompenfatur. Vt enim in omnibus actionibus politicis, ita cumprimis in hac materia locum habet illud elegantiffimi Poëtæ.

Medio de fonte Leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipfis floribus angat:

Quibus multa alia addi poffunt, multa etiam exemplis illuftrari: Mihi, ut ait Plinius in Epiftolis *harum rerum difficilior fuit electio, quam inventio.*

Tyranni interficiendi ex lege Valeria.

Spurii Melii exemplum.

Iniquitas magnorum exemplorum quare compenfetur.

CAPVT XX.

Iura dominationis Democraticæ. Parricidium Timoleontis; cujufuis parricidii deteftatio.

PLeraq; ex his omnibus competunt etiam populari Reipublicæ, in qua multa cum fingulorum falutis caufa, tum etiam præfentis

Iura dominationis Democraticæ

etiam convenire Reipublicæ.

sentis Reipubl. conservandæ gratia fiunt, ac paulo quidem iniquius. Quibus tamen iterandis supersedeo, quod ex prioribus sumere, & huic formæ accommodare cuivis in proclivi est. Non tamen possum mihi imperare, quin huc referam parricidium illud Timoleontis. Hic fratrem suum Timophoontem, qui tyrannidem moliebatur, multisque adeo viris magnis in Republica extrema quæque minitabatur, nequicquam monitum ut absisteret, confestim confodi jussit, & quidem intra parietes. Cujus rei cum Timoleontem pœniteret, & idcirco se à publicis negotiis subduceret, Teleclides eum vehementer increpans: *Si*, inquit, *decertaveris præclarè, tyrannum te occidisse arbitrabimur, sin minus, fratrem*. Sane haud id fecit odio fratris incitatus, sed incredibili amore patriæ impulsus, neque tam privata autoritate, quam publica: erat enim ex Principibus Senatus. Ac quidem legibus Romanis tantum abest, ut in eos, qui vel parentes vel filios hostes patriæ interfecerant, animadversum sit, ut potius præmiis fuerint adfecti, ut est in *l. 25. D. De relig. & sumpt. fun.*

Fratricidium Timoleontis eo refertur.

Quare mihi Timoleon non magis parricida erit; quam Manlius ille, qui filios perduelles interfici jussit, vel Servilius Hala, qui Melium affectati regni accusatum obtruncavit. Et quidem dolorem, quem ex morte fratris conceperat Timoleon, vehementer perstringit Plutarchus: *Usque adeò*, inquit, *judicia hominum vacillant, & quibusvis laudibus, vel probris in transversum rapiuntur: sicut edones illi ingenti esurie capti inglutiunt cibos, sed satiati nauseant, ita nos rebus perpetratis animum abjicimus*. Hæc ille in Timoleontem. Ac nescio, an non

Factum Manlii filios perduelles occidentis.

an non aliquo pacto excusari possit Nero de cæde matris. Consideranti enim mihi historiam totam, occurrunt multa scelera & affectati regni indicia: veluti, quod præter alia, tribunos & centuriones comiter excepit; quod nomina & virtutes nobilium in honore habuit; quod ducem quæsivit & partes aliaque id genus dominationis arcana invasit. Imò ipse Burrhus & Seneca, teste Cornelio Tacito eo descensum credebant, ut nisi prçveniretur, Neroni pereundum foret. Id quod carpit Octavia illa apud Senecam: *Matricidium Neronis an excusari posit.*

Extinguat & me, ne manu nostra cadat:

Cæterum est tamen res atrox, & ab affectione atque naturali pietate alienissima. Neque aliquis facile in necem suorum juraverit, nisi qui omnibus affectibus bellum indixerit. Rectè Iustinus lib.16. *In parricidio, nulla satis justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest.*

CAPVT XXI.

Quomodo hæc jura inserviant Religioni. Hæc jura dominationis cedunt divino juri: Prætextus religionis. Αὐτονομία. varietas religionum.

HÆc dominandi jura, tantum abest ut religionem depravent, vel pietati adversentur, ut potius ei inserviant. Id enim efficiunt, ut religio in Republica sarta tecta sit, & ritè colatur. Neque hercule juris nomine dignum est, quod divinæ legi, quod religioni contrarium sit. Sunt equidem hæc jura instar clypei, & veluti propugnaculum summæ potentiæ, ad securitatem præstandam civitatis Principi, veluti personæ publicæ, quive re- *Iura hæc dominandi an adversentur Religioni.*

rum

rum caput est, & cui fas est omnia Reipublicæ membra cedere fascesque summittere.

Imo verò cedūt juri divino.

Veruntamen habet hæc majestas terminos suos; ut sunt religio, pudor, fides. Hæ enim veluti victrices Deæ frænum injiciunt potentiæ humanæ, cohibentque, ne ulterius progrediatur, quam lex divina patitur. Hinc Poëta: *Diis te minorem quod geris, imperas.* Quare in Romana Republica cum de Campanorum petitione Senatus consultus esset, etsi magnæ parti urbs maxima opulentissimaque Italiæ, uberrimus ager, marisque propinquus ad varietates annonæ, horreum populi Romani videbatur; tamen tanta utilitate fides antiquior fuit, ut præclarè refert *Livius lib.7.* Et fortiter Achæorum ille Prætor, *Veremur,* inquit, *vos, Romani, & si ita vultis etiam timemus, sed plus veremur & timemus Deos immortales. Liv. l.39.*

Majestatis & potentia humana terminus religio.

In qua sine caussa probabili nihil mutandum.

Quare in eos etiam meritò hoc jure animadvertitur, qui absque ullâ probabili causâ, vel ambitione quadam incitati, vel studio novarum rerum inducti, in religione temerè aliquid mutant, novas, neq; dum tot quantumvis consiliis habitis, decisas quæstiones obtrudunt, animas curiosorum hominum cruciant, cœlum terramque miscent. Quæ insolentia compesci debet in iis, qui, ut cum Tacito meo loquar, *religionis specie in ambitionem delabuntur.* De quo cavit *l. 2. D. De extraord. crimin.* Est equidem Religio, pura cæteroquin atque incorrupta, veluti puella, verum tot fucis, totque cerussarum generibus inficitur atque obfuscatur, ut quicquid agitur, hæc sola obtentui sumatur. Vnde Lucretius.

Obtētui tamen non sumenda.

Quod sæpius olim
Relligio peperit scelerosa atq; impia facta,

Et

Et Tacitus 1. Annal. *Pietatem erga parentem & tempora Reipubl. sumpta.* Qua specie etiam Simon ille utitur apud Poëtam 2. Æneidos.

Hanc pro Palladio, moniti, pro numine laso
Effigiem statuere, nefas qua triste piaret.

Profectò libido dominandi unicum ferè hoc pallium sumit; cum tamen Religio populo invito obtrudi nequeat, nedum cogi, ut quod non credit credat tamen. Verè enim Tertullian. *Hoc ad irreligiositatis elogium concurrit, adimere libertatem Religionis, & interdicere optionem divinitatis; ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere, quem nolim.* Et Curtius, quantumvis profanus scriptor, lib. 8. *tanquam perinde animis imperari possit, ac linguis.* Quod enim ajunt, ex hac religionum differentia oriri seditiones; quin ergo puniunt eos, qui Rempubl. turbant, iis verò parcunt, qui Reipubl. pacem diu noctuque moliuntur, Deumq; immortalem de salute publica precibus suis fatigant. Non enim Religio, hæc, vel illa, seditionis causa est; sed de pravatissimorum hominum vecors, atque corruptus animus. Ideò Orosius: *Rerumpublicarum mala non nasci ex religione, sed fuisse semper in universo terrarum orbe.* Mihi hoc caput concludere libet pulcherrima atque vere Christiana sententia Scipionis Ammirati in Tacitum. *Et perche,* inquit, *la religione è cosa maggiore come habbiam detto, della ragione di stato, & fassi contiti suoi diversamente da quelli degli huomini, & non si da proportione dalle cose temporali all' eterne: conviene, in tali accidenti, te ricorrer primieramente alla religione, & veder, si ella ti si oppone; perche in tal' caso, bisogna accommodar la ragione di stato alla religione, & non la*

Religio invito populo obtrudi nequit.

Per se non est causa seditionum.

Nec Remp. mala è Religione nascuntur.

religione alla ragione di stato. Et quæ plura hac de re disserit prudens sane ac disertus scriptor.

CAPVT XXII.

Similia exempla, cum ex sacris, tum ex jure civili desumpta. Sacrilegium Friderici Barbarossæ. Modus non legitimus, non ordinarius. Quomodo Princeps confirmet ea, quæ non jure facta sunt.

Enarrantur alia cōtra æquitatē naturalem constituta.

SEd & multa alia, tam in sacris literis, quam jure civili, respectu tum publici boni, tum etiam aliarum circumstantiarum, contra æquitatem naturalem, atque jus ordinarium, sive commune constituta sunt, quorum nonnulla huc referre libet. Olim nefas erat pane propositionis vesci præter Sacerdotes & Levitas: sed cum David fame periclitaretur, non veritus est à Sacerdotibus petere, neque Sacerdotes abnuerunt. Quo argumento utitur Salvator noster adversus Pharisæos, cum quidam fame coacti die sabbati spicas vellerent, & fricata grana comederent. Quorum exemplo Fridericus Ænobarbus, cum premeretur inopia commeatus, loca sacra invasit: postea vero Episcopatus illos insigni & ampliore remuneravit beneficio, ut refert Frising. Qua de re Guntherus lib. 2.

Ratione boni publici ex sacris Davidis exemplum panes propositionis à Sacerdotibus petētis.

Mentis quippe bonæ proprium est, agnoscere culpam,
Culpa ulli nulla subest.

Ænobarbi loca sacra invadentis.

Secundum quę limitandam esse existimo *l. 9. D. Ad L. Iul. pecul.* Sic Iure Canonico adventante hoste, divinam domum, vel sacram turrim munire licet, & loco propugnaculi habere.

Ex jure Canonico.

In jure

In jure porro civili quot & qualia sunt? Nonne lex generaliter vetat, cogi invitum, ut rem suam vendat. *l.11.C.de contrahen.empt.* ac tamen difficili tempore ad Ædiles spectat, ut annonam urbi sufficiant, possessoresque, cæteris justo pretio copiam ejus facere jubeant. *l. 6. D. De extraordin. criminibus.* Lex enim quamvis amplissimis verbis concepta, interpretatione restringitur, ne publicæ utilitati desit. Quid? Nonne adversus leges rationemque naturalem receptum est, ut filius, tametsi non hæres, pro principali debito teneatur, atque uxor in pignore posteriorem causam habere censeatur. *l.4.C. De primipil.* Sic in *l. 31. D. Depositi.* Pugnant jus naturale, sive gentium, & jus civile. *Si*, inquit, Triphoninus, *naturale & gentium jus intuemur, ei qui dedit, restituenda sunt, si civile jus, & legum ordinem magis, in publicum deferenda sunt.* Sic lege constitutum est, ne quis sibi jus dicat. At tamen si judex copiam sui non faciat, propria autoritate illatam injuriam ulcisci nihil prohibet. Similiter tutor suspectus removetur, etiamsi non dubitet, finita tutela rei malæ gestæ rationem reddere. Eodem modo impuberes matrimonio conjungi prohibentur. Quod tamen admittitur, suadente pacis utilitate. Ejusdem notæ est *l.11.D.ad L.Iul.Majest.l.10. §.16.D. Quæ in fraud. cred.fact.sunt.* Qua ratione judex famosum latronem neci dat, tametsi ad ejus Iurisdictionem non pertineat. Cui simile exemplum est apud Tacit.1. Annal.Iussserat Menius Castrorũ præfectus duos seditiosos supplicio affici, contra jus militare. Nam, ut testatur Veget. lib. 2. ad præfectum castrorum solum pertinebat castrorũ positio, valli & fossæ

Ex jure civili.

Quo casu quis cogi possit rem suã vendere.

Cognosce plura exempla.

fossæ designatio, impedimentorum militarium cura: jùs verò plectendi militis, erat Prætoris, vel Legati, quem gladio succinxerat Princeps, hoc est, ductoris exercitus *l. 9. D. de custod. reor.* Itaque addit Historicus *Factum id esse: bono magis exemplo: quam concesso jure:* Et ut vulgariter loquimur, extra ordinem. Quod enim lex omisit, religio magistratus omittere non debet. *l. 13. D. De Testibus.* idque rectè voces modum extraordinarium, quemadmodum Suetonius in Augusto *non legitimum & ordinarium modum:* & Maro: *sine more*, quod Græcis est *παρανόμως*.

Ratio circumstantiarum hic habenda. Omitto nunc alias circumstantias, quas *appendices & momenta* appellat Agellius; ut sunt levium delictorum frequentia, contumacia, locus, tempus, & id genus alia, quorum respectu jus ipsum, non tantum à Philosophis, verùm etiam ab ipsis legum autoribus, sæpenumero vel restrictum vel ampliatum fuit: Idque D. Augustinus ait. *Imperatorem habere potestatem alias leges ferendi; non temerè quidem, sed ex justa causa, & Reipublicæ salute; atque adeò confirmandi etiam, quæ non jure facta sunt.* Vnde etiam in jure civili, contractus principales pro justis & legitimis habentur, etiamsi non legitime facti sint. Et hactenus de Iure Dominationis.

ARNOL-

ARNOLDI CLAPMARII
DE
ARCANIS RERUM-PUBLICARUM,
LIBER QVINTVS.

Qui est de Flagitiis dominationis.

CAPVT I.

Quid sint dominationis flagitia: quomodo appellentur. Consilia Machiavellistica. Vis dominationis. Ius concinnatis mendaciis adumbratum: callida & malitiosa juris interpretationes: sanguinaria Iustitia: voluntas cruenta, la cattiva ragione de stato, gefährliche Rechten. *Domus angusta,* Hauß Oesterreich. *secreta noctium.*

EA est natura summi ac vasti Imperii, ut nonnunquam permagni intersit, ab æquitate recedere, ut ex præcedenti libro constat. Verum tamen haud adeò longe deflectendum est, ut res ad Tyrannidem deveniat. Est enim Dominatio medium quiddam inter civile Imperium, & Tyrannidem. Quæ, si omisso altero, ad Tyrannidem vergit, non amplius est Dominatio, non Ius, non Imperium, sed summa injustitia atq; extrema tyrannis; & ut appellat Tacit. *Flagitium Dominationis* lib. 14. Annal. *Temporum Claudianorum obliqua insectatione, cuncta ejus* Dominationis Flagitia *in matrē transtulit.* Sicut & alibi, *militiæ flagitia:*

Dominatio media inter Imperium & tyrannidem.

Dominationis flagitia.

Italia *la cattiva ragione di stato*. Ac rectè quidem jura illa dominationis inter odiosa referas, à quibus, secundum interpretes, omnino recedere non oportet; sed quæ præfractè & ad literam accipiuntur: cæteroquin non essent limitatio, non exceptio, sed transgressio, sive, ut Aristoteles vitiosas Respublicas eleganter appellat, παρέκβασις quædam; sed fœdæ atque barbaræ rationes, atque scelera dominationis conservandæ atque augendæ, & ut uno verbo hodie loquimur, consilia Machiavellistica: quæ Principes, quantum potest, vitare debent. Vere ac supra sexum, Livia illa ad Augustum, *Oportet te*, inquit, *nihil facere per injuriam; sed nec omnino facere videri. Nam privatis quidem hominibus satis est nihil delinquere; Principibus ne quidem suspectis esse licet*. Et Theseus apud Senecam in Herc. fur.

Consilia Machiavellistica hodie dicta. Ea quomodo Princeps vitare debet.

Scelera taxantur modo majore nostra.

Ac tamen juris nomine teguntur. Hinc Tacitus; *Nam quæ alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus, severitatem pro sævitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia & contumelias vestras disciplinam appellat*.

Varia istorum flagitiorum appellationes.

Cæterum hujuscemodi flagitia Tacitus alibi appellat *vim Principis*, lib. 5. Annal. *Sed paratos ad ultionem vi principis impediri*. Alibi, *vim Dominationis*. Sicut & Paterculus lib. 2. *Marullus pene vim Dominationis expertus est*. Cicero 1. offic. *Callidas & malitiosas juris interpretationes*. Scriptor Dialogi de Orat. *sanguinariam sententiam*. Ammianus, *Ius concinnatis mendaciis adumbratum*; item, *Ius cruentum*; item, *voluntatem cruentam*. Quam opponit civili ac justo Imperio 15. lib. *Civili*, inquit, *justoque imperio ad voluntatem converso cruen-*

cruentam, Germani efferunt per gefährliche Rechten.

Variorũ dicta impertinentia.

Cujus farinæ eſt illud Cæſaris, *regni cauſa ſceleratum eſſe.* Et illud Euphemi apud Thucydidem Ἀνδρὶ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ, οὐδὲν ἄλογον, ὅτι ξυμφέρον. *Principi nihil eſt injuſtum, quod fructuoſum.* Et Eteoclis apud Euripid. *regni cauſa jus violandum eſſe.* Et Senecæ, *Vbi honeſta tantum dominanti licent, precario regnatur*; Et illud Taciti de Agrippina: *Nihil domi impudicum, niſi quod dominationi expediret.* Et Lepidi apud Saluſtium: *Nihil glorioſum, niſi tutum; & omnia retinendæ dominationis honeſta eſſe.* Et Luciani illud:

Sceptrorum vis tota perit, ſi pendere juſta
Incipit.

Iura dominationis differunt à flagitiis adeo ut iis fere oppoſita ſint.

Differunt ergo jura dominationis, à flagitiis dominationis; imò hiſce veluti oppoſita ſunt. *Primo*, quia in his tãtum utilitas privata ſpectatur: in illis & privata & publica. Hæc fiunt explendæ crudelitatis & libidinis gratia; illa tranquillitatis publicę conſervandę. *Denique*, in illis habetur ratio divini numinis, honeſtatis, fidei, pudoris; in hiſce hæc omnia læduntur ac pedibus conculcantur. Vtraque tamen ſunt occultæ & reconditæ rationes imperii firmandi, augendique. Quo minus mirum alicui videri debet, hæc à me referri ad arcana Rerumpublicarum. Addo, quod ipſe Tacitus lib. 1. Annal appellat *arcana domus*, vel ut noſtro ritu loquar, arcana Aulæ. Domus enim pro aula uſurpatur, ſicut & Dominatio pro Imperio, Tacitus *gravis domui Cæſarum noverca.* Quod etiam nos retinemus, Hauſz Oeſterreich; Hauſz Sachſen. Sic alibi libidines auguſtæ domus Tacitus vocat *ſecreta noctium.*

Oſtenditur in quo tamen conveniant.

Arcana domus dici.

CAPUT II.

Arcana domus quomodo differant à flagitiis dominationis. Dominationis Magistri. Plebis Magistri. Particeps secretorum, Arcanorum arbiter, Imperii æmulos è medio tollere: conjunctam domum, sive aulam cum Republica habere.

ARcana domus à Cornelio Tacito non aliter, nisi in malam partem accipiuntur. Non enim sunt jura illa aulæ, vel leges & jura Palatina, quorum à scriptoribus rei Germanicæ toties mentio fit; sed mera Dominationis flagitia. Differunt tamen identidem inter se; quod illa proprie sunt occulta, & quasi domestica sive privata consilia, hoc est, occultæ artes atque aulica scelera in domo Augusta dominationis conservandæ, & per quas illi quovis modo opprimuntur, qui præsenti dominationi obstare atque inhiare videntur; & committuntur fere in fratres, consanguineos, aliisque necessitudinibus conjunctos; de quo cape illud Taciti. 12. Annal. *Nibil domi impudicum, nisi dominatione expediret.* Flagitia autem dominationis sunt generaliora, & totam imperandi rationem respiciunt.

Quomodo differant inter se arcana domus & dominationis flagitia.

Exempli gratia, In domo Turcica videntur arcana domus esse perpetua illa parricidia: flagitia verò Dominationis Turcicæ foras exeunt, & sunt ipsa violenta ac nefaria dominandi ratio. Vnde Tacitus: qui hæc callebant, appellat *Dominationis Magistros*, vulgus hodie Machiavellistas: veluti in populari Republ. Livius Tribunos appellat *plebis magistros*: qui illa, *participes secretorum: Particeps*, inquit, *secretorum Salustius*; & Suetonius de Ottone, in

Exemplis illustratur in domo Turcica.

in eadem causa, *consiliorum secretorumque particeps*. Et de Hephæstione Curtius lib. 3. *Secretorum omnium arbiter*. Et de Philota libro 6. *Omnium arcanorum Regis arbiter*.

Ejus exemplum est illustre in lib. 1. Annalium apud Tacitum. Defuncto enim Augusto, postquam Tiberius imperium occupasset cum magna, sed simulata tergiversatione; primum dum omnium æmulum & socium Dominationis, ac veluti consortem Imperii, P. Agrippam, immisso Centurione interfici jussit. *Nuncianti enim Centurioni, ut mos militiæ, factum esse quod imperasset; neq; imperasse sese, & rationem facti reddendam apud Senatum respondit. Quod postquã Salustius Crispus particeps secretorum comperit, monuit Liviam, ne* Arcana Domus, *ne cõsilia amicorum, ministeria militum, vulgarentur; neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocãdo.* De eadem re Plinius: *Juxta hæc*, inquit, *Postumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationem: inde suspicio in Fabium,* Arcanorumque, *proditiones*. Primum, intererat, & ad securitatem Tiberii pertinebat, æmulum, & quasi obicem imperii propter ingenii ferociam removeri. Quod tolerari posset, si alio leniore usus fuisset remedio: quod ipse Augustus perfecerat, ut sancito Senatusconsulto in Insulam Planasiam relegaretur: verumtamen in nullius unquam suorum necem duravit. Vnde Tacitus in Tiberio appellat *primum facinus novi principatus*. Deinde ait, arcana domus non esse vulganda; ne nimirum discreta sit aula à Republica. De quo idem Tacitus. *Non data,* inquit, *Senatus copia intra cubiculum auditur.* At verò de Neronis initio; *Discretam,* inquit, 14. Annal.

In Tiberio.

Arcana domus non vulganda.

Domestici consiliis Rempublic. administrare, quid sit.

nal. *ab illo domum & Rempubl. fuisse*: Item, *non se negotiorum omnium judicem fore, ut clausis unam intra domum accusatoribus & reis, paucorum potentia grassaretur*. Hoc est, boni Principis, illud verò Tyranni. Quam enim diversa sunt à Tarquinii illius Superbi imperio, de quo Livius lib. 1. *L. Tarquinius Regum primus, traditum à Principibus morem, de omnibus Senatum consulendi, solvit; domesticis consiliis Rempub. administravit.* Et postea, *Cognitiones capitalium rerum, sine consiliis, per se solus exercebat:* Et Cicero: *in interiore ædium totius Reipublicæ nundinæ*. Eadem fuit fraus Neronis. De qua Suetonius *Conscriptas ab unoquoque sententias, tacitus à secreto legebat: quid ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronunciabat.*

CAPUT III.

Flagitia dominationis regiæ. Incestus, nuptiæ illegitimæ. Adulteria perpetrare regni causa. Divortia; Dispensationes Pontificum: regio more agere, sine legum metu. regia verba.

Flagitia dominationis totidem quod jura. Nempe regiæ, aristocraticæ, popularis.

SVpra triplicia feci Dominationis Iura: nunc totidem facio flagitia. Vt sunt flagitia Dominationis Regiæ, Dominationis Aristocraticæ, & Dominationis popularis. Est enim, inquit M. Tullius etiam in populo tyrannis.

Flagitia regia.

Sed primum videamus de flagitiis regiis. Qualia sunt eorum qui incestas nuptias contrahunt, vel divortia pro lubitu faciunt, cum dominationis augendæ, tum libidinis exercendæ causa. Illud puto fuisse, quod Absolon cum concubinis patris, hoc est, regiis concubuit; & quod Suetonius de Augusto refert. *Augustus*, inquit, *adulteria exercuit, non libidine,*

dine, sed ratione commissa, quo facilius consilia adversariorum, per cujusq; uxores exquireret. Et illud Taciti de eodem, *Abducta Neroni uxor, & consulti per ludibrium pontifices, an concepto, nec dum edito partu, ritè nuberet.* Et de Tiberio: *Sceleribus & libidinibus adeò indomitis exarserat, ut more regio, pubem ingenuam stupris pollueret.* Et postea: *Tunc primum ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum, & spintriarum, ex foeditate loci ac multiplici patientia: praepositique servi, qui quaererent, pertraherent, dona in promptos, minas adversus abnuentes, & si retinerent propinquus aut parens, vim raptus, suaque ipsi libita, velut in captos, exercebant.* Sic, quod Ptolomaeus sororem suam in matrimonium duxit, hoc flagitio fecit dominationis.

Incestae nuptiae & divortia dominationis augendae caussa & exercendae libidinis facta.

Quo pertinent omnes ferè dispensationes Paparum repugnantes Iuri Divino, & cumprimis Martini V. ut quis possit impune matrem aut consanguineam carnaliter cognoscere, sororem in matrimonio habere: ut Monacho liceat uxorem ad tempus habere, & prole suscepta, ut tum pater patratus, demissis auriculis, ad suum cucullum redeat. De quibus vide Hottomannum in Bruto fulmine. Idem flagitium committunt, qui pro libidine sua divortia faciunt. Quanto modestius Henricus III. Imperator postquam jurasset, se cum uxore sua nullas nocturnas aut maritales operas habuisse, ac frustra tamen diffidium peteret, respondit: *Si id fixum obstinatumque vobis est, imperabo egomet mihi, feramque hoc onus ut potero, quod deponere non valeo.* Aurea profecto sententia, & quanto melior illa? *Si libet, licet.* Caeterum Tacitus in dicto loco morem re-

Dispensationes Papae juri divino adversae, huc pertinent.

Flagitia ista Tacito, mores regii appellantur.

gium appellat, quod aliàs flagitium dominationis. Similiter Sallustius *de vita atque tergo, more regio consuluit*. Quo & alludit Iuvenalis.

Scripturus leges, & regia verba lanistæ.

Id Seneca paulo aliter in Hercule furente,

Regamque cuncta sine legum metu.

Quorum immania atque infinita sunt exempla, utique eorum, qui per adulteria ad regna grassati sunt. Quemadmodum Sejanus ille, Livia uxore Drusi cognita, Druso insidias vitæ struxit, sibique viam ad imperium fecit, Vt innumerabilia omittam, quæve odiosa sunt. Neque enim tot turpissimorum exemplorum commemoratione capitur liberalis Lector.

CAPVT IV.

Atheismus. In fidei negotiis velificari. Sacra diripere: & per satyram. An Romani pro tempore religionem interpretati sint? Superstitio præstat Atheismo.

Religionem torquere & susque deque habere regni caussa.

Apud Romanos, cæteroquin Ethnicos, magna fuit religionis reverentia; atque haud scio, an uspiam major. Valerius Maximus. *Omnia*, inquit, *post religionem ponenda semper duxerunt: etiam in quibus summæ majestatis decus conspici voluerunt. Quapropter non dubitarunt, sacris Imperia servire; ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinæ potestati bene & constanter fuissent famulata.* Quo magis falso insimulantur religionis neglectæ, & quod pro tempore religionem suam interpretati sunt. Hujus enim irreligiositatis eos arguit Machiauellus, eamque probare nititur. Atque & in hoc impius

pius est, & in illo falsus. Equidem nulla gens religionis tenacior fuit Romanâ. Quo nomine nunquam ad Senatum retulerunt de rebus humanis, nisi prius excussis sacris. Varro. *Prius de divinis, quam de humanis rebus ad Senatum referendum est*; Et Livius libro sexto: *Consules, nulla de re prius, quam de religionibus Senatum consuluêre*. Multo minus Papirius pro libidine sua augurium interpretatus est, sed prout nunciaverat pullarius. Qui enim auspicio adest, si quid falsi nunciat, in semetipsum religionem recipit. Itaque illud Livii, de Papirii filio, *ante doctrinam Deos spernentem nato*, non intellige respectu Imperatoris, qui interpretabatur tripudium, ut nunciatum erat; sed respectu pullarii: qui propterea inter prima constitutus, emisso temere pilo, ante signa cecidit, & suum ipsius scelus expiavit. Sic Gabinius, quod contra religionem & Senatusconsultum Ptolomæum in regnum cum exercitu Romano reduxisset, damnatus est, ut refert Dion lib. 39. In quam sententiam rectè disputat Ammiratus adversus Machiavellum, politicum magni acuminis, & judicii; sed minus sanæ, ac piæ mentis.

Romanorum gente nullam religionis tenaciorem fuisse docetur exemplu.

Quæ cum ita sint, pudor est nostræ gentis, religionem pro libidine uniuscujusq;, in hanc, vel illam sententiam torquere, adeóque susque deque habere regni causa. Isti enim magnorum Heroûm sermones; regnum aliquod uno errore dignum esse, & id genus alii, non facile in exemplum rapiendi sunt. Equidem in rebus civilibus licere promontorium flectere; atque ut Ulpianus ait, *alio atque alio modo agere*, non nego; imo laudi duco. An verò hoc liceat promiscuè, & unicuique, in causis religionis ac

Quorū exemplo docet hoc flagitium nostræ genti cavendum.

fidei nostrę, mihi, ut verum fatear, neque dum exploratum est: cum præsertim magnorum Principum ea sit conditio, ut exemplo suo alios trahant. Scio ego, & probo dictum illud magni & pii Theologi. *Ecclesiæ vulnera leniter tractanda esse, verumtamen ita leniter, ne nimis molli & perfunctoria cura, pus contrahant, atque inflammentur.*

Vt & ne juris belli prætextu vel regni, sacra hostium diripiantur.

Pudendum etiam illis est, qui promiscuè, jure, ut ajunt, vel regni vel belli, sacra hostium diripere audent, atque depopulari: & veluti Guntherus de Cardinalibus Pontificis refert lib. 6.

Divinas spoliare domos, sacra tollere vasa,
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurum,
Omnia, quæ possunt avide corradere sævis
Vnguibus & secum collecta referre, &c.

Atqui non hoc jus est, sed summa impietas. In qua, Romani, aliæque gentes nobis, Dii immortales! quanto humaniores. Livius lib. 1. *Templis tamen Deûm, ita enim edictum ab Rege fuerat, temperatum est.* Et alibi: *Edictum fuit, ut auro sacro abstineretur.* Sic Solymannus præstantissimus Turcarum Imperator, in omnibus expugnationibus, à sacris etiam hostilibus, & secundum suam religionem profanis, abstinuit.

Solymanni in ea re pietas laudatur.

Cujus rei duæ mihi occurrũt causæ. *Prima* est, ut sua sacra hostimerito veluti fruerẽtur, & eodem in urbium vastationibus jure. *Altera*, ut hac pietate, se & suis, & ipsi hosti venerabilem faceret: idque assecutus est prudens. Talis enim fuit, & cum quovis veterum comparandus Princeps. Quare Cæsar, ut sibi laudem, Pompeio verò invidiam conciliaret, Pompeium

Notatur & Cæsa-

peium coarguit, quod sacram pecuniam, omniaq; ornamenta ex fano in oppidum Gades intulerit, & divina, humanaque jura permiscuerit. Quamvis nec ipse Cæsar à sacris abstinuit, si Suetonio credendum est.

ris calli-darè-dargutio ad invidiam Pompeio conciliandam.

Sed, ajunt hodierni nostri illi Stratiotæ; nimis hoc superstitiosum videri. Quibus mihi respondere libet verbis magni illius I. Cæsaris Scaligeri, quive mihi instar veterum est. *Nulla humana opera melior ad cultum divinum augendum, quam superstitio. Quemadmodum ambitio vitium est ipsa, maximarum autem virtutum mater; ita superstitio. De qua paulatim cum aliquid auferas, quasi ursa catulum lambendo formas. Ac qui nudam illam ac simplicem religionem ab initio hauserunt, minimo quoque argumento labefactantur, levissimo attritu gracilescunt, atque tandem ἄθεοι fiunt. Ex his numerum novimus nos pene infinitum.* Hæc incomparabilis Scaliger.

Objectio hodiernorum stratiotarum.

C A P U T V.

Tarquiniana papaverum decussio. Scelestum consilium Alexandri Pontificis. Fratricidia Turcarum.

Immania sunt exempla conjurationum adversus Principes; & de re literaria meriti sunt, qui ea omnia collegerunt: quos valde vellem etiam in ipsorum Principum sceleribus, & veluti conjurationibus adversus viros egregios conscribendis, operam vel tralatitiam consumere; & fortasse centuplo majora & atrociora reperirent. Nota est Historia Lucii Tarquinii, quomodo is, ex præcepto patris, primores Civitatum Gabiorum confecerit, criminando alios apud populum, alios sua

Conjurationes Principum adversus viros egregios. Tarquiniorum Tyrannica Dominatio.

sua ipsos invidia opportunos interemerit, multos palàm, quosdam in quibus nimis speciosa criminatio erat futura, clam interfecerit, quosdam in exilium egerit, idque regni & securitatis causa. Eadem de patre ipsius Livius, Tarquinius primores patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit, conscius, malè quærendi regni, ab se ipso, adversus se exemplum capi. *Neque enim ad jus regni, quicquam præter vim habebat.* Qua quidem arte permulti ad imperium grassati, & occupatum tuiti sunt. Atque eandem insisterent viam hodie multi, nisi ipsorum crudelitati atque impietati obviam iret immortalis Deus.

Fraudulentæ hujus malitiæ nulla major seges quam in Pontificatu.

Cujus fraudulentæ malitiæ nuspiam major fuit seges atque φορμὴ, quam in Pontificatu. Id quod molitus dicitur Alexander Pontifex, in consilio, quod ab immanitate scelestum appellatum est; ut omnes Reguli, qui sub ejus imperio essent, ad unum interficerentur. Id quod magnam partem factum est, summa cum Pontificum infamia apud posteritatem. Idem, ad montem Vaticanum instructo convivio, Cardinales aliquot veneno tollere decreverat, ipse verò errore ministri, vel potius consilio justi & immortalis Dei, à lagenis falernum aconito dilutum ebibit, ac fœdè periit. Sic, ut ait Livius, *fraude visus agere, sua peremptus est mercede.*

Et in Turcico imperio.

Par est crudelitas Turcarum adversus fratres, affines, Bassàs, Visieros. Et cum hodiernus Imperator permultas mulieres usurarias habeat, nemini dubiū est, quin idem, de more gentis futurum sit. Sunt tamen qui existimant, unicum hoc fundamentum esse Imperii Turcici.

cici. Quorum ego sententiam non deprimo: illud tantum adjungo, quod divinæ majestati, quod pietati naturali, contrarium est, vix diu durare posse. Quin potius hujuscemodi moles nimia vitiorum atq; scelerum multitudine onerata, ventrem faciet, & ruinam minabitur: ut ut hoc verum sit; *regnum per vim acquisitum, bonis artibus gubernari non posse.*

CAPVT VI.

Privatas injurias vi magistratus ulcisci. Discrimen personæ publicæ & privatæ. Lex Valeria de Sylla. Lex regia de Imperio Vespasiani.

NVllius etiam animi eos esse oportet, ne quid dicam durius, qui quos privatim lædere nequeunt, eos vi magistratus atque imperii ulciscuntur: Quod ex parte tolerandum esset; nisi etiam id jure à se fieri arbitrarentur. Tu verò ne mihi Ius appelles, quod honestati, imperio, dignitatique tuæ repugnat; quodve contra officium est boni judicis, ut est in *l. 19. D. de offic. præf.* Quanto rectius Livius lib. 39. *Ne suas quidem simultates, pro magistratu exercere, boni exempli esse.* Et l. 42. *Injurias,* inquit, *Cos. Rom. etsi justa, minime tamen in magistratu exercenda.* Et sana est oratio Principis, aliàs callidissimi, in causa Pisonis: *Nam,* inquit, *si legatus officii terminos, obsequium erga Imperatorem exuit, ejusdemque morte & luctu meo lætatus est: odero seponamque à domo mea, & privatas inimicitias non vi Principis ulciscar*: ut rectè legit Merserus. Et Adrianus Imperator cum rogaretur, an de inimicis, quos habuerat nondum occupato imperio,

Privatas inimicitias ulcisci vi magistratus.

imperio, pœnas nollet sumere? respondit: *illi verò evaserunt.* Et Ludovicus XI. à suis monitus, ut puniret illos, quos sibi adversos esse intellexerat, cum adhuc esset Dux Aureliæ, regiè respondit, *non oportere Regem Franciæ ulcisci injurias Ducis Aureliani.* Hinc Poëta 10. Æneid. *Rex Iuppiter omnibus idem.* Disjuncta enim aula à Republica esse debet: sicut & alia est persona privata alia publica. Quo facit illud Caroli V. scriptum, cujus mihi videndi copia fuit. Wir Carll der fünffte / entbieten dir Carll Ertzhertzogen zu Oesterreich / ꝛc.

Disjuncta debet esse aula à Republica.

Quid igitur fuit aliud Lex illa Valeria, qua Syllæ, teste Plutarcho, omnium præteritorum data fuit impunitas, in futurum autem jus vitæ & necis, publicationis bonorum, coloniarum deducendarum, jus regna auferendi, & pro libitu condonandi? Quid inquam aliud sapit, quam flagitium Dominationis? Ideo meritò Cicero illam *omnium legum iniquissimam dissimilimamque legem appellat.* Quo laudabilior lex illa de Vespasiani Imperio; *Vti, quæcunque ex usu Reipubl. majestate divinarum humanarumque rerum esse censebit, ei agere, facere, jus potestasque sit.*

Lex Valeria de imperio Sylla dominationis flagitium.

Lex de imperio Vespasiani laudabilis.

Vnde liquet, ea quæ tum majestati Reipublicæ, tum divinis legibus adversantur, Principi nequaquam licere.

Quæ illicita sint Principi.

CA-

CAPVT VII.

Percussores & Sicarios immittere. Hostem extra castra & exercitum interficere: arma veneno inficere: in fœminas sævire. Ars Romana. Cædes Marcelli Cos. Roman: crimen Assassinatus.

EOrum etiam, qui eos, quibuscum de virtute certare nequeunt, per insidias interficiunt, insignis est impudentia & immanis crudelitas. Quod flagitium interpretes juris crimen assassinatus vocant. Pulchre Eurip.

οὐδεὶς ἀνὴρ ἔμψυχος ἀξιοῖ λάτρα,
κλεῖναι τὸν ἐχθρὸν.

Nemo generosæ mentis clanculum hostem occidit. Idque est quod exprobrat Alexander Dario; *Impia*, inquit, *bella suscipitis, & quum habeatis arma, licitamini hostium capita: sicut tu, proxime talentis mille, tanti exercitus Rex, percussorem in me emere voluisti*. Quod Valerius vocat, *victoriam non mereri, sed emere*. Qualis fuit Cæpio ille, qui Viriatum interficiendum curavit, veluti prædo ac latro, qualis Pontifex ille, Leo X. qui Cavellanum percussorem summisit, ut Feltrium, quem bello & aperto marte superare nequibat, interficeret. Vt enim taceam, quod hoc fit contra jus gentium, quod, ut ait Livius, *belli & armorum jura, non minus juste quam fortiter geri debent*: ea est ratio belli, ut nisi quis palam, & ex condicto depugnans, animos quoque hostium devicerit, nullam certam victoriam consequatur.

Nulla est victoria major, canit Poëta.
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes,

Quare

Sicarios subornare.

Cur hoc flagitium fit.

Nempe quod is demum consequitur victoriam qui hostem palam devincit

alio-rumque perfidia notatur. siani fratrem contra fidem datam circumvenit, atque per milites obtruncavit: adeoque frustra culpam in milites conjecit, cum ad eum misisset Sabinus, cum mandatis & quæsitu, quod pacta turbarentur, ut refert Tacitus 3. Hist. Id quod postea meritò Vitellio exprobratum est; *Sabini cade, & incendio Capitolii, dirempta esse belli commercia*. Sic Prosper Columna, cum esset demissus ex carcere, hac conditione, ut per syngrapham promitteret, sese sub signis regiis militaturum, si intra certum tempus ipsius opera Franciscus, præbito stipendio, uti vellet; Prosper, non pro dignitate sua, Cæsarianis se rursum adjunxit, *Iovius:* Quo nomine eum Lautrechtius haud immeritò perfidiæ insimulavit, Prospero necessitatem carceris nequicquam excusante. Sic Iulius II. Pontifex jactare ausus est, turpissimo hercule exemplo, se fœdera & societates cum Gallis Germanisque, quos ipse Barbaros appellavit, non aliter contrahere, nisi fallendi causa. Omnia perfide, neque ullo jure, nedum Dominationis. Quod haud scio an non identidem de Francisco dici queat, qui pactus, se vel pacis conditiones ratihabiturum, vel in captivitatem rediturum, neutrum fecit.

Prosperi Columnæ.

Iulii II. Pontificis.

Francisci Galliarum Regis.

Quanto rectius Belizarius ille apud Procopium: *Turpe est*, inquit, *Teutberte, cum aliis omnibus, quibus vel minima virtus est cordi, tum inprimis Principi viro mentiri ac fidem fallere; jusjurandum autem, & pacta etiam scripto sancita violare, ne abjectissimo quidem homini decorum esse arbitror*. Istæ enim pejuratiunculæ, ut ait Plautus, parasiticę sunt, minimè vero regiæ: Qualem fallaciam perstringit Poëta:

quo

quo contra jura fidemque
Iliacam, rupto turbasti fœdere gentem:

Illa etiam pactorum de religionis libertate dissolutio, quid aliud est quam flagitium dominationis: sicut & illa animorum lenta ac callida carnificina de qua Nazianzenus. *Illud vero*, inquit, *admodum pravum, ac malignum est, quod cum nec apertè nos allicere posset, nec tyrannicè cogere, præ pudore vellet, leoninæ pelli vulpinam, aut, si mavis, Minois larvam summæ injustitiæ prætexens, leniter vim afferebat.* Ornare libet hoc caput corona aliqua de Imp. Claudio, qui rogatus ut ignosceret Mithridati; dubitavit, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis rectius foret: nimirum hoc erat anceps ac durum; illud vero tutum, sed cum necessitate servandæ fidei conjunctum.

Flagitiũ dominationis dissolutio pactorum de religionis libertate.

Aut enim danda non est fides, aut data servanda: quod qui capere nolunt, iis ego tantum in memoriam revoco calamitates, quæ plerumque, imo semper, perjuros ac perfidos, veluti à tergo, sequuntur ac manent. De quibus omnibus vide plura apud Hottomannum, & alios.

Aut nõ dãda est fides, aut data servanda.

CAPUT IX.

Specie colloquii imponere. Iura hospitii violare. Mors Annibalis, Commii, & Pompeji Columnæ ἀπιςία.

NVllo etiam jure se tueri possunt Principes, qui specie amicitiæ atque colloquii hostes suos circumveniunt. Quemadmodum Antonius ille, contra jus gentium, Regem Armeniorum specie amicitiæ illectum interfici jussit, & Tiberius per dolum arcessitum Regem Cappadocum ad mortem impulit.

Specie amicitiæ & colloquii hostes circumvenire.

lit. Idem Vononem Regem Parthorum, qui pulsus à suis, quasi in fidem populi Romani cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, occidit; *Suetonius in Tiberio.* Qua fraude Biron ille, Athenodorum invitatum ad epulas, per Boxum in convivio obtruncari jussit. Et de Rege Thraciæ, cujus fidei Priamus filium suum commiserat cum ingenti copia auri, Poëta 3. Aneid.

Ille ut opes fracta Teucrum, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus;
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Prusiæ factum laudatur. Iura hospitii violare.

Quo laudabilius Prusias rogatus à Romanorum legatis ut Annibalem populo Romano dederet, recusavit, petiitque, *ne à se postularent, quod adversus jus hospitii esset, ipsi si possent, prahenderent.* Æmilius Probus in vita Annibalis. Id quod ne quidem in ipsis Romanis toleravit Livius scriptor gravissimus: *Quantum mutaverint*, inquit, *mores Romani, hic dies argumento erit*, & quæ sequuntur, &c. Quanquam Flaminius, teste Plutarcho, quæsivisse visus est, non tam ut in præsenti Annibalem de medio tolleret, quam ut publicus hostis, qui tot clades inflixerat Romanis, vivus Romam perduceretur; idque populo Rom. utile, sibi verò honorificum fore existimabat. De quo ego ἀπορῶ. Cæterum jura Colloquiorum sanctissimè, strictissiméque observarunt Romani. Quid enim per Deum superesset sublata colloquiorum securitate, omnique spe concordiæ præcisa? Turcæ hodie,

Iura colloquii apud Romanos strictè observata.

die, qui disciplinam Romanorum militarem cum primis æmulantur, tamen in eo ad Barbarorum, hoc est suum ingenium, redeunt, quod jura hospitii, colloquiique parvi faciunt, adeoque turpissime violant. Veluti non ita pridem Mahometes Bosniç & Rasniæ Regem Stephanum, & Mailatum Transylvaniæ VVaivodam specie benevolentię ad se vocavit, vivosque excoriari jussit, occupatis Stephani provinciis, ut refert Traduccius in Turca vincibili. De Commio, quem Cæsar per simulationem colloquii interficere voluit, controversia est. Neque enim, meo judicio, prorsus Cæsar extra culpam est: quanquam Commius toties Romanis reconciliatus sæpissimè rebellavit, & ad vomitum rediit. Quæ hominis atrocitas atque hostilitas facile Cæsarem exacerbavit, cæteroquin Cæsar jura colloquii sanctissimè coluit. Ita enim ipse de se, *Ne*, inquit, *dici possit, eos à se per fidem in colloquio circumventos, &c.* Porro illud memorabile est, quod ipse Cæsar de Commio testatur, *Eum unicum illud rogasse, ut timori suo concederetur, ne in conspectum cujusquam Romani veniret.* Eadem ἀπιςία fuit Pompeii Columnæ, qui revocatus Romam à pontifice, nullis pignoribus aut vadibus adduci potuit, ut ad urbem regrederetur. Hujuscemodi dubitationem atque diffidentiam parit suspecta atque læsa fides.

Apud Turcas ferè nulla.

In ea de Commio an Cæsar extra culpam.

Ἀπιςία Commii & Columnæ unde.

CAPUT X.

Supplicia Eusebii, Herdinii, Dolabellæ, Vespini, aliorumque. Dominationis provisores, Imperiorum Artifices. Notorium. Elogium.

Ex rumore modo suspectos sine ordinario processu tanquã Reip. hostes opprimere.

ITa est, nonnunquam salus Reipubl. postulat, ut in herba, & sine ullo, ut loquimur, ordinario processu, opprimantur hostes Reipublicæ. At enimvero id locum habet, non in suspectis, verum in iis quorum crimen manifestum est atq; notorium. Etenim qui reos, vel perfidia accusatorum, vel levi aliqua de causa, atque ex rumore tantum suspectos, sed neque convictos, neque damnatos ad supplicia rapiunt, id faciunt non jure dominationis, non κυρίως, ut loquitur Aristoteles. Id ait Tiberius apud Tacitum 3. Ann. *Non quidem sibi ignara, quæ de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum.* Et alibi; *oro vos, ne, quia dolori meo causa connexa est, objecta crimina pro approbatis accipiatis.* Cujus immanitatis nuspiam fit crebrior mentio, quam in Hist. Ammiani Marcellini, ut lib. 14. *tanquam licentia crudelitati indulta, per suspicionum nebulas æstimati quidam, noxiis damnabantur.* Et de Eusebio quodã, *qui implorans cœlo justitiam, nec confessus, nec confutatus, pœnali est morte mulctatus.* Et alibi: *Inimico urgente vel nullo, quasi sufficiente hoc solo, quod nominatus esset delatus aut postulatus.* Ibidem de Constantii flagitiis: *Iamq; lituis cladium concrepantibus internarum; non celate, ut ante, turbidum sæviebat ingenium, à veri consideratione detortum, & nullo impositorum vel compositorum fidem solenniter inquirẽte, nec discernente à societate noxiorum insontes,* veluti

Istius immanitatis exempla apud Marcellinum.

veluti exturbatum è judiciis fas omne discessit. & causarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, & abductio capitum, & bonorum ubique mulctatio versabatur per orientales provincias. Idem de Galba Suetonius, *quosdam*, inquit, *claros utroque ordine viros suspicione minima inauditos condemnavit*; adeòque, ut addit Tacitus, *tanquam innocentes perierunt.* Et Curtius de Alexandro libro 3. *multos egregios bello viros, & tot gentium secum domitores, indicta causa occidit.* Et Livius libro 1. de Herdinio, qui indicta causa neci datus est; & Cicero in Verrinis *honestissimos atque integerrimos absentes reos factos, indicta causa, damnasse atque ejecisse.* Qua inquies specie? Obtentu nimirum Dominationis contra conjuratos. Sed ô scelus, ô flagitium! Itane per hujuscemodi crudelitatum iniquitatumque exempla regnum conservari necesse erit? Et ut ut hoc sit, quis quæso mortalium Principi credet, in re tam dubia, tamque suspecta, atque odiosa? Verè Livia illa apud Dion. lib. 52. χαλεπώτατα οἱ πολλοὶ πείθονται, ὅτι τις ἄοπλος ὢν, ἐπιβουλεύει τῷ ὡπλισμένῳ: *ægerrimè vulgus credit, aliquem inermem viro armato insidias struere.* Ac tamen reperiuntur, qui hujuscemodi flagitia ex professo Principes docent. Tacitus: *Vitellius*, inquit, *inrepentibus Dominationum Magistris, superbior & atrocior factus, occidi Dolabellam jussit.* Ita enim appellabantur illi, qui hasce dominationis artes callebant, non secus atque olim magistri scripturæ, tabularum, Vicesimæ, pecorum. Livio etiam appellantur *Imperiorum artifices*. Vnde & Tacitus 12. Annal. *Ingruentium dominationum provisores*. Easdem artes ad unguem edoctus fuit

Suetonium.

Curtius.

Livius.

Improbatur flagitium.

Qui ejusmodi flagitia Principes ex professo docent notantur.

Nerone eas artes ex professo fuisse edoctum.

Nero, de quo idem Tacitus: *Nero Vespinum, sine ullo crimine & accusatore & indice ad vim Dominationis conversus occidit*. Cujus farinæ est responsum illud Henrici IV. Imperatoris cum moneretur, ne Reinoldum Burgundiæ Comitem suspenderet: *Cælum*, inquit, *cæli domino, terram autem dedit filiis hominum*. Impiè, injustè atque nefariè omnia adeoque hoc dominationis flagitio.

Objectio pro isto flagitio.

Sed ajunt rursum illi Dominationum candidati, multos ex hisce nocentes fuisse. Atqui ego nullam causam video, quin in eos secundum leges, & ordinario processu animadverti potuerit, si sontes fuerunt. Præclare, & non pro more suo, Tiberius, idque velim Principibus instar oraculi esse: *non utendum esse imperio, ubi legibus agi possit*. Et de Philopœmene Achæorum duce Livius: *Non quia salvos esse cupiebat, sed quia perire indicta causa nolebat.* In quo Alexandrum perstringit Curtius libro 8. *Nullius cædes majorem ei apud Græcos excitavit invidiam, quam quod præditum optimis moribus artibusque, non tantum occiderit, sed etiam torserit indicta quidē causa; quam crudelitatem sera pœnitētia secuta est.* Et regulariter, neminem sine accusatore temerè Imperatores damnari voluerunt: De quo vide apud Cujacium *lib.1.observ.cap.33.* & Tertullianum. Ne quidem ex notoriis vel elogiis Apparitorum, sive Irenarcharum, ut est in *l. 6. C. de custod. & exhibit: reo. Quia*, inquit, Marcianus d.l. *compertum est, non omnes ex fide bona elogia scribere*. Quare rectè Pontifex Florentinos sacris Christianis interdixit, quod Salviatum Antistitem inauditum & suspensum laqueo è fenestris præcipitaverant.

C A-

CAPVT XI.

Sine causa bellum inferre, Ius in armis ponere. belli causas ementiri; alios inter se committere: & non nihil iniquitatis Romanis aspergitur in occupanda Cypro. Ἀνχιεία.

IMmensa est mortalium atque profunda cupiditas dominandi. Nemo vel maximo imperio contentus est, & hodie regno occupato, cras inhiat aliis, idque, ut ajunt, jure regni atque potestatis suæ. Tu verò mihi jus appelles, in quo ne umbra quidem est justitiæ? Ac tamen aliis superiores se esse rentur; de quibus Lyricus: *Sine caussa bellum inferre mera dominandi libidine.*

Honoratum si forte reponit Achillem,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis:

Et Seneca in Hercule Furente *Act.* 2.

Ius est in armis, opprimit leges timor:

Quale est illud Tiridatis. *Id in summa fortuna æquius, quod validius; & sua retinere, privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem esse.* Et illud Gallorum apud Livium lib. 5. *Se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse.* Cui simile est, quod respondit Bajazetes ille Turcarum Imperator; qui à Sigismundi Legatis admonitus, ut à Bulgaria abstineret; Legatis in armamentarium suum deductis, subridens innuit, hîc jus suum positum esse; in armis nimirum; idque supra Bulgariam ad orbis terminum se extendere. Eadem est fere ratio Pontificum, adeóque illud Prophetæ ad se trahunt, ridiculè sane ac præpostere: *Dominabitur à mari usque ad mare, à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* De quibus vide in libris Ceremoniarum Pontificalium. Romani profectò, & inprimis stante Republica vix ulli

sua ipsos invidia opportunos interemerit, multos palàm, quosdam in quibus nimis speciosa criminatio erat futura, clam interfecerit, quosdam in exilium egerit, idque regni & securitatis causa. Eadem de patre ipsius Livius, Tarquinius primores patrum, quos Servii rebus favisse credebat, interfecit, conscius, malè quærendi regni, ab se ipso, adversus se exemplum capi. *Neque enim ad jus regni, quicquam præter vim habebat.* Qua quidem arte permulti ad imperium grassati, & occupatum tuiti sunt. Atque eandem insisterent viam hodie multi, nisi ipsorum crudelitati atque impietati obviam iret immortalis Deus.

Fraudulentæ hujus malitiæ nulla major seges quam in Pontificatu.

Cujus fraudulentæ malitiæ nuspiam major fuit seges atque φορμὴ, quam in Pontificatu. Id quod molitus dicitur Alexander Pontifex, in consilio, quod ab immanitate scelestum appellatum est; ut omnes Reguli, qui sub ejus imperio essent, ad unum interficerentur. Id quod magnam partem factum est, summa cum Pontificum infamia apud posteritatem. Idem, ad montem Vaticanum instructo convivio, Cardinales aliquot veneno tollere decreverat, ipse verò errore ministri, vel potius consilio justi & immortalis Dei, à lagenis falernum aconito dilutum ebibit, ac fœdè periit. Sic, ut ait Livius, *fraude visus agere, sua peremptus est mercede.*

Et in Turcico imperio.

Par est crudelitas Turcarum adversus fratres, affines, Bassàs, Visieros. Et cum hodiernus Imperator permultas mulieres usurarias habeat, nemini dubiū est, quin idem, de more gentis futurum sit. Sunt tamen qui existimant, unicum hoc fundamentum esse Imperii Tur-

cici.

cici. Quorum ego sententiam non deprimo: illud tantum adjungo, quod divinæ majestati, quod pietati naturali, contrarium est, vix diu durare posse. Quin potius hujuscemodi moles nimia vitiorum atq; scelerum multitudine onerata, ventrem faciet, & ruinam minabitur: ut ut hoc verum sit; *regnum per vim acquisitum, bonis artibus gubernari non posse.*

CAPUT VI.

Privatas injurias vi magistratus ulcisci. Discrimen personæ publicæ & privatæ. Lex Valeria de Sylla. Lex regia de Imperio Vespasiani.

NVllius etiam animi eos esse oportet, ne quid dicam durius, qui quos privatim lædere nequeunt, eos vi magistratus atque imperii ulciscuntur: Quod ex parte tolerandum esset; nisi etiam id jure à se fieri arbitrarentur. Tu verò ne mihi Ius appelles, quod honestati, imperio, dignitatique tuæ repugnat; quodve contra officium est boni judicis, ut est in *l. 19. D. de offic. præs.* Quanto rectius Livius lib. 39. *Ne suas quidem simultates, pro magistratu exercere, boni exempli esse.* Et l. 42. *Injuria*, inquit, *Cos. Rom. etsi justa, minime tamen in magistratu exercenda.* Et sana est oratio Principis, aliàs callidissimi, in causa Pisonis: *Nam*, inquit, *si legatus officii terminos, obsequium erga Imperatorem exuit, ejusdemque morte & luctu meo lætatus est: odero seponamque à domo mea, & privatas inimicitias non vi Principis ulciscar*: ut rectè legit Mersérus. Et Adrianus Imperator cum rogaretur, an de inimicis, quos habuerat nondum occupato imperio,

Privatas inimicitias ulcisci vi magistratus.

imperio, pœnas nollet sumere? respondit: *illi verò evaserunt.* Et Ludovicus XI. à suis monitus, ut puniret illos, quos sibi adversos esse intellexerat, cum adhuc esset Dux Aureliæ, regiè respondit, *non oportere Regem Franciæ ulcisci injurias Ducis Aureliani.* Hinc Poëta 10. Æneid. *Rex Iuppiter omnibus idem.* Disjuncta enim aula à Republica esse debet: sicut & alia est persona privata alia publica. Quo facit illud Caroli V. scriptum, cujus mihi videndi copia fuit. Wir Carll der fünffte / entbieten dir Carll Ertzhertzogen zu Oesterreich / &c.

Disjuncta debet esse aula à Republica.

Quid igitur fuit aliud Lex illa Valeria, qua Syllæ, teste Plutarcho, omnium præteritorum data fuit impunitas, in futurum autem jus vitæ & necis, publicationis bonorum, coloniarum deducendarum, jus regna auferendi, & pro libitu condonandi? Quid inquam aliud sapit, quam flagitium Dominationis? Ideo meritò Cicero illam *omnium legum iniquissimam dissimilimamque legem appellat.* Quo laudabilior lex illa de Vespasiani Imperio; *Vti, quacunque ex usu Reipubl. majestate divinarum humanarumque rerum esse censebit, ei agere, facere, jus potestasque sit.*

Lex Valeria de imperio Syllæ dominationis flagitium.

Lex de imperio Vespasiani laudabilis.

Vnde liquet, ea quæ tum majestati Reipublicæ, tum divinis legibus adversantur, Principi nequaquam licere.

Quæ illicita sint Principi.

CA-

CAPVT VII.

Percussores & Sicarios immittere. Hostem extra castra & exercitum interficere: arma veneno inficere: in fœminas sævire. Ars Romana. Cædes Marcelli Cos. Roman: crimen Assassinatus.

EOrum etiam, qui eos, quibuscum de virtute certare nequeunt, per insidias interficiunt, insignis est impudentia & immanis crudelitas. Quod flagitium interpretes juris crimen assassinatus vocant. Pulchre Eurip. *Sicarios subornare.*

οὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρα,
κτεῖναι τὸν ἐχθρόν.

Nemo generosæ mentis clanculum hostem occidit. Idque est quod exprobrat Alexander Dario; *Impia*, inquit, *bella suscipitis, & quum habeatis arma, licitamini hostium capita: sicut tu, proxime talentis mille, tanti exercitus Rex, percussorem in me emere voluisti.* Quod Valerius vocat, *victoriam non mereri, sed emere.* Qualis fuit Cæpio ille, qui Viriatum interficiendum curavit, veluti prædo ac latro, qualis Pontifex ille, Leo X. qui Cavellanum percussorem summisit, ut Feltrium, quem bello & aperto marte superare nequibat, interficeret. Vt enim taceam, quod hoc fit contra jus gentium, quod, ut ait Livius, *belli & armorum jura, non minus justè quam fortiter geri debent:* ea est ratio belli, ut nisi quis palam, & ex condicto depugnans, animos quoque hostium devicerit, nullam certam victoriam consequatur. *Cur hoc flagitiũ sit. Nempe quod is demum consequitur victoriam qui hostem palam devincit*

Nulla est victoria major, canit Poëta.
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hostes,

Quare

Quare cum Adgandestrius Princeps Cattorum per literas mortem Arminii promisisset, si patrandæ neci venenum mitteretur, laudabiliter responsum est à Senatu Romano, *non fraude, neque occultis, sed palam, & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.* Digna profectò vox majestate Romana. Vnde Livius passim vocat, *artem Romanam.* Quo exemplo Alfonsus ille, Rex Neapolitanus Roberto de Pallenta, offerenti necem Regis Castiliæ respondit: si sciam me hac ratione occupaturum totum terrarum orbem, nedum Castiliæ regnum, equidem tantum scelus non committerem. Nota est virtus Fabricii adversus Pyrrhum, de quo ita Cicero: *Magnum,* inquit, *illud bellum perfuga unus & gravem Imperii adversarium sustulisset, sed magnum dedecus ac flagitium, qui cum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum.* Hæc ille. Nam quod de Mutio, Iuditha, Flaminio adferunt, nimirum aliter olent sues, aliter catuli. Et sunt hæc adeò vulgaria, ut pene me pudeat nonnulla recoquere.

Hostem extra castra & exercitum interficere.

Sed nec ubique hostis rectè interficitur; veluti extra castra, & exercitum. Quare David vocat homines impios, qui interfecerant virum justum in domo sua, & lecto dormientem. Aliud tamen dicendum videtur de Marcello, qui exploratum exivit, una cum tribunis militum, & non sine mediocri equitatu.

Armorum naturam invertere, aut veneno inficere.

Adde, quod nec flumina corrumpenda sunt, multo minus arma veneno inficienda. Natura enim armorum est cæsim vel punctim lædere: ubi verò veneno inficiuntur, ibi eorum natura atque usus invertitur. Sed hæc propriè sunt flagitia belli immania, & ut vocat Cicero *belluarum*

luarum similia. Veluti & illud, in fœminas & pueros sævire. Animose magnus ille Macedo apud Curtium lib. 7. *Bellum cum captivis & fœminis gerere non soleo; armatus sit oportet, quem oderim.* Idq; Brabantiæ Dux ille Regem Galliæ docuit, volentem novam nuptam Angli intercipere: inquiens, *indecorum esse adversus imbellem fœminarum turbam aliquid hostiliter moliri.*

In fœminas sævire.

CAPVT VIII.

Fidem frangere. fœdera violare. Fundamentum Reip. Romanæ fides, Pejuratiuncula parasitica. Invitum cogere, ut quod non credit, credat tamen.

Nihil pene constitutum fuisse reperio in Republ. Romana, quin originem sumpserit ab incunabulis Imperii. Seneca id innuit lib. 19. Epistol. *Nam cum à primo urbis ortu, regiis institutis, partim etiam Legibus, auspicia, ceremoniæ, comitia, provocationes, patrum concilium, equitum peditumq; descriptio, tota res militaris divinitus esset constituta, &c.* Tanti nimirum interest Rerumpubl. firma & valida fundamenta poni. Quorum non postremum hoc fuit, ut fides ac juramentum, propulso legum ac pœnarum metu, civitatem regerent, ut ait Livius. Idque posteri adeò sanctè observarunt, ut apud illos nihil fuerit antiquius fide. Quod & Imp. ait *l. 20. C. de transactionibus nihil fidei humanæ magis convenire, quam servare pacta conventa.* Nam quod nobis de Numantina, Caudina, & Partina sponsione objicitur, perfidia ea non fuit, sed potius lex & jussum, tum populi, tum Principis. Illud vero perfidè Vitellius, quod Sabinum Vespa-sani

Fidem frangere.

Cum apud Romanos nihil fuerit antiquius quam eã sanctè servare.

Servata fides fulcrũ imperii.

Vitellii

alio-rumque perfidia notatur. siani fratrem contra fidem datam circumvenit, atque per milites obtruncavit: adeoque frustra culpam in milites conjecit, cum ad eum misisset Sabinus, cum mandatis & quæsitu, quod pacta turbarentur, ut refert Tacitus 3. Hist. Id quod postea meritò Vitellio exprobratum est; *Sabini cæde, & incendio Capitolii, dirempta esse belli commercia*. Sic Prosper Columna, cum esset demissus ex carcere, hac conditione, ut per syngrapham promitteret, sese sub signis regiis militaturum, si intra certum tempus ipsius opera Franciscus, præbito stipendio, uti vellet; Prosper, non pro dignitate sua, Cæsarianis se rursum adjunxit, *Iovius:* Quo nomine eum Lautrechtius haud immeritò perfidiæ insimulavit, Prospero necessitatem carceris nequicquam excusante. Sic Iulius II. Pontifex jactare ausus est, turpissimo hercule exemplo, se fœdera & societates cum Gallis Germanisque, quos ipse Barbaros appellavit, non aliter contrahere, nisi fallendi causa. Omnia perfide, neque ullo jure, nedum Dominationis. Quod haud scio an non identidem de Francisco dici queat, qui pactus, se vel pacis conditiones ratihabiturum, vel in captivitatem rediturum, neutrum fecit.

Prosperi Columnæ.

Iulii II. Pontificis.

Francisci Galliarum Regis.

Quanto rectius Belizarius ille apud Procopium: *Turpe est*, inquit, *Teutberte, cum aliis omnibus, quibus vel minima virtus est cordi, tum inprimis Principi viro mentiri ac fidem fallere; jusjurandum autem, & pacta etiam scripto sancita violare, ne abjectissimo quidem homini decorum esse arbitror*. Istæ enim pejuratiunculæ, ut ait Plautus, parasiticæ sunt, minimè vero regiæ: Qualem fallaciam perstringit Poëta:

quo

quo contra jura fidemque
Iliacam, rupto turbasti fœdere gentem:

Illa etiam pactorum de religionis libertate dissolutio, quid aliud est quam flagitium dominationis: sicut & illa animorum lenta ac callida carnificina de qua Nazianzenus. *Illud vero*, inquit, *admodum pravum, ac malignum est, quod cum nec apertè nos allicere posset, nec tyrannicè cogere, præ pudore vellet, leonina pelli vulpinam, aut, si mavis, Minois larvam summa injustitia prætexens, leniter vim afferebat.* Ornare libet hoc caput corona aliqua de Imp. Claudio, qui rogatus ut ignosceret Mithridati, dubitavit, accipere captivum pacto salutis, an repetere armis rectius foret: nimirum hoc erat anceps ac durum; illud vero tutum, sed cum necessitate servandæ fidei conjunctum. Aut enim danda non est fides, aut data servanda: quod qui capere nolunt, iis ego tantum in memoriam revoco calamitates, quæ plerumque, imo semper, perjuros ac perfidos, veluti à tergo, sequuntur ac manent. De quibus omnibus vide plura apud Hottomanum, & alios.

Flagitiũ dominationis, dissolutio pactorum de religionis libertate.

Aut nõ dãda est fides, aut data servanda.

CAPUT IX.

Specie colloquii imponere. Iura hospitii violare. Mors Annibalis, Commii, & Pompeji Columnæ ἀπιςία.

NVllo etiam jure se tueri possunt Principes, qui specie amicitiæ atque colloquii hostes suos circumveniunt. Quemadmodum Antonius ille, contra jus gentium, Regem Armeniorum specie amicitiæ illectum interfici jussit, & Tiberius per dolum arcessitum Regem Cappadocum ad mortem impulit.

Specie amicitiæ & colloquii hostes circumvenire.

lit. Idem Vononem Regem Parthorum, qui pulsus à suis, quasi in fidem populi Romani cum ingenti gaza Antiochiam se receperat, occidit; *Suetonius in Tiberio.* Qua fraude Biron ille, Athenodorum invitatum ad epulas, per Boxum in convivio obtruncari jussit.. Et de Rege Thraciæ, cujus fidei Priamus filium suum commiserat cum ingenti copia auri, Poëta 3. Aneid.

Ille ut opes fracta Teucrum, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus;
Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Prusiæ factum laudatur. Iura hospitii violare.

Quo laudabilius Prusias rogatus à Romanorum legatis ut Annibalem populo Romano dederet, recusavit, petiitque, *ne à se postularent, quod adversus jus hospitii esset, ipsi si possent, prahenderent.* Æmilius Probus in vita Annibalis. Id quod ne quidem in ipsis Romanis toleravit Livius scriptor gravissimus: *Quantum mutaverint*, inquit, *mores Romani, hic dies argumento erit*, & quæ sequuntur, &c. Quanquam Flaminius, teste Plutarcho, quæsivisse visus est, non tam ut in præsenti Annibalem de medio tolleret, quam ut publicus hostis, qui tot clades inflixerat Romanis, vivus Romam perduceretur; idque populo Rom. utile, sibi verò honorificum fore existimabat. De quo ego ἐπέχω.

Iura colloquii apud Romanos stricté observata.

Cæterum jura Colloquiorum sanctissimè, strictissiméque observarunt Romani. Quid enim per Deum superérit sublata colloquiorum securitate, omnique spe concordiæ præcisa? Turcæ hodie,

die, qui disciplinam Romanorum militarem cum primis æmulantur, tamen in eo ad Barbarorum, hoc est suum ingenium, redeunt, quod jura hospitii, colloquiique parvi faciunt, adeoque turpissime violant. Veluti non ita pridem Mahometes Bosniç & Rasniæ Regem Stephanum, & Mailatum Transylvaniæ VVaivodam specie benevolentiç ad se vocavit, vivosque excoriari jussit, occupatis Stephani provinciis, ut refert Traduccius in Turca vincibili. De Commio, quem Cæsar per simulationem colloquii interficere voluit, controversia est. Neque enim, meo judicio, prorsus Cæsar extra culpam est: quanquam Commius toties Romanis reconciliatus sæpissimè rebellavit, & ad vomitum rediit. Quæ hominis atrocitas atque hostilitas facile Cæsarem exacerbavit, cæteroquin Cæsar jura colloquii sanctissimè coluit. Ita enim ipse de se, *Ne*, inquit, *dici posit, eos à se per fidem in colloquio circumventos, &c*. Porro illud memorabile est, quod ipse Cæsar de Commio testatur, *Eum unicum illud rogasse, ut timori suo concederetur, ne in conspectum cujusquam Romani veniret*. Eadem ἀπιστία fuit Pompeii Columnæ, qui revocatus Romam à pontifice, nullis pignoribus aut vadibus adduci potuit, ut ad urbem regrederetur. Hujuscemodi dubitationem atque diffidentiam parit suspecta atque læsa fides.

Apud Turcas ferè nulla.

In cæde Commii an Cæsar extra culpam.

Ἀπιστία Commii & Columnæ unde.

CAPUT X.

Supplicia Eusebii, Herdinii, Dolabellæ, Vespini, aliorumque. Dominationis provisores, Imperiorum Artifices. Notorium. Elogium.

Ex rumore modo suspectos sine ordinario processu tanquã Reip. hostes opprimere.

ITa est, nonnunquam salus Reipubl. postulat, ut in herba, & sine ullo, ut loquimur, ordinario processu, opprimantur hostes Reipublicæ. At enimvero id locum habet, non in suspectis, verum in iis quorum crimen manifestum est atq; notorium. Etenim qui reos, vel perfidia accusatorum, vel levi aliqua de causa, atque ex rumore tantum suspectos, sed neque convictos, neque damnatos ad supplicia rapiunt, id faciunt non jure dominationis, non κυρίως, ut loquitur Aristoteles. Id ait Tiberius apud Tacitum 3. Ann. *Non quidem sibi ignara, quæ de Silano vulgabantur, sed non ex rumore statuendum.* Et alibi; *oro vos, ne, quia dolori meo causa connexa est, objecta crimina pro approbatis accipiatis.* Cujus immanitatis nuspiam fit crebrior mentio, quam in Hist. Ammiani Marcellini, ut lib. 14. *tanquam licentia crudelitati indulta, per suspicionum nebulas æstimati quidam, noxiis damnabantur.* Et de Eusebio quodã, *qui implorans cœlo justitiam, nec confessus, nec confutatus, pœnali est morte mulctatus.* Et alibi: *Inimico urgente vel nullo, quasi sufficiente hoc solo, quod nominatus esset delatus aut postulatus.* Ibidem de Constantii flagitiis: *Jamq; lituis cladium concrepantibus internarum; non celate, ut ante, turbidum sæviebat ingenium, à veri consideratione detortum, & nullo impositorum vel compositorum fidem solenniter inquirẽte, nec discernente à societate noxiorum insontes,*

Istius immanitatis exempla apud Marcellinum.

veluti

veluti exturbatum è judiciis fas omne discessit. & causarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, & abductio capitum, & bonorum ubique mulctatio versabatur per orientales provincias. Idem de Galba Suetonius, *Suetonium.* *quosdam*, inquit, *claros utroque ordine viros* *suspicione minima inauditos condemnavit*; adeòque, ut addit Tacitus, *tanquam innocentes perierunt.* Et Curtius de Alexandro libro 3. *Curtius.* *multos egregios bello viros, & tot gentium secum domitores, indicta causa occidit.* Et Livius *Livius.* libro 1. de Herdinio, qui indicta causa neci datus est; & Cicero in Verrinis *honestissimos atque integerrimos absentes reos factos, indicta causa, damnasse atque ejecisse.* Qua inquies specie? Obtentu nimirum Dominationis contra *Improbatur* conjuratos. Sed ô scelus, ô flagitium! Itane per *flagitium.* hujuscemodi crudelitatum iniquitatumque exempla regnum conservari necesse erit? Et ut ut hoc sit, quis quæso mortalium Principi credet, in re tam dubia, tamque suspecta, atque odiosa? Verè Livia illa apud Dion. lib. 52. χαλεπώτατα οἱ πολλοὶ πείθονται, ὅτι τὶς ἄοπλος ὢν, ἐπιβουλεύει τῷ ὡπλισμένῳ: *agerrimè vulgus credit, aliquem inermem viro armato insidias struere.* Ac tamen reperiuntur, qui hujuscemodi *Qui ejusmodi* flagitia ex professo Principes docent. Tacitus: *flagitia* *Vitellius*, inquit, *inrepentibus Dominationum* *Principes ex* *Magistris, superbior & atrocior factus, occidi* *professo* *Dolabellam jussit.* Ita enim appellabantur illi, *docent* qui hasce dominationis artes callebant, non *notantur,* secus atque olim magistri scripturæ, tabularum, Vicesimæ, pecorum. Livio etiam appellantur *Imperiorum artifices.* Unde & Tacitus 12. Annal. *Ingruentium dominationum provisores.* Easdem artes ad unguem edoctus fuit

Nero, de quo idem Tacitus: *Nero Vespinum, sine ullo crimine & accusatore & indice ad vim Dominationis conversus occidit*. Cujus farinæ est responsum illud Henrici IV. Imperatoris cum moneretur, ne Reinoldum Burgundiæ Comitem suspenderet: *Cælum*, inquit, *cæli domino, terram autem dedit filiis hominum*. Impiè, injustè atque nefariè omnia adeoque hoc dominationis flagitio.

Neronē eas artes ex professo fuisse edoctum.

Sed ajunt rursum illi Dominationum candidati, multos ex hisce nocentes fuisse. Atqui ego nullam causam video, quin in eos secundum leges, & ordinario processu animadverti potuerit, si sontes fuerunt. Præclare, & non pro more suo, Tiberius, idque velim Principibus instar oraculi esse: *non utendum esse imperio, ubi legibus agi possit*. Et de Philopœmene Achæorum duce Livius: *Non quia salvos esse cupiebat, sed quia perire indicta causa nolebat.* In quo Alexandrum perstringit Curtius libro 8. *Nullius cædes majorem ei apud Græcos excitavit invidiam, quam quod præditum optimis moribus artibusque, non tantum occiderit, sed etiam torserit indicta quidē causa; quam crudelitatem sera pœnitētia secuta est.* Et regulariter, neminem sine accusatore temerè Imperatores damnari voluerunt: De quo vide apud Cujacium *lib. 1. observ. cap. 33.* & Tertullianum. Ne quidem ex notoriis vel elogiis Apparitorum, sive Irenarcharum, ut est in *l. 6. C. de custod. & exhibit. reo. Quia*, inquit, Marcianus d.l. *compertum est, non omnes ex fide bona elogia scribere*. Quare rectè Pontifex Florentinos sacris Christianis interdixit, quod Salviatum Antistitem inauditum & suspensum laqueo è fenestris præcipitaverant.

Objectio pro isto flagitio.

C A-

CAPUT XI.

Sine causa bellum inferre, Ius in armis ponere. belli causas ementiri; alios inter se committere: & non nihil iniquitatis Romanis aspergitur in occupanda Cypro. Ἀγγαρεία.

IMmensa est mortalium atque profunda cupiditas dominandi. Nemo vel maximo imperio contentus est, & hodie regno occupato, cras inhiat aliis, idque, ut ajunt, jure regni atque potestatis suæ. Tu verò mihi jus appelles, in quo ne umbra quidem est justitiæ? Ac tamen aliis superiores se esse rentur; de quibus Lyricus: *Sine caussa bellum inferre mera dominandi libidine.*

Honoratum si forte reponit Achillem,
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis:

Et Seneca in Hercule Furente *Act.* 2.

Ius est in armis, opprimit leges timor:

Quale est illud Tiridatis. *Id in summa fortuna æquius, quod validius; & sua retinere, privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem esse.* Et illud Gallorum apud Livium lib. 5. *Se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse.* Cui simile est, quod respondit Bajazetes ille Turcarum Imperator; qui à Sigismundi Legatis admonitus, ut à Bulgaria abstineret; Legatis in armamentarium suum deductis, subridens innuit, hîc jus suum positum esse; in armis nimirum; idque supra Bulgariam ad orbis terminum se extendere. Eadem est fere ratio Pontificum, adeóque illud Prophetæ ad se trahunt, ridiculè sane ac præposterè: *Dominabitur à mari usque ad mare, à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* De quibus vide in libris Ceremoniarum Pontificalium. Romani profectò, & inprimis stante Republica vix ulli

bellum intulerunt, nisi lacessiti injuriis, vel ipsi, vel ipsorum socii atque confœderati. Nec tamen in omnibus mihi excusantur. De Cypro occupata militariter, hoc est, ingenuè, ut semper Ammianus Marcellinus: *Nec, inquit, piget dicere, avidè magis hanc insulam populum Romanum invasisse, quam justè. Ptolomæo enim, Rege confœderato nobis & socio, ob ærarii nostri angustias, jusso sine ulla causa proscribi: ideoque, hausto veneno, voluntaria morte deleto, & tributoria facta est, & velut exiles ejus exuviæ classi imposita in urbem advectæ sunt per Catonem.*

Varias belli causas prætexere.

Cōmittere inter se quos mutuis bellis exsuctos devores.

Ejusdem notæ sunt qui belli causas quærunt, nec inveniunt, adeóque speciosas prophases ementiuntur. Sicut & illi, qui alios inter se committunt, quos tandem mutuis bellis exsuctos devorent. Quam artem calluit Pontifex ille, de quo Iovius in vita Columnæ: *Controversiam Columniorum, & Ursinorum immensum alebat, mira simulatione: modò his, modò illis favens, & occultè utrisque pecuniam, & arma summittens, ut mutuis attriti cladibus, ab ipso demum, sine negotio delerentur.* Et Tacitus de Druso 2. Annal. *Drusus non leve decus quæsivit, iliciens Germanos ad discordias, utque fracto Marobo duo usque in exitium insisteretur.*

Etiam in vita privata esse tales hominū pestes.

Quanquam hæc ratio in arduis negotiis nonnunquam locum habere videtur. Quales etiam in privata vita sunt hominum pestes, quos Theophrastus in Characteribus paulo leniore vocabulo appellat ἀρέσκους, καὶ ἀκαίρους: παρακληθεὶς δὲ πρὸς δίαιταν μὴ μόνον οἷς πάρεστι βούλεσθαι ἀρέσκειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἀντιδίκῳ ἵνα κοινὸς εἶναι δοκῇ. *Idem captus arbiter, non ei tantum*

tum cui adest, sed etiam adversa parti, ut communis utriusque amicus habeatur, gratificari studebit: & περὶ ἀκαιρίας, καὶ παρὸν διαίτῃ συγχωρεῖν ἀμφοτέρων βουλομένων διαλύεσθαι: *idem captus arbiter, duos litigantes, quorum uterque rem transigi optat, inter se committit.*

CAPVT XII.

Vectigalia tollere; res imperii alienare. Vectigalia à Carolo IV. oppignorata: & ἐν παρόδῳ, an revocari possint? Ærarium militare Augusti. Centesima rerum venalium.

Meritò Vlpianus tributa appellat *nervos Rerumpublicarum:* rationem reddit Tacitus 4. Historiarum. *Neq; enim quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt,* & Cicero in Epist. ad Q. Fratrem. *Imperium, sine vectigalibus retineri nullo modo potest.* Hinc enim principatus sustinentur, & ut supersit ad subitas largitiones, necessitates, atque extraordinarios sumptus. Quare Neronem volentem cuncta vectigalia tollere idque pulcherrimum donum generi mortalium dare, docuit Senatus Romanus, inquiens, *dissolutionem Imperii futuram, si fructus, quibus Respublica sustinetur, diminuantur; quippe sublatis portoriis, sequens ut tributorum abolitio expostularetur.* Imo est hoc flagitium dominationis, & inprimis ubi res Imperii alienantur. Quomodo enim juris nomine dignum sit, quod Rempubl. evertit? Atque est hæc penè communis Iurisconsultorum sententia, Principem, cum omnia possit, res tamen imperii abalienare non posse. Hæ enim non magis quam patrimonia privatorum, exinaniri aut evisce-

Vectigalia, Rerumpubl. nervos tollere.

Res imperii alienare.

Princeps res imperii alienare non potest.

evisscerari debent, ut utar verbo Imperatoris.

Telonia à Carolo IV. ordinibus imperii oppignorata deminuũt Imperatoriam dominationem.

Quare oppignorata illa telonia, atque vectigalia à Carolo IV. ordinibus Imperii, teste Nauclero, mirificè diminuerunt Imperatoriam dominationem: veluti graviter in quadam oratione disputat Iulius Pflugius Episcopus Naumburgensis. Quorum tamen revocatio haud scio an non vehementer perturbaret præsentem Reipubl. statum. *Primò*, quod hac ratione res Imperii ad pristinum statum delaberentur. *Deinde*, quod reliqui ordines omni fere potentia exuerentur: ut taceam, quod illa ordinum æqualitas periret, quam tantopere hoc in Imperio probat, atque exosculatur Machiavellus in libro de statu Germaniæ.

In vectigalibus ferè sita salus Reip.

Neque tamen me fugit, quæ sit hac de re ICtorum opinio, quorum frugem demetere hoc loco non licet. Mihi certe in Vectigalibus tota fere salus Reip. sita videtur. Quare præclarè Hannibal, non solum vetera vectigalia non abolevit, verum etiam nova addidit. Quare, teste Æmilio Probo, *id effecit, non modò, ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, verum etiam ut superesset, quæ in ærario poneretur*. E contrario Leoni X. ut refert Iovius, valde invidiosum fuit, quod contracto gravi ære alieno, vectigalia publica fœneratoribus addixit. Privatæ enim opes distrahi possunt, non publicæ. Quemadmodum Nicephorus Botoniates occupato imperio, quicquid fisco debebatur, in universum abolevit, ac novas tabulas magnifico edicto instituit, ut est in Con. Orient. Acuit me hoc loco memoria illius ærarii militaris, quod instituit Augustus,

Ærarium militare.

Augustus, in quod omnium hæreditatum, legatorum, ac donationum mortis causa, vicesima referebatur: exceptis, quæ proximis, agnatis & pauperibus legabantur, cui postea adjunxit centesimam rerum venalium, hoc est, centesimum rerum in auctione venalium nummum. Fuit hęc res fundamentum principatus Romani. Quo tempore militum stipendia in annum, ex nostra moneta, fuerunt quinque milliones, quingenta sedecim millia & sexaginta duæ libræ, & decem solidi: ut numerat Savilius. Idque amplius esse putatur, quam magnus Turca hodie biennio recipit ex omni reditu. Quare Tiberius, deprecante populo, centesimam rerum venalium edixit, *militare ærarium eo subsidio niti.*

Augusti fundamentũ fuit Romani principatûs.

CAPVT XIII.

Immensæ donationes, sive potius profusiones principales: & an à successoribus retractari possint. Donationes à Parisiensi curia abolita.

EIusdem Tiberii constitutio, ut beneficia à superioribus concessa Principibus, aliter rata non haberent successores, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent; ut circa res aliàs maximum usum habet, ita inprimis propter immensas donationes principales necessaria fuit. Quid si enim Nero omnia vectigalia Imperii sustulit, num illa perniciosa constitutione teneri oportuit successores? Neque enim quod Princeps committit, Respublica luere debet, veluti Guntherus pulchrè de rebus sacris canit, lib. 2.

Constitutio Tiberii ne concessa à superioribus beneficia successores rata haberent, nisi & ipsi eadem dedissent, cur utilis.

L 5 *Neque*

Neque enim quod pastor inique
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

Atque ea restrictio fuit principatus Romani; quemadmodum Plinius in Paneg. ait de lege Imperii: *Hæc pro Imperio nostro, in qua sint verba suscepta, operæ pretium est annotare: si bene Rempubl. atque ex utilitate omnium rexeris.*

Principales profusiones, haud immerito retractari.

Vnde constat hujuscemodi principales profusiones haud immerito retractari. Neque enim hic eos audio, qui negant profusionem in Principem cadere. Pulchre de Alexandro Lampridius. *Dies nunquam transiit, quin aliquid mansuetum, civile, pium faceret; sed ita, ut ærarium non everteret.* Nero verò effuderat, inquit Historicus, bis & vicies mille sestertium. Galba igitur occupato imperio, cum opus haberet pecunia, in publicum appellari singulos jussit, decima parte liberalitatis apud quemque relicta: Vbi Tacitus *justissimum*, inquit, *fuit, hoc inde repeti, unde inopiæ causa erat.* Et rectè Tiberius apud eundem lib. 2. Annal. *Si quantum pauperum est venire huc, & liberis suis petere pecunias cœperint, singuli nunquam exsatiabuntur, Respubl. deficiet.* Adeoque objurgat eos, qui perfringunt ærarium, quod si ambitione exhaustum est, per scelera supplendum erit. Vnde fit, quemadmodum M. Tullius deplorat, ut privatorum reditus sint uberrimi, vectigalia pene nulla. Quanto beatior illa Respubl. de qua Horatius lib. 2. od. 15.

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum:

Lex Philippi

Ideò in Gallia Philippus Valesius, lege lata Principis largitiones revocari jussit, nisi tabulis

lis donationis continerentur: & non una exempla reperias donationum regiarum, quæ à Parisiensi curia revocatæ atq; abolitæ sunt. De quo vide Connanum lib. 1. Comment. Et quid est quæso quod jure sibi deberi autument?

Valesii circa talem revocationem.

Largitio Reges
Non extorta decet; captivos ista reosque
Sors premit, extortis redimant sua tempora nummis.
Munera magnorum læta atque ultronea Regum
Esse volunt, ut dans plus gaudeat accipiente,
Hoc est gratuitum quod possum dicere solùm.
Quo plus ille dato, quam gaudeat iste recepto.

Vt mihi liceat elegantes Guntheri versus capiti huic annectere.

CAPUT XIV.

Vectigalia illicita exprimere, pro umbra, pro aëre, pro vita. Commentarii, sive rationaria Principum. Iura & artes senatoriæ: Pompejus scientissimus Iuris publici.

NOn minori cum turpitudine conjuncta est illa nimia vectigalium indictio: qualia erant illa, quæ pendebantur pro umbra, pro aëre, pro spiritu captando. Vnde illud Harmenopoli περὶ ζημιῶν ἀερικῶν, ut notat doctissimus Cujacius. Et ausim huc referre etiam illud urinarium, quamvis autori, aurei nummi, quos ex lotio acceperat, non male olere videbantur. Nimirum ita cives exprimendi sunt, ut supersit succus quem hauriant; ita olera abscindenda sunt, ait Plutarchus;

Vectigalia nimia indicere.

Talia quæ pendebantur pro aëre, pro spiritu captando.

Vrinarium Vespasiani.

tarchus; ut radix maneat: ita pennæ incidendæ, ut rursum renascantur. Pessimè illi, qui solius Fisci rationem habent, *homines senes manibus genere Geryonaceo*, ut loquitur Comic.

Quam regia ille Claudiani Poëtæ de Honorio,

Nec tua privatis crescunt æraria damnis.

Objectio pro nimiis vectigalibus tuitio principalis dignitatis.

Sed oggerunt illi Laverniones, Principes vix dignitatem suam tueri, nisi hujuscemodi utantur quinquagesimis, vicesimis, aliisque id genus oneribus. Ita certe: sed de re licita, sed modicè, sed cum fruendi parsimonia. Quin ergo, ex more prudentissimorum Principum, suos commentarios, sua rationaria habent, in quæ accepta & expensa referant, ut ne plus erogent, & profundant, quam ferendo sit Respublica.

Non plus erogandum quam Resp. sit ferendo & habenda Principi rationaria.

Quemadmodum de Tiberio Tacitus, *eum proferri libellum recitarique jussisse, in quo publicæ opes continerentur: quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & necessitates ac largitiones; quæ cuncta sua manu præscripserat Augustus.* Quem morem identidem servarunt Franciscus Rex Galliæ, & Amurathes Imperator Turcicus, cujus breviarium hodiernus Imperator Mahometes in administratione regni pro oraculo habere dicitur. An, quod flagitium est in Principe, sicut & in quovis Senatore, imperandi imperitum esse? Vnde Cicero de Legibus. *Est*, inquit, *Senatori necessarium nosse Rempub. idque latè patet; quid habeat militum, quid valeat ærarii; quos socios Respublica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere; tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum.*

Res imperii ignorare flagitium est in Principe.

Quare

Quare cum Marcellus de re quapiam Senatum Romanum consuluisset; Senatus rescribere Marcello jussit, verius fuisse Consules, quorum provincia esset, quam se, quid è Republica esset, decernere. Quo nomine M. Tullius Calenum perstringit. *Vsum in Republica magnum habere, & debes, & potes, quando ita decerni vidisti, aut quod Senatusconsultum? &c.* Vnde Plinius in Epistolis appellat *Ius senatorium:* Cicero, *literas Senatorias: Illæ literæ*, inquit, *forenses & senatoriæ conticuerunt*: Estque non minima pars juris publici. Cujus scientiam in Pompejo veluti Principe civitatis tantoperè laudat idem Cicero pro Balbo, cujus verba mihi referre libet, quod hoc jus turpissimè ab iis, qui respublicas administrant, hodie negligitur. *Equidem contra existimo judices, cum in omni genere, ac varietate artium, etiam illarum quæ sine summo otio non facile discuntur, Cn. Pompejus excellat, singularem quandam laudem ejus, & præstabilem esse scientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus, populorum, Regum, exterarum nationum, in universo denique belli jure ac pacis; nisi forte, quæ nos libri docent in umbra & otio, ea Cn. Pompejum, neque cum requiesceret, literæ, neque cum rem gereret, res ipsa docere potuerunt.*

CAPVT XV.

Ωτακουσταί, Auricularii, Delatores.

DEtestabilis, ac plena immanitatis fraus fuit Senatorum Romanorum adversus Titium Sabinum. Neque enim me piget *Ωτακουστὰς auricularios & delatores fovere. Senatorum Romanorum fraus adversus Titium Sabinum.*

piget ipsa autoris verba ad hæc scelerum exempla referre. *Tectum*, inquit, *inter & laquearia tres Senatores: haud minus turpi latebra, quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus & rimis aurem admovent. Interea Latiaris, repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum & in cubiculum trahit, præteritaque & instantia, quorum affatim copia, & novos terrores cumulat. Eadem ille, & diutius, quando mœsta, ubi semel prorupêre, difficilius reticentur. Properata inde accusatio, missisque ad Cæsarem literis, ordinem fraudis suumque ipsi dedecus narravêre. Non alias magis anxia & pavens civitas, etiam adversum proximos, congressus, colloquia, nota ignotaque aures vitari, etiam muta atque inanima, tectum & parietes, circumspectabantur.* Hæc Tacitus 4. Annalium. Quæ quid aliud sunt, quam dominationis extrema flagitia? Sed & eadem apud Polybium. *Plena*, inquit, *omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine.* Quem morem paulo aliter describit Arrianus *in Epict. lib.* 4. Hoc modo viri boni Romæ subvertuntur. Arridet tibi homo quidam, instar privati sermones occeptat, & de Principe inclementer loquitur; tu, ratus nactum esse exemplum aliquod atque monumentum fidei, pertexis illud quod prior inceperat, animique sententiam profers; paulo post abductus, linguæ temeritatem morte luis. Et de quibus Turpilius. *Qui verba mea venatur, pestis accedat, & sermonē hinc sublegat:* quibus similia in Historiis reperias. Vnde Tacitus, *Delatores*, inquit, *genus hominum publico exitio repertum, & nec pœnis unquam satis coercitum, per præmia eliciebantur*. 4. Annal. Qua

in re detester ne potius deperditissimorum nebulonum fumos atq; fraudes; an verò Principum insolentiam, qui hujuscemodi amant, fovent, amplectuntur?

Nec tamen morem illum improbo, in Republica præsertim seditiosis hominibus plena, quo milites emissi scrutantur sermones atque conjurationes in Principem, hoc consilio, ut Princeps eos, qui præsentem Reipubl. statum oderunt, notet, ab iisque sibi caveat: quos Suetonius appellat speculatores, veluti in Claudio. *Neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis adstarent: quippe qui erant veluti è specula Principis.* Quo in numero non sunt illi ὠτακουσταὶ sive *auricularii*, qui, ut utar Ammiani verbis lib. 14. *paulatim eruditiores facti, processu temporis ad nocendum, per clandestinos versutosq; rumigerulos, compertis leviter addere quædam malesuetos, falsa & placentia sibi dicentes, affectati regni, vel artium nefandarum calumnias insontibus adfigunt*: & de quibus arbiter.

Delationes quando necessaria in republica.

Nec satis est vulgasse fidem, simulatius exit
Proditionis opus, famamque onerare laborat.

Atqui in eo quam longè alius Agricola ille, de quo Tacitus *secretum*, inquit, *& silentium ejus non timeres*. Ac tamen ego istas delationes Principi nonnunquam remittam, si fiant justitiæ causa, & in salutem ejusdem: sed id rarissimum est. Plerique enim vel honoris cupiditate, vel sui muniendi causa amicos supplantant; veluti, ut ait Tacitus, *cupidine consulatus, ad quem non nisi per Sejanum aditus, neque Sejani voluntas, nisi scelere quærebatur*: Et alibi de quodam qui alios accusabat *in subsidium sui*. Atque est vox illa Tyranni, non Principis:

Raro tamen legitima.

Principis:

Principis: *Subverterent potius jura, quam custodes eorum amoverent.*

Inimici laudantes fugiendi. Illi verò ex censu hominum ejiciendi sunt qui palam laudant, & absentes flagitant, &, ut ait Seneca, *per ornamẽta feriunt:* quos eleganter describit Theophrastus in Characteribus. *Cavillator*, inquit, *est, qui inimicos suos accedit, quasi alloqui eos velit, non amplius odisse; quiq́; illos, quibus clam struit insidias, præsentes laudat, & si victi fuerint, eorum vicem dolet.* Et Ammianus lib. 15. *Impugnabat eum per ficta benignitatis illecebras, collegam & virum fortem propalam sæpe appellans Arbetio, ad innectendas lethales insidias, vita simplici, perquam callens, & ea tempestate nimium potens.* Id genus homines demissis manibus grandique gradu fugies, & non effugies tamen: à quibus, ut ait Comicus,

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet; cum etiam cavet,
Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cantor captus est.

CAPVT XVI.

Abusus legis Majestatis. Leges exercere. Inquisitio Pontificia: Sacra & cœlestia arma. Virga autoritatis Apostolicæ: affectus humanos tollere.

Lege Majestatis abuti. LEx Majestatis, veluti propugnaculum fuit Principatus Romani; in qua amplianda singuli fere Principum ingenii vires intenderunt. Ideò Tiberius, consultante Macro Prætore, an judicia Majestatis redderentur, respondit, *exercendas esse leges, Tacitus 1. Annalium.* Qua formula etiam Livius utitur lib. 4. *Cum interim de sanguine ac supplicio suo latam*

latam legem confestim exerceri, & tantam vim habere. Id quod propemodum Germanis est, Den Rechten ihren gewöhnlichen Lauff lassen. Illud verò non tam jus dominationis,quã flagitium refert, quod ad minima & ridicula quævis porrexerunt, ut si quis minimũm vel ridiculum corpore, inter cultores Principis asciviflet; si quis nummum vel annulum effigie Principis signatum passus fuisset sibi è manibus in cloacam decidere; si quis eosdem in lupanar attulisset, & id genus plura & multo ineptiora. Vnde Tacitus crimen majestatis, vocat *vinculum & necessitatem silendi:* Item *omnium accusationum complementum*. Cujus generis est illud Curtii lib. 10. de Alexandro, *Cum accusati essent Cleantes, & alii spoliatarum provinciarum, & per libidines alienatarum, Regem cognita causa pronunciasse, ab accusatoribus unum, & idem maximum crimen esse præteritum, desperationem salutis suæ.* (Ita enim appellat læsam majestatem) *Non enim talia ausuros, si ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut reversurum credidissent.*

Accusatio Majestatis, omnium accusationum complementũ.

Cui etiam non absimile videtur Pontificum fulmen,sive inquisitio illa,in qua unicum crimen est eorum, qui crimine vacant, ut cum Tacito loquar. Vnde Guiciardinus vocat *sacra,sive cœlestia arma.* Scaffneburgensis *Apostolica autoritatis virgam.*

Inquisitio Pontificia, in qua crimen unum est eorũ qui sunt sine crimine.

Cæterum omnium inhumanissima atque immanissima ratio fuit tollendi affectus humanos. Neque enim licuit ulli in reatu caritates suas, ut Ammianus loquitur, invocare; nedum patrem vel filium, dum ad supplicia rapiuntur, lugere vel ullis suspiriis editis. De Domitiano Tacitus in Agricola. *Præcipua,* inquit,

Tollere affectus humanos, & propinquorum suspiria.

quit, *sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & aspici; cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem muniebat.* & de Tiberio lib. 6. *quo non aliud atrocius visum, adstitisse per tot annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent.*

Et Seneca in Octavia

Exposita rostris capita cæsorum patres
Videre mœsti, flere nec licuit suos,
Non gemere, dira, labe polluto foro.

Nihil eo crudelius.

Qua re nihil mihi unquam crudelius, nihilve inhumanius lectum est, Quid enim aliud est tollere affectus, quam naturæ bellum indicere? Ac tamen ut ut immanissima illa monstra externos ejulatus atque suspiria prohibere potuerunt, naturales tamen affectus, & interiores animi dolores penitus tollere nequiverunt: Atque si vel ipsorum tyrannorum eodem tempore recludantur mentes, plures inspicias laniatus & ictus. Illorum enim corpora verberibus, tyranni vero animus sævitia, libidine, malis consultis dilaceratur, ut testatur acerrimus rei Romanæ scriptor.

CAPUT XVII.

Aliquot alia flagitiorum regiorum exempla. Ius gratiæ dare. Pontificis accusatio apud universale consilium.

Alia flagitiorum regiorum exempla.

PUdet me omnia horum flagitiorum genera coacervare:

Et quis tot referre facinorum formas potest?
Et spes nefandas Principum, & blandos dolos

Regnum

Regnum petentium per gradum scelerum viam?

Ejusdem tamen farinę sunt illa Iudæorum de Christo Servatore nostro (quanquam ego nescio quomodo ea, quæ sunt sacra & mystica, non libenter ad res humanas traho) sunt tamen, inquam, ejusdem notæ: *Qui non punit Christum, non est amicus Cæsaris*, Ioan. 19. Et *si sinemus illum, omnes illi credent, venientque Romani, & delebunt gentem nostram*. Iohan. 11. Et illud in Actis. cap. 24. *Felix volens gratiam inire à Iudæis reliquit Paulum vinctum*. Et illud Taciti de Tiberio lib. 3. Annalium. *Pro Plancina cum pudore & flagitio disseruit*. Quanto laudabilius Senatus Romanus Massinissæ legato respondit: *Si aliquid possint Massinissæ honoris gratia, & fecisse, & facturos esse; cæterum jus gratiæ populum Romanum non dare.*

In Iudæis, non facile tamen ad res humanas trahenda.

Tiberio.

Illa verò Pontificiorum sententia flagitiosissima est: *Qui à Pontifice Maximo legibus solutus est, ei apud Deum immortalem satis cautum esse*. Item; *Pontificem esse supra omne jus, contra jus, & extra jus omne*. Et in Salisburiensi. *Pontifices Romanos non affectare solum dominationem terræ, sed cœli etiam*. Cum tamen secundum saniorum sententiam, Pontifex manifesti & atrocis criminis apud universale concilium accusari possit, & de gradu dejici, quod & non semel receptum est.

Pontificibus, nempe cœlestis dominationis affectatio.

Quo etiam pertinet mos ille Principum, cives ad turpissima quæque cogendi. Tacitus 14. Annal. *Nero notos equites Romanos operas arenarias promittere subegit, donis ingentibus, nisi quod merces, ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert*. Quæ sententia vera est, & ex

Principibus ad turpia cives cogentibus.

Platone

Platone sumpta, αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. Cujus meminit Cicero in Epistolis ad Atticum. Idem est illud Dionis in Nerone. *Nullum jus plus potest, quam arma; Vt enim quisque potentissimus est, ita justissime dicere omnia & facere videtur* Vnde Aristot. 6. Pol. cap. 3, ἀεὶ γὰρ ζητοῦσι τὸ ἴσον καὶ τὸ δίκαιον οἱ ἥττους, οἱ δὲ κρατοῦντες, οὐδὲν φροντίζουσι. *Semper imbecilliores aequum & justum quaerunt, sed qui plus possunt, talia parvi faciunt.* Ac tamen regni etiam flagitium est, alios eodem crimine pollutos eximere. Quo alludit Iuvenalis:

Clodius accuset moechos, Catilina Cethegum.

Et illud tritum,

Hebraeus nihil Hebraeo, Catilina Cethego.

Atque haec fere sunt dominationis occulta flagitia. Vt enim illa dominationis jura atque arcana, locum habent in regno, sive Principatu, ita haec flagitia dominationis à tyrannis usurpantur: quorum tamen vel minima Principes invisos reddunt, & insidiis civium exponunt. Verè & arguté Tragicus in Octavio.

Majora populus semper à summo exigit.

CAPVT XVIII.

Flagitia Dominationis Aristocraticae: Consulum, Dictatorum, Decemvirorum, Triumvirorum regia Imperia. Regem esse, & regio Imperio esse, differunt. Aspera dominatio. Mors Siccii. Proscriptiones Syllae.

Quomodo autor in his aliter quam alii versetur.

EX quibus apparet, nos aliter hac in materia versari, quam plerique. Sunt enim, quae ab his ad Tyrannidem referuntur. Ea nos juri dominationis inferimus, iisque locum damus in turbulenta ac seditiosa Republica: & contra,

contra, quæ alii licere Principibus affirmant, ea nos tyrannidem referre dicimus. *Flagitia dominationis*

Cæterum totidem fere sunt flagitia Aristocratica, & propemodum conveniunt Oligarchiæ: ac tamen regiorum flagitiorum pleraque huc referri possunt. In Republica certe Romana Consules, Dictatores, Decemviri, Triumviri regio imperio fuerunt. De Consulibus Cicero. *Duo*, inquit, *regio imperio sunto*, & Poëta. *Aristocratica eadem ferè quæ Regia.*

Nullum martia summo
Altius Imperio Consule Roma videt.

Consules Rom. Dictatorem, Decemviros, Triumviros regio imperio fuisse.

Et res plana est ante legem Terentillam, quæ postea lata est de Consulari imperio minuendo. De Decemviris Livius. *Tum in Appii Claudii sententiam Senatusconsultum factum est, ut reliquis abrogatis magistratibus, cum consulari Imperio ac regio, sine provocatione, decemviri crearentur.* Et lib. 3. *Decem regum species erat.* De Dictatura Cicer. 1. Philippicarum, *Dictaturam, quæ vim jam regiæ potestatis obsederat funditus ex Republicâ sustulit.* Idem appellat *Syllæ Dominatum*, & Tacitus 1. Annal. *Non Cynnæ, non Syllæ longa Dominatio.* Neque est quod contradicant alii: aliud est Regem esse, aliud regio imperio esse. Ita enim (scio) distinguit ipse Cicero. 1. Phil. *sublato non solum regno, quod pertuleramus, sed & regio Imperio.* Id quod ideò mihi hoc loco tradere libuit, ut intelligatur, eadem fere esse aristocratica flagitia, quæ fuerunt regia.

Vbi enim Patricii plebem exsugunt nimiis vectigalibus, atque oneribus deprimunt; ubi sine *Flagitiorum Aristocraticorum exempla.*

sine ulla probabili causa bella gerunt, vicinisque populis bona ac possessiones eripiunt; vel eos, quorum virtus ipsis formidolosa, promiscue nefaria fraude circumveniunt, atque evertunt; vel fidem datam frangunt; vel percussores subornant, & emittunt; vel morem consulendi Senatum intermittunt, (ut de Decemviris scribit Livius lib. 3.) aliaque id genus scelera committunt; ibi flagitia dominantur, non jura. Quod enim religioni contrarium est, quod fidem & pudorem violat, quod honestatem lædit; id & in hac, & illa Republica tam à Iure est alienum, quam quod omnium maximè. Quam imperandi rationem Pomponius vocat *nimiam & asperam Dominationem*. Hinc Guntherus de Mediolanensibus lib.8.

Quod religioni & fidei adversum, à jure alienum est.

Sed durior æquo
(Pace bona dixisse velim) dominatio vestra
Extitit, immodicis vicinas legibus urbes
Terruimus, scit Cuma quidem, scit regia Lauda,
Quosque per Italicas urbes, aut oppida fines
Stravimus, aut validis servire coëgimus armis.

Apud Liviũ.

Plaustra sunt exemplorum. Livius lib.2. *Cum à Patribus, non Consulem, sed carnificem ad vexandam & lacerandam plebem, creatum esse contenderet, &c.* Ibidem, *Consules immoderata infinitaque potestate esse; omnes metus legum, omnia supplicia vertisse in plebem.* Item, *Plebi, cui ad eum diem summa ope inservitum erat, injuriæ à primoribus fieri cepere.* Et libro 3. de Decemviris. *Hominum, non causarum, toti erant; ut apud quos gratia vim æqui haberet:*

judicia domi conflabant, pronunciabant in foro; si quis collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita discedebat, ut pœniteret non prioris decreto stetisse. Atque hoc flagitio L. ille Siccius à Decemviris interfectus est.

In L. Siccio à decemviris interfecto.

Idem scelus fuit Appii Claudii, qui, ut L. Virginii filiæ amore potiretur, postquam omnia pudore septa animadverterat, *ad crudelem, superbamque vim animum convertit*, ut ait Livius. Nota est historia, neque hic ingerenda. Illæ verò proscriptiones omnium flagitiosissimæ fuerunt, de quibus sic Vellejus Paterculus. *Primus*, inquit, *Sylla exemplum proscriptionis invenit; ut in qua civitate petulantis convicii judicium histrioni exoleto redditur, in ea jugulati civis constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet, qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quam civis uberius foret præmium; fieretque quisquis mortis merces sua. Hac Paterculus.* Parum adest, quin huc etiam referam illud de Fabiis, quos, quod contra jus gentium arma ceperant, sibi dedi postulabant Galli. *Senatui*, inquit Livius lib. 5. *Nec factum placebat Fabiorum, & jus postulare Barbari videbantur; sed ne id, quod placebat, decerneret, in tanta nobilitatis viris ambitio obstabat.* Nisi forte dicas, Romanos magno animo maluisse cum Gallis bellum sustinere, quam hujuscemodi magni nominis in Republica viros hosti tradere.

L. Virginii filia.

Promiscuis proscriptionibus Sylla.

CAPVT XIX.

Flagitia dominationis popularis. Libertas vitiosa. Fraus Manlii: Rem inter alios controversam sibi adjudicare: Atque obiter discutitur, an rectè Cæsarem Brutus interfecerit.

Flagitia dominationis in statu populari maximè in usu.

QVæ quidem omnia fere dominationis flagitia nusquam in majori usu sunt, quam in populari statu; quicquid Hetruscus ille populi virtutem attollit, & Principum deprimit, jam ab aliis confusus. Est enim plebs belluæ similis, adeóque ut Claudius dicebat, ut *prona in misericordiam, ita immodica in sævitiam*; nullaque ratione, sed effreni impetu regitur, parum pensi habens vel divina, vel humana jura; dum modo libertatem illam suam, hoc est, omnia pro libitu agendi dissolutissimam licentiam, tueri possit. De qua Romanus Lyricus,

Quod vulgus in sævitiam pronus.

Sed in vitium Libertas excidit, & vim
Dignam lege Regi.

Libertatis prætextu.

Et Iovius, unus, inquit, erat peracerbè sæviendi prædandique non ignobilis prætextus, illa dulcissimi nominis, uti prædicabant, ab longo tempore recepta libertas. Quòd & Quintius ille Consul Romanus ait apud Livium lib. 3. *sub titulo æquandarum legum nostra jura oppressa tulimus & ferimus.* Sicut autem Centuriones, teste Tacito sunt vetustissima militaris odii materies: ita etiam inveteratissimum fuit in Republica Romana odium plebis adversus Patricios. Vbi enim imperium plebis est; ibi Patricios ac nobiles multis magnisque injuriis affici necesse est, ut ostendit Aristoteles 3. Politic. cap. 7. Cujus rei exemplum est in Manlio, qui calumniando aurum,

Odio hæreditario habet Patricios.

quod

quod Romani contribuerant, ut à Gallis sese redimerent, Gallis rursum ademptum esse, & apud primores conservari; maximam invidiam patriciis conciliavit. Cui simile est, quod adducit Machiavellus in Republica Florentina. Quo dominationis flagitio C. Sempronius, ne quicquam omnia expertis Patribus, ut mitigarent plebem, quindecim millibus æris damnatus est, *Livius lib.* 4. Idem *lib.* 5. de Virginio & Q. Pomponio, qui pessimo exemplo innoxii denis millibus æris gravis damnati sunt, quod gratificantes Patribus, rogationi tribunitiæ intercessissent. Et de Furio lib. 5. qui injuste, & sine ulla probabili causa damnatus in exilium ivit. Omnia enim regia & aristocratica flagitia, quæ enumeravimus; uti in regni suspectos immodicè sævire, fidem violare, sacras ædes deripere, aliorum bona invadere, aliaque insolenter & crudeliter agere; hæc, inquam, omnia etiam in populari statu fiunt, & multo magis: veluti, quod populus Romanus judicium rogatus finium regendorum, sibi controversam rem adjudicavit *instar quadruplatoris & interceptoris litis alienæ*, ut ait Livius lib. 3. quæ flagitia in plebe perstringit Fabius ille apud eundem: *potestatem tribunitiam ad singulorum auxilium, non ad perniciem universorum comparatam esse Tribunos plebis vos creatos, non hostes Patribus, nobis miserum, invidiosum vobis est desertam Rempublicam invadi, non jus vestrum, sed invidiam minueritis, &c.* Immania sunt exépla tum in Republ. Florentina, tum in quibusdam Germaniæ civitatibus apud Crantzium, quorum recensendorum me pudet pigetque. Adeò nihil crudelius plebe, inprimis ducem nacta.

Inde condemnatio Sempronii, Virginii, Pomponii, Furii.

Regia & Aristocratica flagitia magis fiunt in statu populari.

Plebs nō facilè incipit sed è vestigio comitatur præeunte autore.

Non quidem facile incipit, &, ut ait acer Historicus, *non facile prima vox plebis*, sed præeunte autore, è vestigio comitatur, & contagione veluti insanit. Equidem non nego esse etiam populo sua dominationis jura, quoties aliquis dominandi cupiditate captus Rempublicam invadit, libertatemque evertere conatur. Quo tempore extraordinario nonnunquam & repentino judicio opus est: at enimvero & honestatis & fidei haberi ratio debet; absque quibus erit non amplius imperium, sed flagitiosissima tyrannis.

An rectè Brutus Cæsarem interfecerit.

Quæri hic possit de C. Iulio Cæsare, an rectè à Bruto, Cassio, aliisque occisus sit? Equidem non ignoro, quid viri docti atque prudentes de hac re sentiant. At enimvero mihi hic ἐπέχειν libet. Certè secundum jura libertatis, sive, ut Cicero vocat jura civium, licuisse videtur civibus, quorum majores regnum juramento detestati erant, eum evertere, qui libertatis jura involabat. Quod si enim Princeps meritò in eum animadvertit, qui libertatis amans imperium sibi & vitam adimere conatur; quidni etiam populo licebit eum interficere, qui libertatem invadere tentat, & servitutem imponere civibus? Id ait Tacitus libro 1. Annal. *cum occisus Dictator Cæsar, aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur*. Respectu enim præsentis Reipublicæ nefariè fecerunt. Quippe is erat Reipublicæ status, ut salva esse non potuisset, nisi imperio ad unum devoluto, teste Tacito & Dione. Quod & Pomponius ait libro 2. §. 11. *de Orig. Iur. Evenit, ut necesse esset, Reipublicæ per unum consuli*. Quanquam haud scio annon Cæsar ipse, aliique, in causa fue-

rint

rint redactæ in ejusmodi statum Reipublicæ Romanæ.

CAPUT XX.

Ostenditur ratio divisionum & differentiarum in hac materia. Arcana mixtarum Rerumpubl. Imperium Germanorum mixtum.

ATque hæc sunt arcana flagitia dominationis, quibus illi utuntur, qui in Republica principatum obtinent, vel unus, vel pauci, vel multi. Qua in re non sum nescius, parari judicia & censuras. Alii negabunt, à numero aut multitudine imperantium differentias sumendas esse: alii dicent, plures esse Rerumpublicarum species, adeoque plura, ex mea ipsius sententia, enasci Imperiorum arcana. Non eo inficias, differentias essentiales, ut appellant, spectare vel commune, vel privatum commodum. Hujus respectus facit declinantes Respublicas ac παρεκϐάσεις, ut appellat Aristoteles, illius rectas atque bonas, in illis habetur ratio virtutis ac prudentiæ: in hisce nunc divitiarum, nunc paupertatis, nunc nobilitatis, nunc dignitatis, nunc etiam libertatis. At enimvero quod Patricii & Nobiles plerumque sunt pauci, multi vero, imo maxima hominum pars, ut est plebs, ignobiles & egeni; ideò ab accidentali potius differentia (quippe cum essentiali conjuncta,) ordinem auspicati sumus. Etsi autem nonnunquam evenit, ut Patricii sint pauperes, plebeji vero divites; ideo Respublica aliam formam non induit. Quare ea plerumq; est Aristocratica, in qua pauci imperant, Democratica in qua multi, Regnum in quo unus. Omnes tamen & singuli, pro conditione loci, temporis,

Ostenditur ratio divisionũ quibus autor in hac materia usus est.

Essentiales differẽtiæ Rerump. quæ spectent.

Quomodo secũdum ea varient Rerumpubl. παρεκϐάσεις.

 populi

populique natura, viri *ἀνδρεῖοι*. Posui enim & consideravi Respublicas quales pleræque fuerunt, & adhuc sunt.

Rerum Species. Quæ, ut ad alterum accedam, ad tres species referri possunt: unde totidem rationes administrandi facit Cicero & Tacitus. Prima occupatur circa naturam, & ingenium Optimatum sive Senatorum. Altera circa naturam vulgi. Tertia circa Regum atque Principum. Hæc non tantum Monarchiam & Dominationem complectitur; sed etiam Tyrannidem; illa & Democratiam, & Politiam, & Ochlocratiam: illa & Aristocratiam, & Oligarchiam.

Respublica mixta. Sed & mixtæ ex his fiunt Respublicæ; quales pleræque sunt, in quibus unaquæque pars sua habet vel arcana, quæ religiose servat; vel simulacra, quæ alia pars alii indulget; veluti cum imperium divisum est.

Respublica vix reperitur pura. Neque enim existimo facile puram atque simplicem Rempublicam reperiri. Nam sæpe partem aliquam imperii habet unus, partem populus, partem Senatus, vel Senatus & populus, vel Princeps & Senatus, vel Princeps & populus. De qua mixtione Livius *lib. 6. Non posse æquo jure agi, ubi imperium penes patricios, penes Tribunos auxilium tantum sit, nisi imperio communicato, nunquam plebem in parte Reipubl. fore*. Iamdudum enim illorum sententia repudiata est, qui negant jura Imperii dividi posse.

Imperium Germanicum. Imperium hoc certè Germanorum, quod Moguntinus Elector Aristocraticum esse dicebat in Comitiis Francofurtensibus, mixtum potius est; sicut & alia multa: adeóque unaquæque pars sua habet & imperii libertatisque

que jura, & arcana, & simulacra etiam, quod temperamentum inprimis colligo ex Aristotele. *lib.4.c.9. Politicorum, &* lib.4. Politicorum, c. 13. ubi de arcanis & sophismatibus agit. Ὥστε φανερὸν, ὅτι εἴ τις βούλεται μιγνύναι δικαίως, δεῖ τὰ παρ' ἑκατέροις συνάγειν, καὶ τοῖς μὲν μισθὸν πορίζειν τοῖς δὲ ζημίαν. οὕτω γὰρ κοινωνοῖεν ἅπαντες· ἐκείνως γὰρ ἡ πολιτεία γίγνεται τῶν ἑτέρων μόνον. *Itaque,* inquit, *manifestum est, si quis velit juste hæc temperare, oportere utrinque assumere, & illis quidem salaria constituere, his autem pœnam. Sic enim omnes communicarent. Nam illo quidem modo Respublica fit, vel alterorum solum.* Sed nunc porro videamus de Simulacris Imperii.

Arcana sophismata mixtarum Rerumpublicarum.

ARNOLDI CLAPMARII DE ARCANIS RERUM-PUBLICARUM, LIBER SEXTUS.

De simulachris Imperii.

CAPUT I.

Quid sint Simulacra Imperii, sive arcana inania. Quomodo differant ab arcanis, & Iure Imperii: item ab arcanis dominationis. Libertatis umbra: inania jubendi jura: nomen Imperii: Imperium sine re: imago sine re: blandimenta: vis ac vera potentia: ἀπεικόνισμα: εἴδωλον. In Rep. quomodo simulatio locum habeat.

Reipub. status perdurat quē omnes ejus partes amant. Id ut fiat, simulachra obtrudēda ab ejus administratione remotis.

AVreum est effatum Aristotelis, illum Reipublicæ statum diutissimè perdurare salvum & incolumem, quem omnes civitatis suæ partes amant & durare cupiunt. Ardua profectò res. Verumtamen ut id fiat, necesse est quędam Imperii & libertatis simulacra iis obtrudi, quibus aliàs aditus ad Rempublicam præclusus est. *Vbi enim*, ait idem Aristoteles lib. 2. Politicorum cap. 8. *Plebs nihil de Imperio habet, id mala Reipubl. signum est*. Sicut igitur arcana Imperii pleraque sunt occulta, sed validæ artes, quæ opponuntur hominibus seditiosis, quive è Reipublicæ administratione removentur: ita hæc simulacra sunt occultæ artes, sed inanes, sed cassæ, & ut Iovius appellat.

1. *Histor.*

1. *Histor.* inania jubendi jura, quæ iis indulgentur, qui extra Rempubl. sunt; & quibus aliud agitur, aliud simulatur.

Meritò tamen ab arcanis Imperii, & multò magis à Iure Imperii distinguenda sunt; quin potius iis opponenda. Hæc usurpant in Republica Principes; illa, qui imperii expertes sunt: sicut & ab arcanis dominationis differunt. Hæc enim civibus non licent: at simulacra indulgentur civibus. Et sunt speciosa saltem, &, ut Tacitus appellat, *Arcana Inania:* item, *Imperii inania & subdola*; *item species & Simulacra Imperii.* Plinius vocat *libertatis umbram*. Vmbra enim plerumque major est, quam is, quem refert. Veluti apud Varronem, *cornuat aurum, umbram jacit, icere parat.* Vmbram, id est, telum, cujus umbra imminebat. Idem Plinius alibi, *nomen*. Vt 1. Epistol. *Plurimum refert, quid esse tribunatum putes; inanem umbram, & sine honore nomen, an potestatem Sacrosanctam, &c.* Sic Tacitus 4. *Historiarum, vim principatus complecti, nomen remittere*. Et Iustinus: *Alii nomen Regis, alii imperium tenent*. Vnde Cæsar; *Nihil amplius Rempublicam esse, appellationem modo sine corpore*. Vellejus vocat *Imperium sine re.* lib. 2. *Hoc consulatu Pompejus tribunitiam potestatem restituit, cujus Sylla imaginem sine re reliquerat:* quale Imperium, scribit Otto Frisingensis, habuisse hæredes Bartoldi Zeringensis Sueciæ Ducis: Principes sine principatu, soloque nomine sine re participantes. Livius lib. 3. vocat *artem. Iam ne virtute quidem promi libertatem, sed arte ludi.* Et Iustinus *lib.* 14. *blandimenta. Eumenes*, inquit, *blandimentis agere.* Alii aliter.

Eorum ab arcanis imperii & dominationis differentia.

Varia illorum appellationes.

Quid iis opponatur.

Opponi vim & veram potentiam Principis & Imperii. Quibus simulacris opponitur *vis ac vera potentia, vis Imperii; vis Principis, jus Imperii.* De quibus nemo clarius, quam Tacitus. *Apud Romanos,* inquit, *jus Imperii valet, inania transmittuntur.* Et alibi 4. Annalium *sublatis manibus, vera potentia augere.* Deque his hactenus. *Cur appellentur simulacra.* Cæterùm ideò appellantur simulacra, quod externam aliquam & magnam speciem præ se ferunt. Qualia sunt simulacra Deorum. Virgilius.

Visa mihi ante oculos, & notâ major imago.

De quo supra. Ac sunt hæc simulacra ventosa, & veluti nuces cassæ, &, ut Horatius ait, *inopes rerum, nugaque canora.* Ideò in veteri glossâ simulacrum, ἀπεικόνισμα, εἴδωλον, ξόανον.

Magni fieri ab iis qui imperio carent. Porro qui ipsum Imperium habent, haud adeò magni faciunt hæc, quæ speciosa tantum sunt & umbratica: contra, qui re ipsa carent, videri malunt, quam & non esse, & non videri. Quo imprudentius Romani milites non contenti victoria, quam à Germanis obtinuerant, aggeres struxerunt, subscriptis victarum gentium nominibus. *Quod tamen id habere velint videri.* Vbi Tacitus 2. Annalium. *Haud perinde,* inquit, *Germanos vulnera, luctus, excidia; quam ea species, dolore & ira adfecit.* Argutè Modestinus, & commodè ad hanc materiam in *l.52. D. de condict. & demonst. Nonnunquam contingit, ut quædam nominatim expressa officiant, quamvis omissa tacitè intelligi potuissent, nec essent offutura.* Atque hæc etiam simulacra fere sunt, quibus aliud agitur, aliud simulatur. Illud simulatur agi, ut alii quoque participent Rempublicam; at vero seriò contrarium agitur.

At rursum

At rursum dices, dolum esse, qui non tantum in eo est, qui fallendi causa obscurè loquitur, sed etiam qui insidiosè & obscurè dissimulat, *l. 43. D. de contrahen. empt.* & qui perlusorie aliquid dicit, decipit *l. 69. de Evictione.* Tu vero, ne mihi privatos contractus ad publica negotia referas: in his summa ratio est salus Reipublicæ, in illis æquitas & justitia. In his deflectere parumper licet à regia virtutis via; in illis non item. Sed hæc tela supra à nobis discussa sunt.

An iis uti licitum.

CAPUT II.

Aliarum rerum Simulacra. περίεργος ἀπειρόκαλος, infrunitus. Speciosa inscriptiones librorum: Tumores Poëtici. Inania fama, inania honoris. τὰ κενὰ τοῦ πολέμου, Πανικά, belli simulacra. Tutanus.

HVjus rei exempla identidem reperiuntur in omni vitæ genere. Id ait Æschines. οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Ac quidem Græci eum, qui speciem rerum atque umbram capit, eleganter appellant περίεργον, ἀπειρόκαλον. Latini *infrunitum, ostentatorem.* Qualem in characteribus suis pulchre descripsit sapientissimus Theophrastus, & Cicero ad Herennium & Ammianus Marcellinus. *Alii, nullo quarente vultus severitate patrimonia sua in immensum extollunt, cultorum ut putant feracium, multiplicantes annuos fructus, quæ à primo ad ultimum solem se abundè jactitant possidere.* Et miles quidam distinguit apud Livium, *ostentare, non gerere bellum.*

In omni vitæ genere reperiri tales, qui videri volunt esse quod nõ sunt.

In doctrina & re literaria, nomine plerique malunt videri, quam esse, & solidam atque severam discendi rationem quotusquisque est, qui

Etiã in re literaria.

Inde speciosi librorum & vani tituli.

qui amplectitur? Et quid aliud subolent illa Pliniana ad Vespasianum de inscriptionibus, & speciosis titulis, qui, tanquam hedera vino, ita libris appenduntur: *Inscriptionis apud Gracos mira felicitas: κηρίον inscripsere, quod volebant intelligi favum: alii κέρας ἀμαλθείας, ut vel lactis Gallinacci sperare possis in volumine haustum. Iam Musæ, πανδέκται, ἐγχειρίδιον. λειμὼν πινακίδιον: inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit. At cum intraveris, dii deæque quam nihil in medio invenies.*

Fumi poëtici.

Quem etiam tumorem in Poëtis eleganter perstringit Horatius.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Contra, eum probat qui,

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

Cogitat, ut speciosa dehinc, miracula promat.

Omnium autem creberrime in communi vita hujuscemodi ventosas ostentationes reperias.

Hordeacea & ventosa ostentatio Sejani.

Atque insigne exemplum est in Sejano illo. Hic, ut erat homo fastuosus; superbire magnifice, & cum multo comitatu incedere, compellantibus difficulter respondere, iis qui vel loco non cesserant, vel obsequia & salutes non iteraverant, succensere, extremum malum minitari. *Ac tamen indicium vanitatis est,* inquit Dion, Sejanum eludens, *qui quod re ipsa carebat, hujuscemodi fuco capiebatur. Nam qui propria,* inquit, *nititur potentia, hasce salutationes & obsequia parum curat, & si omissa fuerint, non vitio vertit.*

Fama re neglecta captatio.

Pari stultitia plerique famam captant, re ipsa neglecta. Vnde Tacitus 2. Annalium vocat

cat *inania fama*: item, *ludos & inania honoris.* Sic in bello sunt τὰ κενὰ τοῦ πολέμου; item, πανικά. Vnde Lucretius *belli simulacra*. Et Curtius *lib.* 4. *Ac pleraque inania, sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor*. Ibidem. *Vanis & inanibus militem magis, quam justis formidinis causis moveri*. Et Livius *lib.* 3. *Vt non bellum, sed vanam imaginem belli Capitolium insedisse contenderent*. Quæ tamen simulacra, Annibalem ab Roma abegerunt. Vnde Tutanus Deus consecratus, *Varro in Satyr.*

Et in bello simulacra notantur.

Ejuscemodi simulacra in C. Rabirio Equite notat M. Tullius. *Vmbram*, inquit, *Equitis Romani, & imaginem videtis Iudices, unius amici conservatam auxilio, & fide. Nihil huic eripi potest, præter hoc simulacrum pristinæ dignitatis, quod Cæsar solus tuetur & sustinet.*

In Rabirio speciatim à Tullio.

Porro eodem exemplo in Republica sunt Imperii simulacra, quibus homines parum intelligentes inhiant, quæve viri in Republ. Principes facile aliis atque æquo animo indulgent. Quod Guicciardinus *lib.* 1. *Histor.* inter laudes ponit Aloisii X I. Caroli Octavi Patris: semper eum magis res ipsas, quam rerum umbras sectatum esse.

Simulacra Imperii in Republica notantur.

CAPVT III.

Quotuplicia sint Imperiorum simulacra. Simulacra Imperii regii. Magni tituli. Sacrificuli creatio. Venetorum simulacra. Sacerdos Turcicus: Regia sepultura.

AC quidem hæc simulacra identidem variare videntur pro varietate Rerumpublicarum. Quot enim sunt Imperiorum

Variant itidem pro rerum varietate.

 formæ,

formæ, totidem etiam sunt Imperiorum simulacra & quidem triplicia. Simulacra regia in Aristocratia, & populari statu: simulacra Aristocratica, in regno & populi Imperio: & Simulacra Democratica, in regno & Aristocratia. Totidem enim sunt etiam imperii arcana, quæ hisce simulacris opponuntur.

Unde tot eorum species quot & arcanorum. Simulacra regia.

Sunt autem simulacra regia, *occulta veluti privilegia, sed vana, atque, ut dixi, hordeacea, quæ ab iis usurpantur, qui imperio carent; ut quod non habent, videantur tamen habere.* Ac nescio, an uspiam plura hujus rei exempla reperias, quam apud Venetos, & in hoc etiam imperio. Dux enim Venetorum pleraque habet sola imperii simulacra, nonnulla etiam Imperii arcana; utpote titulum Ducis, primum locum sententiæ, munitam habitationem, & id genus alia. De Macedonibus Curtius lib. 4. *Macedones assueti quidem regio imperio, sed majore libertatis umbra, quam cæteræ gentes.*

Eorum exempla maximè apud Venetos.

In Romana Republicâ pauca.

In Romana Republica pauca simulacra regia reperio. An quod nonnulli scriptores non anxiè scrutati sunt, an vero quod ejectis Tarquiniis, uno velut ictu totum regnum absciderunt? Ac tamen illud insigne est, quod refert Livius lib. 2. *Rerum*, inquit, *deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, nec ubi Regum desiderium esset, Regem sacrificulum creant.* Est hoc simulacrum regii imperii. Nam sacerdotium Pontifici subjecêre, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret. Creatio etiam illa duorum Consulum, ideò magis libertatem aliquam introduxit, quod annua fuit, quam

Tale tamen creatio Regis sacrificuli. Item annua duorum Consulum.

quod

quod diminutum quicquam fuerit ex regia potestate, teste Livio *eodem lib.* Vnde Poëta:

Quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore consulibus:

Eadem Imperii species fuit in Muphthio, qui sub Selimo Turcarum Principe, primus superstitionis Mahometicæ Antistes & interpres, tantæ in speciem autoritatis fuit, ut refert Las. Sorantius, ut ipsius sententiæ nunquam quisquam aperte contradiceret, quoties verò Princeps ipse præsens aliquid imperat, Muphthius veluti attonitus, ad adulandum laudandumque prodit. *Item imperii species in Muphthio sub Selimo Turcarum Principe.*

Sed & illud simulacrum regium videtur, regio more sepeliri. Quod argutè juxta & sapienter Henricus IV. roganti cuidam cur Rudolphum, non Regem, regio tamen honore sepultum sineret, respondit: *utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent.* Vnde Poëta Germanus de rebus gestis Friderici I lib.7. *Regio more nō Regem sepelire.*

Stulta superstitio, quodque huic sors justa negarat
Viventi, stolidus morienti contulit error.

Quanquam aliter visa est sentire Theodora illa, quæ ad Iustinianum Imperatorem maritum trepidantem imperium occupare. Nescis, inquit, mi marite, quam pulchrum sit in sepulchro positum esse Imperatoris nomen. Aliter etiam Nero erga matrem. Quod tamen detestatur Tragicus in Octavio.

Simulacra, titulos, destruit mortis metu.

Cæterum illam in sepultura superbiam ridet in suo φιλέργῳ Theophrastus: *Quod si, inquit, uxor obierit, monumento ejus & mariti, & patris, & matris nomina inscribit, impro-* *Superbia in sepultura improbata.*

itemque cujas ipsa sit; tum hoc elogium insuper addit: singulari omnes isti probitate erant.

CAPUT IV.

Tiridatis Regis Parthorum inanis & fumosa ambitio: ferrum non tradere, provinciales amplecti, in honore consulari esse. Victis nomen, linguam, habitum, & vestes relinquere. Superba nomina, toruli fœminarum.

Regis nō regia petitioni gratiam facere. Exemplum in petitione Vologesis Parthorum Regis pro fratre Tiridate cui Romani morem gessere.

RIsi (neque enim diffiteor) postquam legi Vologesis illius apud Tacit. 15. Annalium ventosam, & minime regiam, imo abjectam ambitionem. Hic Vologeses propriis nunciis à Corbulone duce Romano petiit, ne frater suus Tiridates, postquam regium suum Diadema Neroni subjecisset; ferrum traderet, aut complexu provincias obtinentium arceretur, foribusve eorum assisteret; tantusque Romæ, quantus Consulibus, honos esset. Qualis hæc, dî boni, petitio pro Rege? nisi quod turpe erat Regi, discingi, & quidem, Parthorum Regi, qui semper, & de more gentis (teste Ammiano *lib.* 23.) cincti erant. Atque aliâs plebejis non licebat cōsules Legatos amplecti: quod Severus, Legatus tunc temporis Africæ, apud Spartianum ait: *Legatum populi Romani, homo plebejus, temere amplecti noli.* Sed nec exigua erat dignitas & autoritas Consulis, sed tunc temporis inanis, & sine ulla re. Quare Romani, qui hæc simulacra parvi faciebant, petitioni illius gratiam facile fecerunt. Ideò Tacitus: *Scilicet externæ superbiæ sueto non notitia nostri, apud quos jus imperii valet, inania transmittuntur.* Nam ut in cedendis ejusçemodi simulacris umbraticis iudulgentissimi

tissimi erant Romani; ita in retinendo jura & vi Imperii fuerunt studiosissimi.

Cujus rei etiam exemplum est apud Poëtam 12. Æneid. Iuno cum omnia nequicquam tentasset ut opprimeret Teucros, ne Imperium Italiæ invaderent; tandem veluti tantis rebus impar, à Iove petiit, ut quandoquidem Trojani Italia potituri essent, nomen tamen mutarent; Latini vero retinerent pristinum nomen, eandem linguam, eundum habitum:

Victis pristinũ nomen relinquere, eorumque nomen assumere linguam & habitum.

Ne velis Indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.

Ecquis adeò est nullius nasi, quin olfaciat hoc simulacrum solummodo esse, in quo Iupiter facile morem gessit Iunoni. Ita enim pergit Maro:

Olli subridens hominum rerumque repertor.
Do quod vis, & me victusque volensque remitto.

O victoriam inanem. Idem fere de Longobardis scribit aliter ille Augustus vates lib. 2.

Exemplum in petitione Iunonis cui morem gessit Iupiter.

Dicitur à Longis ea Longobardia barbis,
Protinus indigenis paulatim sanguine mixto,
Barbara plebs, præter consuetum gentibus usum,
Transiit in sociam suscepto nomine gentem.

In Lõgobardis.

Superba nomina, magni tituli, inania sunt: & de quibus parum solliciti sunt viri fortes, modò rem ipsam habeant. In quo Comicus ludit militem illum Pyrgopolinicem, *plenum*, ut ait, *gloriarum, de campus Gurgustidoniis, de Bombomachide, Cluuinstati, Dysarchide*. Quæ eadem

In Pyrgopolinice.

Falsos triumphos ementientibus.

eadem vecordia erat eorum qui falsos triumphos ementiebantur, vel de falsis pugnis ad Tribunum referebant. Qua de re idem Plautus. *Mille commemorari possunt, qui convicti & condemnati falsis de pugnis sient.* Qualem gloriolam multi è mustaceo quærunt, veluti fœminæ ex torulis, quæ, ut est apud Iuvenalem *compagibus altum ædificant caput*, quas Lucanus appellat turritam coronam.

CAPUT V.

Simulacra Aristocratici Imperii: non omnia momento immutare: eadem vocabula magistratus relinquere, paulatim καὶ βραδέως ποδὶ, insurgere: cuncta per consules incipere: speciem pristinæ reipubl. relinquere.

Simulacra Aristocrat. Reip.

HVjuscemodi, & id genus alia, obtrudi fas & mos est iis, qui imperii nomine delectantur; tum ut hisce perceptis altiora negligant; tum etiam ut mutato regno umbra prioris Reipublicæ remaneat.

A Tacito diligentissimè expressa.

Mutata Republ. paulatim exercendus Principatus relicta Reip. umbra.

Atque eodem modo, republica Aristocraticâ in regnum mutatâ, imagines quædam libertatis relinquuntur: quas nullus Historicorum aut Politicorum acrius diligentiusque expressit quam Cornelius Tacitus; cui qui Salustium præferre ausi sunt, næ illi hæc occulta atque arcana consilia parum intelligunt. Quo magis absurdum est, & ut ICti loquuntur, novum, quod disputat acutus Scriptor ex Hetruria; mutata republica, omnia uno momento mutari oportere. Quod cum aliàs neget, quoties tyranni opprimuntur, & cives se in libertatem vindi-

cant; mirum est, quare hoc in novo principatu statuat. Cæsari certe hæc mutatio acceleravit interitum. Plurima enim, ait Tranquillus, in Cæsare immutavit, continuum consulatum; perpetuam Dictaturam accepit, Præfectos pro Prætoribus constituit, &c, spreto patriæ more, Magistratus in plures annos ordinavit.

Cæsaris in eo funestus error.

Quo prudentius Augustus, de quo Tacitus 1. *Annal. Domi res tranquillæ, eadem magistratuum vocabula:* & regulariter, ut ait Vlpian. l. 16. *D. constitut. princ. In rebus novis constituendis, evidentem utilitatem esse debere, ut recedatur ab eo quod diu æquum visum est.* Quare de eodem Augusto Tacitus ibidem *insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se transferre, nullo adversante.* Et vide astutiam Augusti. Non solum enim veterem morem reliquit; sed etiam exegit, ut quoties sibi consulatus daretur, binos pro singulis collegas haberet, clamantibus cunctis, satis majestatem ejus imminui, quod honorem eum, non solus, sed cum altero gereret. *Suetonius in Augusto.*

Augusti prudentia, ejusque exẽplo.

Quem Tiberius secutus, *paulatim*, ut idem Suetonius ait, *Principem exercuit*, hoc est, lento nisu, &c, ut Euripides eleganter ait σιγῶ καὶ βραδεῖ ποδί. Et Tacitus 1. *Annal. Cuncta*, inquit, *per Consules incipiebat; tanquam vetere Republica.* Et alibi, *Sua*, inquit, *Consulibus, sua Prætoribus species.* Vmbram nimirum & speciem veteris Reipublicę relictam oportuit, quâ mirificè capitur vulgus. Idem ait Tacitus lib. 2. Annal. *Erat adhuc frequens Senatoribus si quid è republica videretur, loco sententiæ dicere.*

Tiberii.

Eâdem arte usus est Laurentius Mediceus occupata

Laurentii Medicei.

occupata iterum Republ. Florentina. Nam ut demulceret Civium animos, qui Soderino favebant, Iohannem Baptistam Rudolphum popularem & libertatis studiosum, in locum Soderini annuum Vexilliferum creavit, ne videretur Aristocratiam inducere. Idque minimè observarunt Decemviri apud Romanos. Ideò Livius lib. 3. *Læta principia magistratus ejus nimiû luxuriavêre, eo citius lapsa res est, repetitumque, ut duobus mandaretur consulum nomen imperiumque.* In eandem sententiam expressè Aristoteles *lib. 4. Politicorum, cap. 5. Contingit autem hoc maxime post mutationem Rerumpublicarum. Non enim statim mutantur, sed contenti sunt homines ab initio parva accessione potentiæ: Itaque leges quidem manent, ut erant; prævalent tamen, qui Rempubl. mutaverunt.*

Decemvirorū in hoc error.

CAPUT VI.

Non usurpare novos, aut fastuosos titulos. Princeps senatus. Civitatis, plebis Princeps, Tribunatus: à Regio, & Domini, & Iovis titulo abstinere. Servum servorum se appellare. Fratrem se profiteri civium. Superstitio & curiositas circa titulos.

IDque adeò verum est, ut etiam primi Principes atque Imperatores Romani, non alios titulos usurparint, quam qui usitati erant in Republica Romana. Hoc enim esset, ait Suetonius *dominatione abuti.* Tacitus *lib. 1. Annal.* de Augusto: *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere: qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit,* Et Dion de Tiberio; *Princeps à Senatu, ritu prisco, dicebatur; & ipse sæpe ajebat, dominum*

num se servorum esse, Imperatorem militum, Principem cæterorum. Principis enim vocabulum usitatissimum erat in Republica Romana. Livius lib. 2. *Appius in Principum dignationem pervenit:* & lib. 4. *plebis Principes.* & passim *Princeps Senatus, & civitatis:* Varro: *interrogatur*, inquit, *à Principe civitatis.* Contra, Domini nomen, sicut & Regis, infensum erat apud Romanos. Quo alludit Martialis:

Principis nomē erat apud Romanos usitatissimum.

Dominī vocabulū sicut & Regis infensū:

Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis,
Dicturus Dominum Deumque, non sum,
Iam non est locus hac in urbe vobis.

Notatur rursus Tiberii in hac re prudentia.

Idem enim Tacitus de Tiberio, *acerbe*, inquit, *increpuit eos; qui divinas occupationes, ipsumque dominum dixerant.* Id enim laborabat, ut externa Reipubl. forma, quam solam intuetur plebs, aliquamdiu conservaretur.

Augusti.

Ideoque Augustus haud alia, quam tribuniciæ potestatis præscriptione Senatum coëgit; & ut Vellejus clarius, *præmunienda regalis potentiæ tribunatum ingressus est.* Sic Philippus Rex Macedoniæ, devicta Græcia, non Regem se Græciæ, sed ducem appellari jussit, *Iustinus lib. 9*, Et Alexandro mortuo, Principes Macedoniæ non prius Reges appellari cupiverunt, quam tota Alexandri stirpe mortua. Ita enim Iustinus *lib. 15. Regii honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt quamdiu filii Regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, ut cum opes regias haberent, Regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro justus hæres fuit.* Et singularis in Vespasiano fuit, modestiane an vero prudentia, quod Vologesen, qui ad eum scripserat his verbis:

Philippi Macedonis.

Principū Macedoniæ post mortem Alexandri.

Vespasiani.

Notatur ex adverso Patriarcha Constantinopol. reprehensus à Greg. magno. Alexander Magnus. Iulianus Medices laudatur.

bis: *Rex Regum Arsaces Flavio Vespasiano salutem:* ne reprehendit quidem, sed ei iisdem verbis, non asscriptis Imperatoriis nominibus, respondit.

Aliter Gregorius Magnus Patriarcham Constantinopolitanum acriter monuit, ne se appellaret universalem Dominum, sed potius Servum Servorum. Quam insolentiam etiam in Alexandro Curtius arguit lib. 4. *Iovis filium se non solum appellari passus est; sed & jussit, & rerum gestarum famam, dum augere vult, tali appellatione corrupit.*

Quare Iulianus ille Medices, autore Iovio in vita Leonis X. ex tanto temporum locorumque intervallo reductus in Rempublicam Florentinam, primum non in Medicæas ædes, sed in Albicianam se contulit; deinde singulari humanitate & comitate, Domini & Magnifici nomen repudiavit, seq; civem omnium æqualem, atque omnium fratrem esse professus est.

Vitellii insolentia.

Quo insolentius Vitellius tunc demum Cæsarem se appellari jussit, cum de Imperio periclitaretur, antea aspernatus. Est igitur hoc arcanum simulacrum formæ aristocraticæ in Principatu.

Superstitio circa titulos hodieq; magna.

Cęterum fuit & olim nonnunquam & hodiè propter præjudicium aliarum rerum, magna superstitio titulorum: idque est quod Patres Romani maluerunt communicare plebi consularem potestatem, quam consulum nomen, teste Dionysio. Vnde Curtius lib. 4. refert, *Alexandrum præcipue movisse id, quod Darius sibi Regis titulum, nec eundem Alexandri nomini asscripserat.* Sic, cum Iulius Pontifex Pompejo Columnæ per literas gratiam & reditum polliceretur; Columna tamen literas illas

illas, quod Episcopi Reatini titulum in præscriptione non posuerat, rejecit, præconique dixit, alibi eum Pompejum, ad quem Pontifex scripserat, esse quærendum, se esse Episcopum Reatinum. Qua de re nonnunquam maximæ controversiæ fuerunt inter Imperatores & Pontifices. Vnde Gunterus:

Verba remittebat chartis odiosa superbis.

CAPVT VII.

Senatum participem facere comitiorum; ut habeat potestatem creandi minores magistratus, & gerendi. Quæstura Romanorum. Pontifices horum arcanorum Magistri.

COmitiorum jus, ut primo libro dixi, summi Imperii est. Quare Principes Romani illud, qua pote arte, in se traxerunt, sed lentè ac pedetentim. Imaginem enim comitiorum reliquerunt Senatui. Iulius Cæsar, teste Suetonio, illud cum populo divisit, Consulum creatione exceptâ, quam sibi & Senatui asscripsit. Idem fecit Augustus. Tiberius verò totum comitiorum jus, exclusâ plebe, cum Senatu fere communicavit. *Imaginẽ comitiorum remittere Senatui.*

Hic dices; hæc summi Imperii fuisse, ideóque minimè cum Senatu communicanda. At enimvero non tam ipsa communicabatur res, quam rei tantum species, dirigente identidem & administrante summo Principe. Ad hæc in novo principatu quibusdam concessis opus est, quæ postea, corroborato imperio, facile abolentur. Tacit. 1. *Ann. Tunc primum è campo comitia ad patres trãslata sunt. Nam ad eum diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant*; (nota mihi hoc loco *Speciem Imperii communicare cum Senatu, sed omnia moderante Principe.*

loco hujus simulacri vestigium) *neque Populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore; & senatus, largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa* & *ambitu designandos*. Hæc Tacitus. Quorum quidem pleraque nihil aliud sapiunt, quam imperii simulacra. *Potissima enim*, inquit Tacitus, *arbitrio Principis fiebant*. Itaque in fine lib. I. explicata ratione comitiorum, quæ maximè confusa videbatur, subjungit: *speciosa verbis, re inania, aut subdola, &c.* Hujuscemodi imaginem reliquit pristinæ Reipublicæ. Enimvero Consulum renunciationem, quorum erat summi imperii nomen, teste Pompon. *l.2. de orig. jur.* in se transtulit, aliorum magistratuum, inaniorumque, ad Senatum retulit, commendatione sua interposita. Minores namque magistratus creare, minores etiam gerere, simulacra tantum Imperii sunt.

Creare & gerere minores magistratus, simulacrum est Imperii.

Cum primis tamen cavendum est, ne ulterius progrediantur. Quemadmodum Romæ plebeji questores facti, de quo Livius lib.4. *Pro ingenti*, inquit, *victoria id fuit plebi, quæsturamque non honoris ipsius finem æstimabant, sed patefactus ad Consulatus ac triumphos locus novis hominibus videbatur. Patres contra non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere, negare, si ita ea sint liberos tollendos esse.*

Restringenda esse hæc simulacra:

Cæterum hanc artem egregiè calluerunt Pontifices, ut notat Alber. *in l.3. C. de quadrien. præscript.* Cujus verba non dubitavi huc referre, quod præsenti rei cōvenientissima sunt: *Pontifices*, inquit, *Ecclesiæ Romanæ insigni astutia, secundum temporum varietatem, sua varia-*

Pontifices Romanos egregiè hanc artem calluisse.

variarunt statuta, nunc imperium attollendo, nunc deprimendo, de tempore in tempus; nullam ob causam, nisi ut sensim omnia & cœlestia, & terrena, spiritualia, & temporalia pedibus suis, ut palam gloriantes, subjicerent. Ego quorundam pragmaticorum libros inspexi tantum: ac tamen mirificè me capiunt, propter acumen & maximarum rerum scientiam atque usum. Ad quorum tamen lectionem, delicatuli nostri juvenes fere nauseant: quasi vero non aliquando lucri sit, ex fæce aquam haurire.

CAPVT VIII.

Altereationes Senatui præbere. De omnibus rebus ad P.C. referre. Quædam ad Senatum rejicere; ut coërcitationem luxus, provinciarum postulata; in speciem etiam ea, quæ majora sunt offerre.

ACtum fuit in Senatu Romano de seditione Histrionum, dicebanturque sententię, ut Prætoribus jus virgarum in Histriones esset. Ibi tunc intercessit Haterius Agrippa, increpitusque est Asinii Galli oratione. Vbi Tacitus; *Silente Tiberio, qui ea Simulacra Libertatis senatui præbebat.* Ecce Senatorum libertas altercationes & dissensiones, appellat simulacra libertatis. Idque olim stante Republica licebat. Vt videre est in orationibus apud Livium, & inprimis ex duabus illis & diversis Catonis, & Cæsaris apud Salustium. *Senatoribus altercationes & dissensiones libertas præbere & ad eas silere.*

Idem certamen fuit inter Pisonem & Gallum; censente Pisone, de publicis rebus agendum esse absente Principe, ut Senatus & Equites sua munia sustinerent: Gallo contra dicente, nihil ex dignitate populi Romani agi posse, nisi coram & sub oculis Cęsaris. Vbi idem Tacitus *Certamẽ inter Pisonẽ, & Gallum.*

citus 2. *Annalium, audiente hæc Tiberio, & silente.* Quæ contradicendi licentia, magnam præ se ferebat libertatis veterisque Reipublicæ imaginem.

Inde observata diversitas ingeniorum in Senatu Romano. Tiberii Patres castigantis quod cuncta ad Principes referrent factum imperii simulacrum.

Ex quo loco vide quæso, & considera diversitatem ingeniorum in Senatu Romano. Pisonis enim sententia, quam fuit Aristocratica? Galli verò, quàm assentatoria & obsequiosa? Nam quod per literas Tiberius castigavit Patres, cur cuncta ad Principem referrent, id refero ad simulacrum Imperii. Sicut & illud Suetonii de Augusto: *res novas molientem Senatui damnandum tradidit.* Et de Tiberio. *Quinetiã speciem quandam libertatis induxit Senatui ac Magistratibus; & majestate pristina, & potestate. Neque tam parvum quiddam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad Patres conscriptos referretur.* Et sane magnificè in oratione quadam Tiberius, sed subdolè: *Majus aliquid & excelsius, in Principe requiritur.* Ita enim ego sententiam illam intelligo; longè aliter atque alii. Nimirum Senatui concessit & remisit ea, quæ nullius momenti erant; ut erat coërcitio luxus in vasis, vestibus, multitudine servorum; ipse vim & jus Imperii tenuit; quod ait multo majus atque excelsius esse. Illa enim minora atque inferiora negotia tutò ministris committuntur. Vnde Horatius.

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit.

Eadem quoque de Decemvirorum imperio Livius lib. 3. *Quædam, quæ sui judicii videri possent, ad populum rejecerunt.* Qua in re omnes fere Principes superasse mihi videtur Tiberius.

Disertè

Disertè Tacitus 3. *Annalium. Tiberius vim principatus sibi firmans. Imaginem antiquitatis Senatu præferebat, postulata provinciarum ad disquisitionem Patrum mittendo.* Quomodo identidem Consulares, præfectos exercitibus corripuit, quod non de rebus gestis Senatui scriberent, quodque de tribuendis militibus donis, ad se referrent, quasi non omnium tribuendorum ipsi jus haberent. Mira, me hercules, astutia, quippe quod hæc omnia solius erant Principis, veluti Dominationis arcana. Quam etiam vafritiem in eo comperio, qui tamen, quoties de paulo majoribus negotiis agebatur, toties fere adversatus est Senatui, retinendæ Dominationis causa. Quod acutè, ut omnia Tacitus 2. *Annal. Inclinatio Senatus incitamentum fuit Tiberio, quo promptius adversaretur.* Sed hoc potius arcanum quoddam Dominationis est.

ut & Præfectos exercitus corripuentis quod de tribuendis militibus donis ad se non ad Senatū referrent.

Arcanū dominationis quod in majoribus negotiis Senatui adversabantur.

CAPUT IX.

Decennalia Imperii. Senatui tradere regendas Provincias imbelles. Exercitum appellare non suum, sed populi Romani. Senatum appellare caput Imperii. P. Conscriptos in Oratione præponere Cæsari. Senatui assurgere, via cedere: Senatum appellare Dominos suos. Senatui jus vectigalium ad tempus demandare.

Notantur varia imperii simulacra in Augusto.

Eiusdem notę sunt decennalia illa Imperii. Etenim Augustus ne videretur perpetuum Imperium invasisse, promisit, decennio post, non modò imperium, verum etiam provincias,

Decennalia illa imperii.

Provinciæ quarũ incolæ minus erant bellicosi senatui ut inermis esset relictæ, aliis sibi reservatis.

Exercitum vocare pop. Rom. Remp. dicere rempopuli, nõ suam.

Post patres demum conscriptos Cæsares appellare.

Senatũ caput Imperii,

vincias, quas sortitus erat, Senatui à se restitutum iri. Quo tempore elapso tantum abfuit, ut restituerit regnum, ut sibi iterum in decennium prorogaverit. Refero ego hoc ad simulacrum Imperii, quo Augustus lactabat, & producebat Senatum Romanum. Sicut & illud, cujus meminit Dion *lib.* 35. quod eas provincias Senatui reliquit, quarum incolæ minime erant bellicosi aut feroces, quo videretur omnes belli molestias Senatui adimere, atque in se transferre. Quocirca potentissimas quasque provincias ipse administravit. Vbi Historicus Ἔργον δὲ, inquit, *ἵνα δῆθεν τῇ προφάσει ταύτῃ ἐκεῖνοι μὲν καὶ ἄοπλοι, καὶ ἀπόλεμοι ὦσιν· αὐτὸς δὲ δὴ μόνος καὶ ὅπλα ἔχῃ, καὶ στρατιώτας τρέφῃ. Revera autem ideò fecit, ut Senatus inermis esset, ipse vero arma & milites haberet.* Ac tamen, quod maximum erat antiquæ libertatis simulacrum, exercitus Romanos non Principis appellari voluit, sed populi Romani. Ideò Cicero de Lepido, *Meminisset, non suum illum exercitum, sed populi Romani esse*: & Adrianus ita se Rempublicam gessurum, ut sciret rem populi, non suam esse.

Eadem ratione post Patres Conscriptos demum Cæsares appellabantur; ut apparet ex illo Crispi municipis Visillensis, quod Interpres Iuvenalis citat: *P. C. & tu Cæsar.* Eâdem simulatione Otto Imperator Senatum Romanum appellavit *caput Imperii*, Tacitus *libro* 1. *Histor.* Quo nomine etiam Duces Imperatores appellabantur, Tacitus 3. Annalium. *Tiberius id quoque Blæso tribuit, ut Imperator à legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta Republica gaudio & impetu victoris exerci-*

Duces belli appellare Imperatores.

exercitus conclamabantur: pluresque simul Imperatores, nec super cæterorum æqualitatem. Concessit quibusdam & Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæso. Videntur hæc nullius rei esse, quorum tamen neglectio maximam invidiam conciliavit Principibus; veluti Iulio Cæsari, quod Senatui non assurrexit. Suetonius *Præcipuam*, inquit, *& inexpiabilem invidiam sibi movit, quod adeuntes se cum honorificentissimis decretis universos P. C. sedens pro æde Veneris genitricis excepit.* In quo Augustus sapientior, Patres salutavit sedentes, ac nominatim singulos, nullo submonente, & discedens sedentibus singulis valedicebat. Et de Tiberio, *Cõsulibus assurrexit, & decessit via.* Ecquid aliud vult Oratio illa Tiberii ad Senatum, vel potius simulatio? *Et nunc & sæpe aliàs dixi P. C. bonum & salutarem Principem, quem vos tanta & tam libera potestate instruxistis, Senatui servire debere, & universis civibus sæpe, & plerumque etiam singulis, neque id dixisse me pœnitet: & bonos & æquos & faventes vos habui dominos, & adhuc habeo:* Suetonius in Tiberio planè ex consilio Seniorum erga Rhoboam: *Si hodie fueris servus populo huic, servierisque eis, & locutus fueris eis bona verba, erunt tibi servi omnibus diebus,* 1. Reg. 12. Quam ob causam etiam Tiberius nunquam curiam nisi solus intravit, & lectica introlatus æger, Comites à se removit.

Sedenti senatui assurgere & valedicere.

Via decedere.

Senatores Dominos appellare.

Cujus generis est identidem illud, quod Nero vectigalium constitutionem, quæ ut dictũ est, & teste Hermogeniano, est summi Principis, indulsit Consulibus & Tribunis *acri*, ut loquitur Tacitus, *libertate*, in speciem nimirum & ad tempus tantum. Neque aliter acci-

Vectigaliũ constitutionem indulgere.

pio initium illud Neronis, quod tantopere prædicatur. *Teneret antiqua munia Senatus: Consulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ assisterent: illi Patrum aditum præberent; se mandatis exercitibus consulturum.* Talia in initio regni usurpari solent civilitatis indicia, & plena illecebris ac technis.

CAPUT X.

Simulacra Imperii Democratici. Varias voluptates, ut ludos & spectacula, præbere plebi: congiaria militibus & plebi dare: plebem laudare, gratias agere. Hominum, rerum, ac temporum ratio in publicis negotiis.

Simulacra quæ cum in regno tum in Aristocratia plebi obtruduntur.

PORRO cum in regno, tum etiam in Aristocratia, plebi quædam obtruduntur simulacra, quibus veluti lacte se pascit atque infatuatur, & ut Lucretius ait, *decepta non capitur.* Id quod ait Canulejus ille *lib.* 4. apud Livium: *Nemo est nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in Republ. bonorum, nec in privata connubii societas est.*

Augustū talia multa excogitasse inter quæ indulta populo voluptates, ludi & spectacula exhibita.

Augustus certè, occupato imperio, varias & occultas artes excogitavit, quibus populum, memorem adhuc pristinæ libertatis, occupatum teneret sibique devinciret, donis, annona, dulcedine otii, inprimis verò indulgendis voluptatibus, adeoque ludis atque spectaculis exhibendis. Vnde Cicero appellat popularia munera. Hinc enim fit, teste Aristotele lib. 6. Politicorum cap. 4. *ut plebs præsentem Reipublicæ statum amet, siquidem plerisque lubet dissolutè vivere, quam modestè.* Locus est

hac

hac de re insignis apud Tacitum in vita Agricolæ, qui à me adducitur, non tantum quod huic rei conveniens est; verum etiam propter multifarias prudentiæ notas. *Sequens*, inquit, *hyems saluberrimis consiliis absumpta. Namque ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adjuvare publicè, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos & castigando segnes. Ita honoris æmulatio, pro necessitate erat. Iam verò Principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent; inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga, paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.*

Locus Taciti huc pertinẽs, in quo & aliæ prudentiæ notæ.

Primum ait, voluptatibus frangi atque conservari plebem. Est enim hoc simulacrum aliquod libertatis. Quippe vulgus cum hujuscemodi voluptates impunè exercet, omnia se assecutum esse existimat. Ideò Tacitus de Augusto *lib.* 1. *Annal. Neque ipse abhorrebat à talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi:* ut ut hoc animi vitium esse existiment Iurisconsulti. Quare Augusto cupienti hanc licentiam restringere, respondit Mecænas ille prudentissimè: Συμφέρει σοι Καῖσαρ περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποτρίβεσθαι: *Expedit tibi Cæsar plebem sic occupatam esse.* Et Livius *lib.* 5. de Vejorum Rege; eum in odio fuisse, *quod solennia ludorum, quæ intermittere nefas erat, diremisset.*

Primò docet quomodo plebs frangatur voluptatibus, tãquam libertatis simulacro.

Augusti in hac re exemplum.

Reprehenduntur Galba, Piso, Pertinax, Hadrianus Sextus in nimis severè restituenda disciplina.

Quo imprudentius mihi fecisse videntur Galba, Piso, Pertinax, Hadrianus sextus, aliique in nimis severè restituenda disciplina. Omnium turpissimè Galba, qui eo tempore, quo hæredem designabat Imperii orbis terrarum, donativum negavit militibus, & quidem Prætorianis, in quorum manu posita erat salus Principis. Quibus eo tempore indulgendum erat potius, quam danda occasio, qua omnem disciplinam abrumperent. *Constabat enim*, inquit Tacitus, *potuisse conciliari animos quantulacunque parci senis liberalitate.* Qua severitate, cum intellexisset Galba se militem offendisse; tunc demum de congiario cogitavit: sed sero, ideóque frustra. *Sera tunc remedia*, inquit ille, *cum vulnus jam ad extremos halitus pervenit.* De Ottone verò postquam milites muneribus expugnasset, quæ & qualia Tacitus: *Nec deerat*, inquit, *Otto protendens manus, adorare vulgus, jacere oscula, & omnia Serviliter, pro Dominatione.* De Pisone vero: *Nec*, inquit, *aliud sequenti quatriduo dictum à Pisone in publicum factumve.* Eant hujuscemodi Pisones in Vtopiam alicujus Mori, indigni & impares turbulento imperio.

Alterũ apud Tacitũ simulacrum Gallis à Romanis prælata Britannorum ingenia. Laudes seditiosorum & pigrorum militum simulatæ.

Sed ad priorem locum Taciti redeo: Romanos Britannorum ingenia prætulisse Gallis. Astutè medius fidius. Eâdem arte usus est Consul Romanus apud Livium lib. 3. *Agite*, inquit, *juvenes, præstate virtute peditem, ut honore atque ordine præstatis.* Et Otto, qui militum seditionem, pietatem appellavit. *Nimia*, inquit, *pietas vestra, acrius quam consideratius*

hunc

hunc tumultum excitavit. Ideo Tacitus *Romanos laudando Britannorum barbariem* fregisse. Vnde Livius libro 2. *Addebantur & laudes*. Et ibidem, *Cohortes Latinæ Hernicæque, gratiis ob impigram militiam actis, remissæ domos*. Et argutè Scaliger in Epidorpidum libris, plenis, non dicam Socraticis, sed divinis sermonibus:

Seditiosos milites appellare pios. Plebem Laudare. Popularitatem hāc non convenire omnibus nec omni tempore.

Laudarier à plebe aditum dat ad Senatum,
Laus ore Senatus dabit imperare plebi.

Cæterum hæc popularitas Histrionica in Augusto laudem meruit: in Vitellio vituperium, Tacitus 3. *Historiarum. Sed comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans, omnem infimæ plebis rumorem, in theatro ut spectator, in circo ut fautor, affectabat: quæ grata sanè & popularia, si à virtutibus proficiscerentur; sed memoria vitæ prioris indecora & vilia accipiebantur.* Nimirum verè Plinius 6. Epist. *Non omnibus eadem conveniunt: præterea faciendi aliquid, vel non faciendi, vera ratio tum hominum ipsorum, tum rerum ac temporum initur*.

CAPVT XI.

Παῤῥησία *& libertas dicendi, scribendique. Turcarum reverentia erga Principem. Plebs natura loquax, & verbis se ulciscitur. Rumusculi & pasquilli frustra prohibentur*.

MEmorabile mihi visum est, quod memoriæ proditum est de reverentia Turcarum erga Principem, grande nefas esse, de Principe sinistre cogitare; idq; severissimè vindicari. Quod recenti exemplo testatum fecit

Notatur alterum simulacrum, puta, indulta plebi dicendi scribendique libertas maximè in cruda servitute. Quæ remota à Turcarum imperio.

cit hodiernus Mahometes. Nam Scholasticorum, quos Totsi sua lingua vocant, 500. crudelissimè interfecit, quod erga eum significationem aliquam cogitationis minus pudicæ edidissent. Id quod iniquissimum esse dicerem, nisi me idem monuisset sapiens Ecclesiasticus cap. 19. *Etiam in cogitatione tua Regi ne maledicas, & in penetralibus cubiculi tui ne maledicas diviti: quia avis cœli deferet vocem ipsam, & habens alas, annunciabit verbum.*

Concessa ei ab antiquis Vngariæ Regib.

Paulo humanius antiqui Reges Vngariç, quos, teste Ottone Frisingense, nemo non solùm manifestis contradictionibus exasperare; sed etiam occultis susurris lacerare impunè audet.

Itidem à plerisq; Imperatoribus Romanis.

Cæterum plerique Imperatores Romani hanc maledicendi licentiam populo indulserunt. De Cæsare Suetonius. *Si qua aut cogitarentur gravius adversus se, aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare: & acerbe loquentibus satis habuit pro concione denunciare, ne perseverarent.* Vnde olim non appellabantur seditiosi; sed tantum novi sermonis autores, ut videre est apud Livium *libro* 5.

Ratio hujus simulacri in plebis loquacitate.

Plebs enim, ut est naturâ loquax, ita præclarè secum agi autumat, si possit lingua ad criminandum pro libidine uti; libertate præsertim amissa, & cruda adhuc servitute: ut Iustinus ait *lib.* 9. *Quoniam rebus nequit ulcisci, verbis usurpare libertatem cupit.*

Quod ait Tiberius apud Tranquillum, *in civitate libera, linguam menteq; liberas esse oportere.* Quid enim plebi reliquum erit, adempto per inquisitiones loquendi audiendique commercio? Vnde idem Tiberius, cæteroquin severissimus, *in se*, inquit, *jacta, nolle ad cognitionem vocari.* Et pulchrè Crematius in Oratione

tione quadam apud Tacitum. *Ipse D. Iulius, ipse D. Augustus tulere illa & reliquere; haud facile dixerim moderatione magis, an verò sapientia, nam spreta exolescunt, si irascare, agnita videntur.* Adde, quod lubricum linguę ad pœnam non facile trahendum est, *l.* 7. *D. ad leg. Iul. Majest.* Ac tamen difficile est nonnunquam viris potentibus hæc devorare atque concoquere. Ideò Augustus ad Tiberium. *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli hac in re indulgere, & nimium indignari, quenquam esse, qui de me male loquatur, satis est si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit:* prudenter & rectè. Qui enim mentem atque nasum habet, hæc identidem susque deque habet, contentus ipsa vi Imperii. Idque Laurentius ille Medices dicere solitus est: *Loquantur illi, nos vero faciemus.* Et Lycus apud Senec. in Hercul. *Ars prima regni, posse te invidiam pati.*

Lubricum linguæ non facile ad pœnam trahendum docetur monitione Augusti facta Tiberio.

Lyci apud Senecam.

Sed & crudele est, ut facta, ita dicta punire, Curtius lib. 8. *Detestabile carnificis ministerium occupaverat Rex verborum licentiam, quæ vino poterat imputari.* Et quis tantis cervicibus qui comprimat? *Ingens opus,* canit Poëta, *labore bisseno amplius.* Adeò nimia coërcitio *alimentum famæ est,* ut scribit Tacitus, Caute tamen faciet, si ex iis, quos potest, studiose notet, ab iisque sibi diligenti custodia caveat. Nam, ut ait Alexander apud Curtium lib. 6. *Linguæ temeritas pervenit ad gladios.* Quæ causa fuit latæ Constitutionis à Theod. *l. unica. C. si quis Imper. maled.* Cujus sufficit hic meminisse; quod ab aliis lucem accepit.

Dicta ut facta punire, crudele esse & noxium.

Coërcitio alit rumusculos.

Eadem est prurigo scribentium; Nero tamen scriptorum monumenta concremare voluit,

Ratio altera hujus simulacri in scribentium prurigine.

voluit, arbitratus scilicet illo igne vocem populi Romani, libertatem Senatus, & conscientiam generis humani aboleri. *Ac contra*, inquit Tacitus 11. *Annal. punitis ingeniis gliscit autoritas: neq; aliud externi Reges, aut qui eadem sævitiâ usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperêre.* Qua de re valde jucunda est Historia apud Iovium, de Hadriano sexto; qui cum gravissimè ferret, se famosis carminibus apud Pasquilli statuam lacerari; postea id civili animo tulit, edoctus à Ludovico Suessâno, eam maledicendi licentiam obscurorum hominum libertati atque nequitiæ dari, ut cum insignes viros impunè carpserint, fortunam suam ea vindictę cupiditate consolentur.

Adriani sexti historia apud Iovium.

CAPVT XII.

Ad leviora delicta connivere. Quomodo nimiis remediis delicta accendantur. Paucorum supplicio contentum esse.

PErmultum quoque facit ad infatuandam, & frangendam plebem, cum ii qui imperium obtinent, ad leviora quædam delicta connivent. Quod vocat Vlpianus *in l. 4. D. de manumißion. conniventibus oculis agere*, id est, ut Accursius explicat, *non inspecta stricta juris ratione.* Id ait Rex ille Macedonum apud Livium *lib. 42. Non quia probaret; sed quia in nova possessione regni patienda omnia essent, passum.* Tiberius, quamvis fuit disciplinæ retinentissimus, tamen populum per tot annos molliter habitum, non ausus est ad duriora vertere; & cum instarent Romani Senatores, de luxu coërcendo, respondit. *Non id tempus esse censuræ:* (quemadmodum & Livius *lib. 1. non id tempus, ut merita exsolverentur*) Et 3. *Annal.*

Tertiũ simulacrum, conniventia ad leviora delicta. Exemplum in Rege Macedonum. Tiberio.

Annal. Quam indecorum, obtrectare quod non obtinetur. Quodsi quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat, hunc & laudo, & exonerari laborum meorum partem fateor.

Nimiis remediis delicta nonnunquam irritari.

Mihi equidem magis hic probatur Servilius aliquis lenibus remediis aptus, quam Appius quidam vehementi ingenio. Quod sæpenumero nimiis remediis delicta augent. De Felice Tacitus, *eum nimiis remediis delicta accendisse.* Et de Manlio Livius *libro 6. remedio seditionem irritasse.* Ego hoc accipio pro simulacro libertatis: id quod identidem seditiosi juvenes Romani optimatum imperio infensi dicebant: *Regem hominem esse, à quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit; esse gratiæ locum, esse beneficio; ignoscere, & irasci posse.*

Atrocia delicta omnino punienda.

Dico de levibus delictis. Aliud est in atrocioribus, quæ seditiones movent, & respublicas pessumdant. Ideò Livius: *Id persecare novum prætorem, ne serperet longius, patres jussrunt.* Quod & Guntherus eleganter expressit;

Tutius est ferro jam putrida membra rescindi,
Quam partis vitio totum tabescere corpus.

Sed paucorum supplicio.

Ac tamen in his etiam paucorum supplicio contenti fuerunt Romani. Livius *lib. 4. Consules, summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicia, quos sibimet ipsos conscisse mortem satis creditum est, transacta re, nequivere tamen consequi, ut non ægerrime id plebs ferret.* Et Tacitus. *Cujus terrore, & paucorum supplicio, rediit oppidanis concordia.* Et Seneca in Octavia,

Populi furorem, cæde paucorum diu
Qui restiterunt temere, compressum adsero.

Cæterum in suppliciis decernendis, ea ratio securissima est, qua usus est Germanicus in puniendis seditiosis militibus; in quos ipsos supplicii sævitiam atque invidiam transtulit. Rogatus enim à quibusdam, ut noxios puniret, jussit, ut ipsi exequerentur. Quo loco Tacitus, *Cæsar arcebat; quando, nullo ipsius jussu, eadem sævitia facti & invidia erat.* Et rectè Claudianus,

Invidiam facti in ipsos reos transferendo.

Qui fruitur pœna, ferus est, legumq; videtur
Vindictam præstare sibi.

CAPUT XIII.

Multa alia plebi concedere, vel indigna: Annonæ curam habere: portoriis liberare plebem: multa alia indulgere, quæ postea revocari possunt. Comitiorum Germanorum summa, pecunia.

Notantur varia blandimenta plebi data ex Livio. Cura annonæ.

OMnium plenissima sunt hâc doctrinâ illa Livii *lib.2. Multa,* inquit, *blandimenta plebi per id tempus data: annonæ inprimis habita cura; & ad frumentum comparandum missi alii in Volscos, alii Cumas, salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio veniebat in publicum, omni sumptu adempto concessum privatis; portoriis quoque, & tributo plebe liberata.* Et paulo post; *Hæc indulgentia patrum, asperis postmodum rebus, in obsidione ac fame adeò concordem civitatem tenuit, ut regium nomen non summi magis quam infimi horrerent; nec quisquam unus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum bene imperando universus Senatus fuit.* Hæc ille. Est hoc ingens simulacrum in plebem, *cui,* ut Tacitus 4. *Historiarum* scribit, *una ex Republica annonæ cura.* Et Satyricus;

Ut cui ea est unica.

Duas

Duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses:

Quo nomine nonnunquam plebi indulgenda sunt vel iniquissima. Quod ait Livius: *per aequa & iniqua retinendam esse concordiam.* Exercitus Romanus, fretus novo & nutante Principe, postulabat ut singulos denarios mererent; sextusdecimus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris praemium pecunia solveretur. Quo tempore satius fuit ultro concedere, quam si necessitate expressa fuissent, Livius *lib.2. Neque patribus satis decorum, per metum potius, quam postmodum voluntate, afflictis civium suorum fortunis consuluisse.* Et *lib.4. Opportunè Senatus, priusquam ab Tribunis plebis agrariae seditiones, mentione illata de agro Lavicano dividendo, fierent, censuit frequens coloniam Lavicos deducendam.*

Etiam retinendi imperii causa iniqua plebi concedenda, idque Ultro potius quam necessitate.

Sed dices; indignum id fuisse de stipendii petitione, adeóque Rempublicam tantis oneribus imparem fuisse.

Objectio ex indignitate talium indultorum.

At enim, nonne sedato populo retractari possunt? Sic enim Tacitus. *Mutata*, inquit, *quae per seditionem expressa erant*, & alibi: *proxima seditionis male consulta abolita in posterum*. Et Livius *libro 2. Multi venisse tempus putabant recuperandi Iura, quae extorta seditione ac vi patribus essent*. Et absque hoc esset, nonne praestat particulam Reipublicae tradere plebi, quam totam Rempublicam in extremum periculum vocare. Varro pulchrè. *Digitum praescidi oportet, si ob eam rem gangraena non sit ad brachium ventura.*

Perperā indulta revocari posse, ad eamque rem tĕpora captanda.

Qua ratione Carolus Quintus multas immunitates Ordinibus Imperii concessisse di-

Prudentia Ca-

roli quinti hac in re notatur. citur, ut adversus Turcam communem Germaniæ hostem pecuniam colligeret. Quæ plerumque omnium Germanorum Comitiorum summa est, ut argutè dixit Iovius. Quare, sicut peritus eques non semper & uno tenore frenum stringit, aut calcaria subdit; sed sæpenumero laxat, & veluti adulando, palpandoque quoquo versum ducit etiam ferocissimum equum atque inhabilem. Sic viri prudentes in Republica plebem succussantem & ferocientem moderatè regunt, freno injecto, sed laxo; ne, si violento tractu reducant, seipsos Imperio excutiant. Appositè Alexander apud Curtium *libro 6. In novo & precario Imperio, adhuc jugum ejus rigida cervice subeuntibus Barbaris, tempore opus est; dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet.*

Plebs leniter tractanda est.

CAPVT XIV.

Aliquot alia simulacra. Provinciam solito more intrare, ferias pro more dare, laudes suas audire. Summissi fasces: adulari, salutare, invitare plebem.

Inanes prærogativas plebi concedere.

Simulacrum etiam libertatis est, quod Vlpianus in *l. 1. D. de offic. Proc.* monet Proconsulem, ne per aliam partem Provinciam ingrediatur, quam per quam ingredi moris est. *Nam*, inquit, *magnificiunt provinciales servari sibi consuetudinem istam, & hujuscemodi prærogativas.* Et *l. 7. D. eod. Pati debet proconsul commendari sibi civitatem, laudesque suas non gravatè audire, cum honori suo provinciales id vendicent; & ferias secundum mores & consue-*

consuetudinem, qua retro obtinuit dare. Sic apud Livium *libro* 2. summissi fasces plebem à seditione revocant: *Valerius*, inquit, *affectati regni suspectus, vocato in consilium populo submissis fascibus in concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit; submissa sibi esse Imperii insignia, confessionemque factam Populi quam Consulis majestatem vimque majorem.* Ecce, hæc externa & moderata species quantum potuit ad dementandam plebem. In eandem sententiam Livius *libro* 3. *Ibi plurimum profectum, quod modo quodam temperavêre impetus suos.* Ibidem, *consilium & modum adhibendo, ubi res posceret, priores erant.* Quo pertinent illa V. Paterculi lib. 2. *M. Livius Drusus in iis ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ illiciendæque multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis, majora promitteret.* Idque ait Cicero 3. *de nat. Deor.* *Multi cum obesse vellent, profuerunt; & cum prodesse, obfuerunt.*

Ferias pro consuetudine dare.

Fasces & insignia summittere.

Minora indulgere, ut majora captes.

Porro nihil magis plebem induit, quam speciosa adulatio. Veluti Patres Romani, cum animadverterent Tribunorum potestate impediri delectum, ultrò Tribunis adulati sunt. Liv. *l.* 2. *Patres universi comiter ac benignè Tribunos appellare, & Consulares, ut cuique eorum privatim aliquid juris adversus singulos erat, partim gratia, partim autoritate obtinuere, ut tribuniciæ potestatis vires salubres vellent Reipublicæ esse.* Eâdem arte Senatores Romani totum annum eluserunt legem Terentillam, Liv. lib. 3. *Mediis diebus, quibus Tribuni de lege non agerent, nihil iisdem illis placidius aut quietius*

Plebi adulari benignis salutationibus, invitationibus, &c.

erat.

erat, benignè salutare, alloqui plebis homines, domum invitare, adesse in foro, Tribunos ipsos cætera pati, sine interpellatione concilia habere, nulli neque privatim truces esse, nisi cum de lege agi ceptum esset. Et paulo post: *His per totum annum artibus lex elusa est*. De quo Salustius in Iugurtha; *Quibus maxima industria videtur, salutare plebem, & conviviis gratiam quærere*. Ejusdem fere generis sunt; ut plebejus Patricio sit vicinus, ut eodẽ itinere eat, ut idem convivium ineat. De quibus tamen cavillatur Canulejus ille Tribunus plebis apud Liv. *lib*. 4.

Hæc, & id genus majora, ubi obtinent, ibi res ipsa abest. Id quod ait Livius *lib. 3. dilata in speciem actione, reipsa sublata*. Sed omnia ponere est παρεργεία quædam, & ut ait Vlpianus *otiosum est*. Mihi libet digitum tantum ad fontem intendere.

CAPVT XV.

Horum Simulacrorum vis ac dignitas in Republ. Alia quædam simulacra Aristotelica, Democratica, & Aristocratica. Plebejos consiliarios facere: promulgare aliorum decreta: reos absolvere: nonnullas leges ferre: non cives appellare. Ἀνιστορησία ICtorum.

Simulacrorum horũ effectus: Nõ constituunt vel imitantur statum Reip. sed -ndo nonnihil variant gubernandi rationem.

HOrum Simulacrorum magna est species. Cæterum non adeò magna, ut Reipublicæ statum vel constituant, vel immutent. Non enim ex simulacris Respublica definienda; sed penes quos sunt summa illa Imperii capita, secundum illos de forma Reipublicæ statuendum est. Rationem tamen gubernandi nonnihil variant, ut hæc Respublica propter varia simulacra, magis videatur popu-

popularis, quam illa, & illa magis regia, quam hæc. Ratio enim gubernandi nonnunquam in hisce simulacris consistit; at forma Reipublicæ in ipsa vi Imperii.

Simulacra ab Aristotele tradita quæ in statu populari.

Cæterum ab Aristotele magna quædam simulacra traduntur: ut in populari statu consultores ex divitibus constituere, iisdem quantum pote parcere: communicare etiam divitibus vel Patriciis ex omnibus rebus vel paria vel pauciora, excepto summo Imperio: quod semper penes populum, vel penes pauperes remanere oportet.

Quæ in Aristocratico. Communicare iis ex omnibus rebus excepto summo imperio.

In Aristocratico statu hæc simulacra sunt: plebejis, sive pauperibus ejuscemodi Magistratus commendare, ex quibus rem facere possint: quosdam è plebe ad deliberationem vocare; creare, tam ex plebejis quam patriciis, qui de iis rebus disceptent, de quibus postea pauci patricii pro suo arbitrio statuant; item committere populo potestatem sciscendi ea, quæ antea ab optimatibus decreta sunt. Quale fere est illud apud Livium *lib.* 1. *Decreverunt Patres, ut cum Populus Regem jussisset, id sic ratum esset; si Patres autores fierent. Hodieque in legibus Magistratibusque rogandis usurpatur idem jus, vi ademptum; priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt.* Item nonnullis ex populo relinquere potestatem absolvendi, sed non condemnandi.

Simulacra in populari statu Aristocratico contraria.

At contra in populari statu; ut Patricii absolvere possent, condemnare non item: quemadmodum Romæ de capite civis agi non potuit, nisi centuriatis, hoc est, maximis & plenissimis comitiis.

Sed

Sed & in Aristocratia, plebi potestas relinquenda est ferendi leges de non magnis rebus. Vnde Sidonius in Panegyr.

Tum cætera paret
Turba; libens servit, propriis quia legibus autor.

Et cives nominandi qui cives non sunt.

Quinetiam cives nominandi sunt ii, qui cives non sunt. In illa inprimis Republica in qua omnes cives suffragiorum capaces sunt. Saltem, ut ait Aristoteles, ἀπάτης χάριν τῶν συνοικούντων. Audientes enim se appellari cives, hac unica appellatione contenti quiescunt, & & res suas agunt,

Ista omnia diligenter discernenda à jure Imperii. Hujus rei ignorantia quem pariat effectũ.

Quæ omnia diligenter à jure Imperii discernenda sunt: adeò nonnunquam ea quæ simulacra tantum sunt, pro jure Imperii habentur; & contra, quæ Imperii sunt, simulacris ascribuntur. Quæ res facit, ut quidam magni nominis interpretes, in explicatione tituli de læsa majestate, ea ad crimen majestatis trahant, in quibus vix Imperii illa arcana tentantur: ne dum ipsum Imperii jus, ac majestas: quippe quæ simulacra tantum sunt, & contra, quæ juris imperii sunt, ad simulacra referant. Sed de his ago peculiariter in commentario de publicis judiciis. Hui dices, tam citò publice nomen tuum in censu magnæ illius Deæ, quæ Iovi assidere dicitur?

Ain verò; itane tibi hæc nostra sedentaria, atque umbratica vita pigritiæ dedita videtur? Nonne & ego scio, quædam animalcula prius parere, quam concipere? Sed absque joco. Ego sic existimo, neminem in istos libros terribiles luculenter & eruditè scripturum, nisi una rerum Romanarum, aliarumque gentium historiam cognoverit; quo adminiculo interpretes

pha-

plerique cætera viri exercitatissimi, & minime ἀπειρόκαλοι τῶν πολιτικῶν πραγμάτων, destituti mihi fuisse videntur.

CAPUT XVI.

Arcana quædam militaria. Iura militaria. Iura spoliorum: Flagitia militiæ: arcana militiæ: signa dare, è tribunali alloqui milites, signa militaria, aquilas corripere. Simulacra militaria; milites commilitones appellare, victores gentium. Ab hisce arcanis quomodo differat ars militaris.

HVjus doctrinæ non tantum in negotiis pacis, verum etiam bellicis maximus usus est. Et possem sine negotio non solum belli jura, sed etiam arcana & simulacra, sicut & militiæ flagitia, ut Tacitus appellat, militaribus exemplis illustrare; nisi pleraque obvia essent, ut sunt jura spoliorum. Quod ait Æmilius ille apud Livium, *in spoliis arbitrium esse Imperatorum, non militum:* item prædas agere, agros populari, oppugnare, expugnare, atque solo æquare magnas & vastas civitates, veluti Corbulo ille Dux Romanus Artaxatam urbem in Armenia delevit. Quia, inquit Tacitus. *Nec teneri sine valido præsidio ob magnitudinem mœnium, nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio & capessendo bello divideretur.* Quo jure Annibal Saguntum, Scipio Carthaginem, Vespasianus Hierosolymam, Degobertus Putavium everterunt.

Hujus doctrinæ usum in bello esse juxta ac pace.

Arcana & simulacra, item flagitiorum exempla obvius militaribus exemplis illustrata.

Sed & flagitium militiæ est, promiscuè in muros & mœnia sævire. Quod exprobrat Phaneas ille Philippo Regi Macedoniæ, eum in bello non congredi æquo campo, neque collatis

Talia esse jura spoliorũ.

Agror ũ depopulatione.

Vrbium deletionem, sævitiã in muros & mœnia.

collatis signis dimicare; sed refugientem incendere, atque deripere urbes, & vincentium præmia victum corrumpere. At non sic antiquos Macedonum Reges, sed acie bellare solitos, urbibus parcere quantum possent, quo opulentius imperium haberent. Atq; in servata Capua Romanos laudo. Ita enim Livius, non sævitum incendiis ruinisque in tecta innoxia murosque, & cum emolumento quæsita etiam lenitatis species incolumitate urbis nobilissimæ opulentissimæque, cujus ruinis omnis Campania, omnesque qui Campaniam circa accolunt, ingemuissent. De quibus plura vide in discursibus Politicis Scipionis Ammirati.

Alia militiæ arcana. Sed & arcanum militiæ erat, signum dare exercitui, cespitium tribunal exstruere, è tribunali publice alloqui milites, signa militaria, aquilas corripere & aliò transferre, consilia bellica inire: quæ solius erant Ducis.

Simulacrorum quibus in officio retinentur milites exempla. Deinde, quid aliud refert quam simulacrum alicujus Imperii atque dignationis, illa Alexandri Oratio apud Curtium lib.3. in qua Macedones appellat, tot bellorum in Europa victores ad subigendam Asiam, item terrarum orbis liberatores, & omnibus gentibus impositi uros jugum. Et illa Cerialis apud Tacitum, *ipsi plerumque legionibus hisce præsidetis, ipsi has aliasque provincias regitis*. Et illa Germanici: *Primane, an vicesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, &c.* Qua insidiosa simulatione sæpenumero militem tumultuantem in officio continuerunt. Eædem insidiæ fuerunt Catilinæ: *Vel me duce, vel milite utemini:* Et Cæsaris, quoties milites pro concione commilitones

In Alexandro. Ceriali. Germanico. Catilina. Cæsare.

tones ſuos appellavit. Et Eumenes ille apud Iuſtinum ſingulos ſuppliciter alloqui; nunc commilitones ſuos, nunc ſuos patronos appellans, & ut non tam ducem ſe, quam commilitonem recipiant, unumque ex corpore ſuo eſſe velint. Qua etiam arte Cæcina fugientes milites ſtitit, dum ſe in limine portæ projecit, & miſeratione demum, quia per corpus legati eundum erat, viam clauſit. Et Cerialis fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate & fortiſſimi cujuſque accurſu, recuperatum pontem lecta manu firmavit. Et de Alexandro Curtius *lib.*4. Haud quaquam rudis tractandi militares animos, quos animadverterat de occupatione Tyri milites deſperaſſe, pronunciat dextram porrigens, *illo duce illo aperiente, in urbem intrare ſe viſum*. Hiſce artibus citius capitur miles, quam ſevera aliqua increpatione. *Eumenide.* *Cacina.* *Cereali.* *Iterum Alexandro:*

Eâdem ſimulatione, Datames Dux Perſarum, cum partem equitum ſuorum transfugere comperiſſet, cæteros omnes venire ſecum juſſit, aſſecutuſque transfugas, collaudavit, quod eum alacriter præceſſiſſent, hortatuſque eſt eos ut fortiter hoſtem adorirentur; ubi Frontinus: *Pudor*, inquit, *transfugis attulit pœnitentiam, & conſilium ſuum, quia non putabant deprehenſum, mutaverunt*. Sic Labienus, ut idem refert Frontinus l.2. poſt Pharſalicam pugnam, cum victis partibus Dytrachium refugiſſet, miſcuit vera falſis, & non celato exitu pugnę, æquatam partium fortunam gravi vulnere Cæſaris finxit, & hac aſſimulatione reliquis Pompejanarum partium fiduciam fecit. *Datame Rege Perſarũ.* *Labieno.*

Et ſunt hæc occulta & ſimulatoria conſilia

in

in officio retinendi militem. A quibus discernere oportet ipsas militares artes. Quales sunt; in tempore pugnam inire, firmare subsidiis aciem, ubi res fert, equitem ad pedites deducere, restituere pugnam, subvenire exclusis ab acie, & id genus alia. De quibus omnibus C. Sempronium accusavit C. Iulius Tribunus plebis, ut est apud Livium *lib.* 4. Longe alia disciplina à nostrâ, alia militia à nostra; in qua ne quidem errores puniuntur, in quos olim tyronibus, vel gregario militi incidere, pudendum fuit, & pœna dignum.

Ab arcanis militaribus differre artes bellicas.

CAPVT XVII.

Arcana quædam communis vitæ. blanditiæ; oblata casu flectere ad consilium aliud agendo: videri non intelligere. σώτερον ἀπιςία. Inimicitiæ clandestinæ maxime noxiæ & implacabiles.

Esse & in communi vita simulacra, arcana consilia, jura sua.

SEd quid ego *aliena negotia curo Excussus propriis?* ut cum Poëta loquar.

Sunt enim in civili vita sua simulacra, sua arcana consilia, quibus emergunt multi, seque contra inimicorum injurias muniunt: Sunt denique sua jura, quæ nonnunquam regiæ virtuti contraria sunt: quale est illud Ciceronis in honorum petitione. *Sed, opus est*, inquit, *magnopere blanditiæ; Quæ, etsi vitiosa est & turpis in cætera vita, tamen in petitione est necessaria. Etenim cum deteriorem aliquem assentando facit, improba est, cum amiciorem, non tam vituperanda.* Vnde Donatus in Terentio ambitionem appellat *magnarum rerum desiderium atque appetitum:* in quo obtinendo nonnihil deflectere, quid prohibet. Sunt denique etiam

vitæ

vitæ communis sua flagitia, cum alter supplantat alterum, vel per invidiam, vel in subsidium sui. Quales sunt, qui aliorum vitia excusando exprobant, & per alterius latus, alienique nominis jacturâ, sibi laudem exædificant: at dum nimium properant, deficiunt. Brutidium quendam, ut refert acer scriptor, artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio exstimulabat, dum æquales, dein superiores, postremò suas ipse opes anteire parat: quod multos etiam bonos pessumdedit, qui spretis, quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant.

Item flagitia.

Exemplum in Brutidio quodã.

Contra quos miris modis te munias oportet, ne decipiaris. Atque est hoc mihi arcanum vitæ civilis; ut quæcunque tibi eveniunt, ad usum transferas; sive, ut Livius ait, *oblata casu, flectas ad consilium*; & quidem aliud agendo. Quod si indies meliorem occasionem præstolabere, frustra eris, & jam hærebis. Metuebant aliquando Galli bellum Anglorum, & futurum animadvertebant. Britones hanc occasionem nacti, ut de pace facienda, quam unicè optabant, Regi Galliæ persuaderent, multis modis bellum Anglicum exaggerant; pericula, difficultates speciose describunt, nulla facta mentione pacis: qua simulatione Regem facile in suam sententiam traxerunt. Imitare tu in vita etiam communi, & inprimis contra eos, qui nullam ex virtutibus suis magis amant, quam simulationem, ut Tiberio tritum fuit. Verissimè enim M. Tullius: *Multis simulationũ involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur, uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus sæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime.* A quibus

Arcanũ vitæ civilis, oblata casu, ad usum transferre, aliud agendo.

Exemplum ejus rei in Gallis.

Videri non intelligere. Minus dicere quam sentire.

A quibus ut caveas tibi; opera danda est, ut videaris non intelligere, quod intelligis, & ut Cicero ad Attic. scribit: *ut minus dicas, quam sentis.* Tiberius in occupando Imperio, ad introspiciendas Senatorum mentes, dubitationem introduxit; Senatus, uti hanc fraudem vicissim illuderet, & cum vulpe, quod dicitur, vulpinaretur, simulabat se nō intelligere. *At Patres*, inquit Tacitus, *quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lachrymas, vota effundi.* Et de Agrippina. *Solū insidiarum remedium esse, si non intelligerentur.* Quod exprimit Seneca: *Quidam fallere docuerunt, dum tim·nt falli.* Et Seneca Tragicus in Octavio.

Pericula dissimulare.

Vicit sapiens tāmen obsequium
Conjugis altæ, pressusque dolor.

Dolorē premere. ἀπιστεῖν

Quare quod M. Tullio aureum est, mihi oraculi instar est, μέμνησο ἀπιστεῖν. *Nā in hoc uno,* inquit Plinius *lib. 2. Epist. vir alioqui prudentissimus, honesto quidem, sed tamen errore versatur, quod plures amicos, quam sunt, arbitratur, Ω φίλοι οὐδεὶς φίλος.* Quid enim aliud est hæc vita hominum, quam deceptio & simulatio? Nemo ex animo loquitur; nemo palam mentitur; sed vera falsis miscet, exornat, adeoque facilius imperitis imponit. Quotus quisque jam ex professo inimicitias alit: atque hoc qui facit, quam citò fictis & occultis criminationibus obruitur! Id acriter Tacitus 4. *Histor. Manente*, inquit, *in speciem amicitiæ.* Et 1. *Ann. Tiberius in Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit.* Et 3. Histor. *inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mutianus callidè, eoque implacabilius nutriebat.* Contra eos qui apertè oderunt facile te munias. sed & illi facile desistunt.

Speciosas hodie modo esse amicitias.

Odia ...de-

deſiſtunt. At verò, qui clanculum rem agunt, non prius te mittent, quam nihil tale cogitantem præcipitaverint: quibus hominibus (ſi homines, ac non potius venena dici merentur) nihil peſtilentius toto terrarum orbe judicandum eſt.

ſtina magis nocent quam aperta.

CAPUT XVIII.

Arcanorum difficultas & circa has artes pericula, ſi deprehendantur. Quomodo hæc arcana adumbranda, ut colorem habeant: & reſpondetur ad duo objecta.

ATque hæc ſunt pleraque, quæ ſub arcanorum nomine à ſcriptoribus comprehenduntur. Nam ut omnia poſſim. ἀρχαδίαν μ' αἰτεῖς; & ait ille,

Ακίνδυνον γὰρ ἐστὶ τὸ σιγῆς γέρας,
Securum enim eſt ſilentii alti præmium.

Hiſce etiam Reſpublicæ mixtæ, ut pleræque ſunt, accommodari poſſunt. Fieri enim poteſt ut in uno Imperio, in una Republica hujuſcemodi arcana reperiantur, & regia, & Ariſtocratica, & Democratica. Ac tamen magna eſt difficultas circa hanc rem probe conficiendam. Quod ait Ariſtoteles 5. *Polit. cap.* 8. Μὴ πιστεύειν τοῖς σοφίσματος χάριν πρὸς τὸ πλῆθος συγκειμένοις; ἐξελέγχεται γὰρ ὑπὸ τῶν ἔργων. *Non eſſe confidendum his, quæ finguntur & adumbrantur ad populum; ſuis enim operibus vana ſunt.* Loquitur enim de his ipſis arcanis. Et lib. 4. cap. 12. Ἀνάγκη γὰρ χρόνῳ ποτὲ ἐκ τῶν ψευδῶν ἀγαθῶν, ἀγαθὲς συμβῆναι κακόν. *Neceſſe eſt, procedente tempore ex falſis bonis verum malum evenire.* Idque Guntherus laudat in Principe ſuo, *lib.* 2.

Hiſce arcanis Reſpubl. mixtas poſſe accommodari.

Magna circa hanc rē conficiendam difficultas.

Sed inania Princeps
Et quasi vana ratus, stulta assentamina plebis
Spernit, & has alias properans adjungere clades.

Periculosissima sunt hæc arcana, si deteguntur. Et Livius *lib.* 2. Postquam Volero Trib. plebis rogationem tulisset ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent, sed nullo verbo violatis Consulibus: *Haud parva,* inquit, *res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur, sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret.* Nimirum fictiones & simulationes hujuscemodi magnum usum habent in Republica sed nonnunquam deteguntur. Et, ita ut canit elegantissimus Arbiter.

Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Ideò de hac ipsa re Dictator quidam Romanus apud Livium. *Quod ad me attinet, neque frustrabor ultra cives meos, neque ipse frustra dictator ero.* Quod si enim illi, quibus insidiæ tales struuntur rem præsenserint, uno impetu Rempublicam evertent. Appius ille Decemvir volebat sibi Decemviratum prorogari. Quod ne fieret, artem excogitant reliqui, eiq; comitiorum habendorum munus injungunt. Vbi Livius lib. 3. *Ars hæc erat, ne semetipsum creare posset.* At ille artem animadvertit, seque ipsum creat, dejectis in optimatum causa constantissimis.

Quibus coloribus imbuenda sint. Quocirca vir prudens in Republicâ hæc quantum potest variis formis adumbrat,

Atque

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Quem secutus Ligurinus lib.3. quamvis in re improba:

Pulchram fallendi noverat artem,
Veris falsa probans; quia tantum falsa loquendo
Fallere nemo potest, veri sub imagine falsum
Influit, & furtim deceptas occupat aures.

Illud à me hoc loco prætereundum non est, quod multi existimant, horum nonnulla parvi esse momenti: Atqui inquit Aristoteles. lib.5. Polit. cap. 8. Παραλογίζεται γὰρ ἡ διάνοια ὑπ' αὐτῶν, ὥσπερ ὁ σοφιστικὸς λόγος εἰ ἕκαστον μικρὸν, καὶ πάντα· τοῦτο δὲ ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ· τὸ γὰρ ὅλον καὶ τὰ πάντα οὐ μικρὸν, ἀλλὰ σύγκειται ἐκ μικρῶν. *Decipitur mens ab illis, ut sophistica illa ratio: si unum quodque pusillum, & omnia: hoc autem est ut sit, & est ut non: Totum enim, & omnia, non parvum; sed composita ex parvis.*

Adeóque cauto opus est, ut nimis remissus sis in hujuscemodi simulacris indulgendis. Nam ubi parvas res assecuti sunt, majores affectant semper. Quousque in infinitum procedant, ut tradit Philosophus 1. *Polit. cap.* 5. Et Livius *lib.* 3, *Concedendo omnia, non mitiorem in se plebem, sed asperiorem alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram.*

Cauto opus est, ne nimis multa concedas.

Cæterum quædam à me passim ingeruntur, quæ propriè ad arcana illa sophismata nõ pertinent; idq; carpent alii. Quibus iterũ respondeo, me dupliciter sumere Rerumpubl. arcana. Alia arcana simulatoria sunt & σοφιστικά; alia non sunt. Et tamen ad eundem scopum collineant; tum ad salutem eorum qui principatum

Excusat autor quod arcanorũ diversa sæpe misceat genera.

patum obtinent, tum etiam ad præſentem naturam, ſtatum, atque formam Reipublicæ conſervandam. Quo magis confido, in eo mihi veniam datum iri, quod arcana Ariſtocratica nonnunquam exemplis regiis illuſtro & contra. Ea quippe eſt affinitas harum rerum, ut alię ab aliis lucem invicem accipiant. Quin etiam interdum ſub acumen ſtyli ſubeunt atque inrepunt ſcribenti, vel invito, & non vocata.

C A P V T. XIX.

Quædam recondita de Imperio Germanico: mutuus ordinum metus: membrorum æqualitas & συμφωνία. Caput Imperii. Prærogativa Regis Bohemiæ. Supremum Imperii judicium.

Arcana in Germanico imperio alia ſcire fas eſt, alia nefas in vulgus dare. Exponuntur ea quæ in vulgus dare licet.

LIbet ἐπιμετρεῖν, & quædam annectere τυπωδῶς περὶ τῆς παρούσης καταστάσεως. Vnaquæque enim Reſpublica habet occulta ſui conſervandi conſilia; veluti in Imperio Germanico occultæ artes, quas ſcire fas eſt. Quædam enim ſunt quas, quemadmodum Ammianus de literis ad Conſtantium miſſis monet, ſcrutari non licet, nec ſi liceret, proferre decet in publicum. Quas igitur in vulgus dare licet, fere ſunt mutuus ille Principum metus, atque reſpectus; Imperatoris in reliquos ordines ſpecioſa vis ac majeſtas; iſta libertas Religionis, illa pacis publicæ conſtitutio, & violatæ pœna. Deinde quatuor ſunt imperii membra, ſive ſumma præter Imperatorem culmina. Hi ſe omnes invicem reſpiciunt, & jam à multis annis coaluerunt. Quorum ſi alterum membrum nimis intumeſcat, vel potentia, vel re militari, dubium mihi

non est, quin detrimentum capiat Respublica.

Id olim summus Philosophus & politicus comprobavit arte symphoniaca; in qua magister chori non patietur, ut unus è choro nimis vocem intendat, nimisque elatam atque acrem emittat, & reliquos obtundat: sed ut æquabilis sit melodia, quod Aristot. eleganter vocat συμφωνεῖν. Quare inprimis opera danda est, ne hæc membra invicem à se alienentur, neve alterutrum nimis opprimatur. Veluti Grachus ille depresso senatorio ordine, & nimis exaggeratis reliquis, primum Rempublicam Romanam perculit. Coaluit enim hæc compages, veluti de Romana Republica Tacitus, aliquot annorum fortuna, & disciplina, quæ convelli sine convellentium exitio non potest. Cicero apposité in Epistola ad Q. Fratrem. *Quibus publicanis si adversamur, ordinem de nobis optimè meritum, & per nos cum Republica conjunctum, & à nobis, & à Republica disjungemus; quorum non modo saluti, sed etiam commodis servire debemus.*

Inter ea ordinũ Imperii συμφωνία. Eam omnino conservandã.

Quare permagni interest, imperii hujus unum caput esse; quo amputato (quod Dii prohibeant) quid aliud quam bella omnium inter se membrorum existent? ut quondam dixit Romanus Dux. Quo etiam consilio cautum est, ne quis externus ad Imperium evehatur. Hic enim potentia externa fretus, & consortii impatiens, facile libertatem Germaniæ pessum dabit. Vnde etiam prudenter constitutum est, ut in eligendo Imperatore, & discordantibus suffragiis, Rex Bohemiæ prærogativam obtineat, ut si ex æquo dissideant, ipse ad matu-

Caput Imperii hujus unum esse debet.

Externus nemo ad imperiũ evehendus.

Regis Bohemiæ in eligendo Imperatore prærogativa unde.

maturandam electionem ſuperante ſuffragio, in quam voluerit partem accedat.

Illud autem ſupremum Iudicium, hujus Imperii unicum coagulum eſt atque vinculum; adeóque hæc membra continet, ut laxari nequeant: quibus ſolutis, nulla ſpes ſalutis reſtat. Livius id ait, libro 2. *Profectò ſi eſſent in republica Magiſtratus nullum futurum fuiſſe Romæ, niſi publicum, conſilium: nunc in mille curias concioneſque, cum alia in Eſquiliis, alia in Aventino fiant conſilia, diſperſam ac diſſipatam eſſe Rempublicam.*

Camera Imperii vinculum.

Sed manum de tabula. Nam de interioribus illis imperii tum arcanis, tum ſimulacris, quæ vel Imperator, vel Principes, vel præcipuę quædam civitates, mutuo metu uſurpant: χαλεποὶ λόγοι. Et inſuſurrat mihi magnum illud rei literariæ decus I. Lipſius *Epiſtol. quæſt. lib. 5. Epiſt. 11. Quis ille tam confidens, aut tantis cervicibus, qui audeat Hiſtoriam uſquequaque veram ſcribere? Quis Regum illa κρύφια, & ut Tacitus noſter appellat, arcana Imperii prodi vult?* Denique ubi illa Iuvenalis *Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?*

CAPVT XX.

Quædam de Imperio Turcico, aliiſque Rebuſpublicis. Conſtantinopolis ſedes Imperii. Preces publicæ. Alcoranum. Reſpublica Veneta. De rebus decretis ad populum referre.

Turcici Imperii & dominationis occulta conſilia.

Turcæ etiam habent occulta ſua conſilia imperii ac dominationis, ut ſunt, violenta gubernatio; magno metu maximiſque ſuperſtitionibus inducere plebem, conſilia agitare non tam pacis quam belli, nunquam à bello ceſſare; non facile deſerere Conſtantino-

ſtantinopolim; filios atque Imperii hæredes ita arctè in cuſtodia tenere, ne erumpant, & res novas moliantur; magna ſimulacra Baſſis & Viſieris indulgere; etiam affinitatibus ornare plebem vel mercatura, vel rebus bellicis occupatam tenere.

Notatur ſingulare, quod nemini ex devictis gentibus licet in templis preces cõcipere pro ſalute Principis.

Illud autem pro magno imperii arcano capio; quod nemini, ex devictis gentibus, licet preces pro ſalute Principis in templis concipere. Id quod Pontificum erat, & ſacerdotum olim ſub Romanis Imperatoribus. Tacitus 4. *Annal. Pontifices eorumque exemplo cæteri ſacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, &c.* Privatim verò omnibus licuit. Martialis ad Iovem,

Nil pro me mihi Iuppiter petenti
Ne ſuccenſueris velut ſuperbo.
Te pro Caſare debeo rogare,
Pro me debeo Cæſarem rogare.

Alcorani ſingulas leges arcana dominationis continere.

Et Plinius *in Paneg. Vnum omnium votum eſt ſalus Principis*. Cæterum totæ & ſingulæ fere leges Alcorani nihil continent, quam arcana conſilia dominationis conſervandæ augendęve. Quo majori prudentia atque induſtria opus erat, adverſus tam potens, tamque munitum Imperium. Ac tamen ille noſtris diſſenſionibus ac diſcordiis clarus, ut olim Galgacus ille Britannorum Dux dicebat, vitia noſtra in gloriam exercitus ſui vertit. Quin tranſigitis ergo cum expeditionibus Principes Germani? Imponite tot annis magnum illum diem, approbate Reipublicæ nunquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas debellandi. Sic enim Agricola ille olim ad milites Romanos.

Porro in Republica Venetorum omnia ſi-

Resp. Veneta arcana. mulacra & externa Imperii species est penes Ducem; ipsa vis Imperii, penes Senatum. Non facile ad arma veniunt Veneti, neutralitati student; partibus tamen auxilia mittunt; plebi humiliora munera permittunt; ut Cancellarii; Scribarum, &c.

Alterius quam Germaniæ ocellum autor vocat. In Republica, quæ ocellus est Germaniæ, cura census, familiarum præcipuarum dignitas; dignitatum gradus, distinctio, frequentia Senatorum, in curia, velut è specula totius urbis: ut ii qui ipsum imperium ac vim potestatis habent, externis illis simulacris abstineant, parcè & frugaliter privatim vivendo, tum in victu & vestitu; tum etiam in habitationibus: ut Senatores erga plebem humani sint & civiles, erga improbos severi; ut plebeji vel officiis, vel insigni mercatura occupati sint, & ut ad minores magistratus admittantur: ut Optimatum filii arte equestri, bellica, literaria, variis peregrinationibus præstent vulgo. Illud vero in nostris Rebuspub. vulgare est, & insigne imperii simulacrum, de rebus decretis ad populum postea referre. Sed rursum mihi aurem vellit Helenus ille apud Poëtam:

> *Prohibent nam cætera Parcæ,*
> *Scire Helenum, fariqué vetat Saturnia Iuno.*

CAPVT XXI.

Vsus & dignitas Arcanorum. Arcanorum artifices. Cautela ICtorum quid valeant in arduis negotiis. Ratio interpretandi Ius publicum. Distinctio officiorum in Republica.

Vsus arcanorū USus & dignitas maxima præclarissimaq; hujus doctrinæ, quippe qua omnes Respublicæ conservantur, quæ aliàs vel funditus perirent, vel in aliam formam mutarentur

tur. Nisi enim hisce arcanis Consules Romani, ejectis Regibus, adeòque mutata rursum Republica, Imperatores Romani instructi fuissent, tam valida tamque diuturna imperandi fundamenta minimè jecissent. At vero pauci hæc intelligunt. Ideò Salustius vere: *Mihi*, inquit, *multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiaque præclara facinora fecit; & agitanti, quæ res maximè tanta negotia sustinuissent, constitit tandem, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse.*

conservatio Rerũp.

Sed nec omnes ad hanc rem apti sunt, verum ii demum, qui sunt *πραχτότατοι*, versatiles exercitatoque vultu atque ingenio, quive videri nolunt, quod sunt; non circa omnia nimis cauti & abscissi; sed qui ea quæ speciosa sunt permittunt, ut majora eliciant. Magni ingenii res est, in publicis negotiis ex re & tempore consilium capere.

Qui ad ea apti sint.

Nerone audiente legatos Armeniorum perorantes, mater ejus Agrippina ascendere suggestum Imperatoris, & simul imperare parabat, obstupescente Senatu. Ibi Seneca Neroni in aurem suggerit, ut venienti in consilium publicum matri, in speciem pietatis, occurreret. Ita obviam itum est, tum ambitioni fœminæ, tum dedecori publico. Sed & reverentia Neronis erga matrem, & Principis majestas illæsa mansit.

Notatur callidũ civilitatis consiliũ à Seneca Neroni datum.

Equidem ridiculi sæpenumero sunt illi *νυκτεπατατεπλάγιοι*, qui totam ætatem in scientiis tractandis habuerunt, vel leges tantum & jura civilia didicerunt, quæ in magnis & præruptis negotiis parum ponderis habent. Cujus rei exemplum in Florentina Repub. Iohannes ille Victorius dedit, homo cæteroquin in le-

Κακοπολιτεία Ioannis Victorii ICti.

gum studiis apprimè versatus. Is in tractatione de Mediceis Florentiam reducendis, pro Florentinis adesse, multa de doctrina fœderum, eorumque violatione; de neutralitate copiose dicere, leges accumulare, agere omnia, cavere omnia. Vbi Historicus pulchrè: *Sed cum hæc*, inquit, *una maxime pecunia facile possent expiari, Victorius scientia juris & æqui potius, quam his artibus instructus, quæ ad tractandas res gravissimas necessariæ existimantur, totam spem rei componendæ fœde corrupit; quum dubitanti avaroque animo, tenacius quam oporteret, pecuniis parcendum arbitraretur, nec externis & militaribus eorum ingeniis, propter lubricam eorum fidem, uti Cautus ICtus, vel data pecunia confideret. Itaque dimisso conventu Florentini hostes judicantur; Iovius lib. 2. in vita Leon. X I.* Omnia contra consuetudinem Florentinorum, apud quos in *proverbium ivit; Florentinos pecuniæ jactura patriam liberare*. Pace hoc, non tam aliorum, quam mea etiam dixerim. Neq; enim eos intelligo, qui præter Iurisprudentiam addidicerunt civilem scientiam, historias, studium dicendi, adeoque jus publicum, aliasque id genus senatorias artes; sed qui totum salutis suæ tabernaculum ponunt in negotiis privatis, ex quorum ratione, publica negotia & quę ancipitia sunt, metiri consilium non est. Ideo Mauritius Dux Saxoniæ, Carolo Quinto Imperatori, subtiles quasdam interpretationes adversus Philippi Landgravii Hassiæ liberationem nectenti, exprobravit: *At ego*, inquit, *te tanquam Imperatorem, non tanquam Iurisconsultum & Legistam, volo pactiones & fœdera interpretari*. Idque olim Cicero monuerat in prudentissima Epi-

Cautela in publicis negotiis pecuniæ nō parcere.

Quales Iurisconsult. ad publica consilia idonei.

Ratio interpretandi fœdera à Mauritio Saxoniæ Duce notata.

Epistola ad Quintum Fratrem. *Possunt*, inquit, *in pactionibus faciendis, non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii, & liberationem molestiæ.* Vnde officia distincta esse oportebat eorum, qui in foro dominantur, ab iis qui res negotiaque tractant publica. Quod idem Cic. pro Cornelio Balbo ait. Etenim Scævola ille Augur, cum de jure prædiatorio consuleretur, homo juris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium & Cascellium prædiatores rejiciebat, quod assiduo usu uni rei deditus, & ingenium & artem sæpe vincat. Quis dubitet de fœderibus, hoc est de toto jure pacis & belli omnibus juris peritissimis Imperatores nostros anteferre. Ac quidem hisce, & id genus rationibus, multo plus citiusque impetrarunt Principes Romani, quam si momento, unicoque impetu, imperium populo abscidissent. Quod eleganter & vere Tacitus: *Speciosa verbis, re inania aut subdola: quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto erreptura ad infensius servitium.*

In foro dominari & negotia publica tractare, distincta officia.

Imperatores hic jurisperitis anteferendos.

CHRISTOPHORI
BESOLDI
DE
ARCANIS RERUMPUBLICARUM DISCURSUS.

O 7 CHRI.

Sed inania Princeps
Et quasi vana ratus, stulta assentamina plebis
Spernit, & has alias properans adjungere clades.

Periculosissima sunt hæc arcana, si deteguntur.

Et Livius *lib.* 2. Postquam Volero Trib. plebis rogationem tulisset ad populum, ut plebeji magistratus tributis comitiis fierent, sed nullo verbo violatis Consulibus: *Haud parva*, inquit, *res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur, sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos, auferret.* Nimirum fictiones & simulationes hujuscemodi magnum usum habent in Republica sed nonnunquam deteguntur. Et, ita ut canit elegantissimus Arbiter.

Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Ideò de hac ipsa re Dictator quidam Romanus apud Livium. *Quod ad me attinet, neque frustrabor ultra cives meos, neque ipse frustra dictator ero.* Quod si enim illi, quibus insidiæ tales struuntur rem præsenserint, uno impetu Rempublicam evertent. Appius ille Decemvir volebat sibi Decemviratum prorogari. Quod ne fieret, artem excogitant reliqui, eiq; comitiorum habendorum munus injungunt. Vbi Livius lib. 3. *Ars hæc erat, ne semetipsum creare posset.* At ille artem animadvertit, seque ipsum creat, dejectis in optimatum causa constantissimis.

Quibus color ib. imbuenda sint.

Quocirca vir prudens in Republicâ hæc quantum potest variis formis adumbrat,

Atque

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Quem secutus Ligurinus lib. 3. quamvis in re improba:

Pulchram fallendi noverat artem,
Veris falsa probans; quia tantum falsa loquendo
Fallere nemo potest, veri sub imagine falsum
Instuit, & furtim deceptas occupat aures.

Illud à me hoc loco prætereundum non est, quod multi existimant, horum nonnulla parvi esse momenti: Atqui inquit Aristoteles. lib. 5. Polit. cap. 8. Παραλογίζεται γὰρ ἡ διάνοια ὑπ' αὐτῶν, ὥσπερ ὁ σοφιστικὸς λόγος· εἰ ἕκαστον μικρὸν, καὶ πάντα· τοῦτο δὲ ἔστι μὲν ὥς, ἔστι δ' ὡς οὔ· τὸ γὰρ ὅλον καὶ τὰ πάντα οὐ μικρὸν, ἀλλὰ σύγκειται ἐκ μικρῶν. *Decipitur mens ab illis, ut sophistica illa ratio: si unum quodque pusillum, & omnia: hoc autem est ut sit, & est ut non. Totum enim, & omnia, non parvum; sed composita ex parvis.*

Adcóque cauto opus est, ut nimis remissus sis in hujuscemodi simulacris indulgendis. Nam ubi parvas res assecuti sunt, majores affectant semper. Quousque in infinitum procedant, ut tradit Philosophus 1. *Polit. cap. 5.* Et Livius *lib. 3, Concedendo omnia, non mitiorem in se plebem, sed asperiorem alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram.*

Cauto opus est, ne nimis multa concedas.

Cæterum quædam à me passim ingeruntur, quæ propriè ad arcana illa sophismata nō pertinent; idq; carpent alii. Quibus iterū respondeo, me dupliciter sumere Rerumpubl. arcana. Alia arcana simulatoria sunt & σοφιστικά; alia non sunt. Et tamen ad eundem scopum collineant; tum ad salutem eorum qui principatum

Excusat autor quod ardeo canorū diversa sape miscéat genera.

patum obtinent, tum etiam ad præſentem naturam, ſtatum, atque formam Reipublicæ conſervandam. Quo magis confido, in eo mihi veniam datum iri, quod arcana Ariſtocratica nonnunquam exemplis regiis illuſtro & contra. Ea quippe eſt affinitas harum rerum, ut aliȩ ab aliis lucem invicem accipiant. Quin etiam interdum ſub acumen ſtyli ſubeunt atque inrepunt ſcribenti, vel invito, & non vocata.

CAPVT. XIX.

Quædam recondita de Imperio Germanico: mutuus ordinum metus: membrorum æqualitas & συμφωνία. Caput Imperii. Prærogativa Regis Bohemiæ. Supremum Imperii judicium.

Arcana in Germanico imperio alia ſcire fas eſt, alia nefas in vulgus dare. Exponuntur ea quæ in vulgus dare licet.

LIbet ἐπιμετρεῖν, & quædam annectere τυπωδῶς περὶ τῆς παρούσας καταστάσεως. Vnaquæque enim Reſpublica habet occulta ſui conſervandi conſilia; veluti in Imperio Germanico occultæ artes, quas ſcire fas eſt. Quædam enim ſunt quas, quemadmodum Ammianus de literis ad Conſtantium miſſis monet, ſcrutari non licet, nec ſi liceret, proferre decet in publicum. Quas igitur in vulgus dare licet, fere ſunt mutuus ille Principum metus, atque reſpectus; Imperatoris in reliquos ordines ſpecioſa vis ac majeſtas; iſta libertas Religionis, illa pacis publice conſtitutio, & violatæ pœna. Deinde quatuor ſunt imperii membra, ſive ſumma præter Imperatorem culmina. Hi ſe omnes invicem reſpiciunt, & jam à multis annis coaluerunt. Quorum ſi alterum membrum nimis intumeſcat, vel potentia, vel re militari, dubium mihi non

non est, quin detrimentum capiat Respublica.

Id olim summus Philosophus & politicus comprobavit arte symphoniaca; in qua magister chori non patietur, ut unus è choro nimis vocem intendat, nimisque elatam atque acrem emittat, & reliquos obtundat: sed ut æquabilis sit melodia, quod Aristot. eleganter vocat συμφωνεῖν. Quare inprimis opera danda est, ne hæc membra invicem à se alienentur, neve alterutrum nimis opprimatur. Veluti Grachus ille depresso senatorio ordine, & nimis exaggeratis reliquis, primum Rempublicam Romanam perculit. Coaluit enim hæc compages, veluti de Romana Republica Tacitus, aliquot annorum fortuna, & disciplina, quæ convelli sine convellentium exitio non potest. Cicero appositè in Epistola ad Q. Fratrem. *Quibus publicanis si adversamur, ordinem de nobis optimè meritum, & per nos cum Republica conjunctum, & à nobis, & à Republica disjungemus; quorum non modo saluti, sed etiam commodis servire debemus.*

Inter ea ordinū Imperii συμφωνία. Eam omnino conservandā.

Quare permagni interest, imperii hujus unum caput esse; quo amputato (quod Dii prohibeant) quid aliud quam bella omnium inter se membrorum existent? ut quondam dixit Romanus Dux. Quo etiam consilio cautum est, ne quis externus ad Imperium evehatur. Hic enim potentia externa fretus, & consortii impatiens, facile libertatem Germaniæ pessum dabit. Vnde etiam prudenter constitutum est, ut in eligendo Imperatore, & discordantibus suffragiis, Rex Bohemiæ prærogativam obtineat, ut si ex æquo dissideant, ipse ad matu-

Caput Imperii hujus unum esse debet.

Externus nemo ad imperiū evehendus.

Regis Bohemiæ in eligendo Imperatore prærogativa unde.

maturandam electionem superante suffragio, in quam voluerit partem accedat.

Illud autem supremum Iudicium, hujus Imperii unicum coagulum est atque vinculum; adeóque hæc membra continet, ut laxari nequeant: quibus solutis, nulla spes salutis restat. Livius id ait, libro 2. *Profectò si essent in republica Magistratus nullum futurum fuisse Romæ, nisi publicum, consilium: nunc in mille curias concionesque, cum alia in Esquiliis, alia in Aventino fiant consilia, dispersam ac dissipatam esse Rempublicam.*

Camera Imperii vinculum.

Sed manum de tabula. Nam de interioribus illis imperii tum arcanis, tum simulacris, quæ vel Imperator, vel Principes, vel præcipuę quædam civitates, mutuo metu usurpant: χαλεποὶ λόγοι. Et insusurrat mihi magnum illud rei literariæ decus I. Lipsius *Epistol. quæst. lib.* 5. *Epist.* 11. *Quis ille tam confidens, aut tantis cervicibus, qui audeat Historiam usquequaque veram scribere? Quis Regum illa κρύφια, & ut Tacitus noster appellat, arcana Imperii prodi vult?* Denique ubi illa Iuvenalis *Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?*

CAPVT XX.

Quædam de Imperio Turcico, aliisque Rebuspublicis. Constantinopolis sedes Imperii. Preces publicæ. Alcoranum. Respublica Veneta. De rebus decretis ad populum referre.

Turcici Imperii & dominationis occulta consilia.

Turcæ etiam habent occulta sua consilia imperii ac dominationis, ut sunt, violenta gubernatio; magno metu maximisque superstitionibus induere plebem, consilia agitare non tam pacis quam belli, nunquam à bello cessare; non facile deserere Constantino-

ſtantinopolim; filios atque Imperii hæredes ita arctè in cuſtodia tenere, ne erumpant, & res novas moliantur; magna ſimulacra Baſſis & Viſieris indulgere; etiam affinitatibus ornare plebem vel mercatura, vel rebus bellicis occupatam tenere.

Notatur ſingulare, quod nemini ex devictis gentibus licet in templis preces cōcipere pro ſalute Principis.

Illud autem pro magno imperii arcano capio; quod nemini, ex devictis gentibus, licet preces pro ſalute Principis in templis concipere. Id quod Pontificum erat, & ſacerdotum olim ſub Romanis Imperatoribus. Tacitus 4. *Annal. Pontifices eorumque exemplo cæteri ſacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, &c.* Privatim verò omnibus licuit. Martialis ad Iovem,

Nil pro me mihi Iuppiter petenti
Ne ſuccenſueris velut ſuperbo.
Te pro Cæſare debeo rogare,
Pro me debeo Cæſarem rogare.

Alcorani ſingulas leges arcana dominationis continere.

Et Plinius *in Paneg. Vnum omnium votum eſt ſalus Principis*. Cæterum totæ & ſingulæ fere leges Alcorani nihil continent, quam arcana conſilia dominationis conſervandæ augendæve. Quo majori prudentia atque induſtria opus erat, adverſus tam potens, tamque munitum Imperium. Ac tamen ille noſtris diſſenſionibus ac diſcordiis clarus, ut olim Galgacus ille Britannorum Dux dicebat, vitia noſtra in gloriam exercitus ſui vertit. Quin tranſigitis ergo cum expeditionibus Principes Germani? Imponite tot annis magnum illum diem, approbate Reipublicæ nunquam exercitui imputari potuiſſe, aut moras belli, aut cauſas debellandi. Sic enim Agricola ille olim ad milites Romanos.

Porro in Republica Venetorum omnia ſi-

Resp. Veneta arcana. mulacra & externa Imperii speciis est penes Ducem; ipsa vis Imperii, penes Senatum. Non facile ad arma veniunt Veneti, neutralitati student; partibus tamen auxilia mittunt; plebi humiliora munera permittunt; ut Cancellarii; Scribarum, &c.

Alterius quam Germaniæ ocellum autor vocat. In Republica, quæ ocellus est Germaniæ, cura censûs, familiarum præcipuarum dignitas; dignitatum gradus, distinctio, frequentia Senatorum, in curia, velut è specula totius urbis: ut ii qui ipsum imperium ac vim potestatis habent, externis illis simulacris abstineant, parcè & frugaliter privatim vivendo, tum in victu & vestitu; tum etiam in habitationibus: ut Senatores erga plebem humani sint & civiles, erga improbos severi; ut plebeji vel officiis, vel insigni mercatura occupati sint, & ut ad minores magistratus admittantur: ut Optimatûm filii arte equestri, bellica, literaria, variis peregrinationibus præstent vulgo. Illud vero in nostris Rebuspub. vulgare est, & insigne imperii simulacrum, de rebus decretis ad populum postea referre. Sed rursum mihi aurem vellit Helenus ille apud Poëtam:

Prohibent nam cætera Parcæ,
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Iuno.

CAPUT XXI.

Usus & dignitas Arcanorum. Arcanorum artifices. Cautelæ ICtorum quid valeant in arduis negotiis. Ratio interpretandi Ius publicum. Distinctio officiorum in Republica.

Usus arcanorũ USus & dignitas maxima præclarissimaq; hujus doctrinæ, quippe qua omnes Respublicæ conservantur, quæ aliàs vel funditus perirent, vel in aliam formam mutarentur

tur. Nisi enim hisce arcanis Consules Romani, ejectis Regibus, adeòque mutata rursum Republica, Imperatores Romani instructi fuissent, tam valida tamque diuturna imperandi fundamenta minimè jecissent. At vero pauci hæc intelligunt. Ideò Salustius vere: *Mihi*, inquit, *multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiæque præclara facinora fecit; & agitanti, quæ res maxime tanta negotia sustinuissent, constitit tandem, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse.* *conservatio Rerũp.*

Sed nec omnes ad hanc rem apti sunt, verum ii demum, qui sunt πραγκτότατοι, versatiles exercitatoque vultu atque ingenio, quive videri nolunt, quod sunt; non circa omnia nimis cauti & abscissi; sed qui ea quæ speciosa sunt permittunt, ut majora eliciant. Magni ingenii res est, in publicis negotiis ex re & tempore consilium capere. *Qui ad ea apti sint.*

Nerone audiente legatos Armeniorum perorantes, mater ejus Agrippina ascendere suggestum Imperatoris, & simul imperare parabat, obstupescente Senatu. Ibi Seneca Neroni in aurem suggerit, ut venienti in consilium publicum matri, in speciem pietatis, occurreret. Ita obviam itum est, tum ambitioni fœminæ, tum dedecori publico. Sed & reverentia Neronis erga matrem, & Principis majestas illæsa mansit. *Notatur callidũ civilitatis consiliũ à Seneca Neroni datum.*

Equidem ridiculi sæpenumero sunt illi νυκτιπαταπλάγιοι, qui totam ætatem in scientiis tractandis habuerunt, vel leges tantum & jura civilia didicerunt, quæ in magnis & præruptis negotiis parum ponderis habent. Cujus rei exemplum in Florentina Repub. Iohannes ille Victorius dedit, homo cæteroquin in legum- *Καταπολιτεία Ioannis Victorii ICti.*

gum ſtudiis apprimè verſatus. Is in tractatione de Mediceis Florentiam reducendis, pro Florentinis adeſſe, multa de doctrina fœderum, eorumque violatione; de neutralitate copioſe dicere, leges accumulare, agere omnia, cavere omnia. Vbi Hiſtoricus pulchrè: *Sed cum hac*, inquit, *una maxime pecunia facile poſſent expiari, Victorius ſcientia juris & æqui potius, quam his artibus inſtructus, quæ ad tractandas res graviſſimas neceſſaria exiſtimantur, totam ſpem rei componendæ fœde corrupit; quum dubitanti avaroque animo, tenacius quam oporteret, pecuniis parcendum arbitraretur, nec externis & militaribus eorum ingenijs, propter lubricam eorum fidem, uti Cautus ICtus, vel data pecunia confideret. Itaque dimiſſo conventu Florentini hoſtes judicantur; Iovius lib. 2. in vita Leon. X I.* Omnia contra conſuetudinem Florentinorum, apud quos in *proverbium ivit; Florentinos pecuniæ jactura patriam liberare*. Pace hoc, non tam aliorum, quam mea etiam dixerim. Neq; enim eos intelligo, qui præter Iuriſprudentiam addidicerunt civilem ſcientiam, hiſtorias, ſtudium dicendi, adeoque jus publicum, aliaſque id genus ſenatorias artes; ſed qui totum ſalutis ſuæ tabernaculum ponunt in negotiis privatis, ex quorum ratione, publica negotia & quę ancipitia ſunt, metiri conſilium non eſt. Ideo Mauritius Dux Saxoniæ, Carolo Quinto Imperatori, ſubtiles quaſdam interpretationes adverſus Philippi Landgravii Haſſiæ liberationem nectenti, exprobravit: *At ego*, inquit, *te tanquam Imperatorem, non tanquam Iuriſconſultum & Legiſtam, volo pactiones & fœdera interpretari*. Idque olim Cicero monuerat in prudentiſſima

Cautela in publicis negotiis pecunia nō parcere.

Quales Iuriſconſ. ad publica conſilia idonei.

Ratio interpretandi fœdera à Mauritio Saxoniæ Duce notata.

Epi-

Epistola ad Quintum Fratrem. *Possunt*, inquit, *in pactionibus faciendis, non legem spectare censoriam, sed potius commoditatem conficiendi negotii, & liberationem molestiæ.* Vnde officia distincta esse oportebat eorum, qui in foro dominantur, ab iis qui res negotiaque tractant publica. Quod idem Cic. pro Cornelio Balbo ait. Etenim Scævola ille Augur, cum de jure prædiatorio consuleretur, homo juris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium & Cascellium prædiatores rejiciebat, quod assiduo usu uni rei deditus, & ingenium & artem sæpe vincat. Quis dubitet de fœderibus, hoc est de toto jure pacis & belli omnibus juris peritissimis Imperatores nostros anteferre. Ac quidem hisce, & id genus rationibus, multo plus citiusque impetrarunt Principes Romani, quam si momento, unicoque impetu, imperium populo abscidissent. Quod eleganter & vere Tacitus: *Speciosa verbis, re inania aut subdola: quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.*

In foro dominari & negotia publica tractare, distincta officia.

Imperatores hic jurisperitis anteferendos.

CHRISTOPHORI BESOLDI

DE

ARCANIS RERUMPUBLICARUM DISCURSUS.

O 7 CHRI.

CHRISTOPHORI BESOLDI JC.

DE Arcanis Rerumpublicarum,

CAPUT I.

De Arcanis convenientibus statui omni.

NOn solùm subditi Religione, educatione, legibus, aliisque similibus mediis ad Politicam deducendi sunt felicitatem: sed & Majestas Imperii, salutis cùm sit tutela; ideò statum, formamque Reipublicæ, & suam etiam auctoritatem, mediis quibusdam tueri debet is, qui imperat. Quæ arcana Reipublicæ, vel secreta Imperii, communiter vocitantur; & quæ Aristot. *l.5. polit. cap.* 8. *τῶν πολιτειῶν σοφίσματα*, alibi, *κρύφια*, item *καταπυκνώματα*, appellat. Vide Conradum Cerneman. *in laboribus Iulii Cæsaris. num.* 214. & Facium *in præfation. Politic. Livian.* Et hæc ita per consequentiam populi quoque salutem concernunt: cum salus Principis ac status spectet cumprimis ad publicam tranquillitatem. Ea ab *Arnoldo Clapmario*, prudentissimo juvene, primùm ordine sunt digesta, in opere illo luculento, quod de arcanis Rerumpublicarum inscripsit. Cujus tamen contenta pleraque *VVaremundus ab Ehrenberg*, seu *Eberhardus à VVeihe* conditione suppilatoriâ sibi vendicat; *in tractatu de subsidiis. cap.3. num.4. & cap.6. num.26. ac etiam cap.7. num.* 31. Confert item ad horum

Arcanorum Imperii necessitas.

Arnoldi Clapmarii laus.

ad horum arcanorum cognitionem Tacitus cumprimis, ac Suetonius quoque; (quem, ut præclarissimus Berneggerus eruditissimo suo commentario porrò illustrare pergat, è re literaria esse puto) inter recentiores verò Guicciardinus ac Machiavellus.

Arcanum Imperii quid olim. II. Arcanum Imperii veterum olim superstitionum quoddam velut adytum erat: ceremoniæ, & ritus, & Numinum statuæ antiquissimæ, quibus conservari & conservatis constare Imperia, fatua gentilitas credebat. Pleraque enim hujus regna, talia figmenta consiliosorum hominum in intimis penetralibus fanorum colebant, quibus appensam veluti salutem publicam persuaserant vulgo; ne quis inquireret fundamenta Religionum, aut inquisita, præjudicatâ sanctitate deterritus, prodere auderet. Caspar Barthius *ad Rutilium lib. 2. v.* 42. Sicque nomen tutelaris Dei, urbis Romæ, cujus auspiciis ad tantam eminentiam pervenisset, palam facere nefas reputabatur, Plutarcho & Macrobio teste. Aliud sunt Reipublicæ arcana, de quibus hic

Arcana Reip. alia & definiuntur. mihi sermo; eaque cum Clapmario, *h. l. 1. c.* 4. definio: *esse intimas & occultas rationes, sive consilia eorum, qui in Republica obtinent principatum; cum ipsorum tranquillitatis, tum etiam præsentis Reipubl. status conservandi, & fere boni publici causâ.* Hæcque Lipsius vocat, *consilia arguta, à virtute aut legibus devia, imperantis Imperiique bono, quem etiam* dolum bonum vocare possis: Deo autem esse *occultas artes.* Nam sane si cujusvis specialis Dominationis arcana, à vulgo scirentur, multum eis detraheretur authoritatis. Et certè de iis, vel in genere agere, cum gratia Politico-

rum

rum mihi liceat: qui intima civilis scientiæ penetralia recludi (ut in simili loquitur Govianus ICtus) fortasse nolint. Quin ipse quoque Deus, sua arcana consilia habet, in quæ homini inquirere nefas. *Scrutator enim Majestatis opprimetur à gloria.* Quale est illud de tempore interitus Mundi, quod nec Angeli ipsi nôrunt: & alia Mysteria, non nisi sanctis communicata. Quomodo Paulus gloriatur, se in tertium cœlum raptum, audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et quoque Principes, ac Aulico politici (quorum arcanum maximum est, eorum arcana non prodi) ægrè ferunt talia publicari; odioque prosequuntur libros, ubi ea pertractantur: id quod festissimus Boccalini monet etiam, qui *cent.* 1. *ragg.* 89. eam ob caussam Machiavellum ex Parnasso pulsum, refert, quod talpis restituerit visum; *& cent.* 2. *ragg.* 71. Tacitum accusatum à Principibus fingit, quod conspicilia Politica fabricârit. *adde cent.* 1. *ragg.* 86. *f. m.* 400. At verò in peregrinatione, cujusque Reipubl. arcana inquirere, Guevara, Iulius Bellus, Lipsius, aliique monent. Et etiam in Theoria ex usu fuerit, arcana Politicorum investigare, quantum ex literis licet, ne incautos opprimant, si quando è schola in forum, quasi in alium terrarum Orbem, ad actionem perventum sit. Nam tela prævisa minus nocent. Quæ supprimere fortè invidia sit, sicut ICtus quidam prodidit, esse arcana Iurisprudentiæ, quæ DD. discipulos suos celent, quo semper plus illis sapere videantur. Quod nec Siracides, nec Magnus Scaliger probat, nec imitatus est Aristoteles, cum contra voluntatem Alexandri magni Politica sua edidisset.

Arcana confiteri.

An licitum prodere arcana ra.

Dn.

Dn. Ioh. Gryphiander. *velitat. Iuridico-polit. de Arcanis polit. th.* 12.

Arcanorum distinctio, Secundum Clapmarium.

III. Subtiliter hæc arcana Clapmarius distinguit. *lib.* 1. *cap.* 8. in arcana Reipublicæ, nempe quæ spectant ad præsentem Reipublicæ formam atque speciem conservandam; & arcana Dominationis, pertinentia ad securitatem eorum, qui Principem locum obtinent in civitate. Quod & innuit Dn. Gryphiander *d. loc. th.* 64. *&c.* Ubi scribit, Arcanorum alia quidem primariò ad utilitatem publicam tendere, alia consequenter. Illa esse, quæ ad ipsius Imperii salutem pertinent; hæc, quæ ad illorum; qui Statui præsunt. Hæc enim distincta esse, subtiliores nôrunt, & satis manifestum fit; si quando in comitiis Ordines Imperii ab ipso Imperante diffident, ut sæpè in partes eatur. Quod in bello Protestantium accidit, cum Principes se contra Carolum V. non contra Imperium arma sumere protestabantur. Est enim Imperatoris persona ab Imperio distincta, ut illa sublata, hoc nihilominus duret. Sicuti Tiberius Cæsar, Principes mortales esse, Rempublicam æternam dicebat: & in simili Alfenus singulorum judicum personis mutatis, idem tamen judicium manere, respondit.

Persona Imperatoris ab Imperio distincta.

Item crimen perduellionis & majestatis.

Vnde licet crimen perduellionis & majestatis, ferè à ICtis confundatur; propriè tamen illud, in ipsum Reipublicæ statum, hoc in Principem committi, Cujacius & Vultejus docuerunt. Magna sane etiam Imperantium ratio est habenda, cum in eorum salute salus Reipublicæ maximâ ex parte recumbat; quod toties apparuit, quoties Duce cæso, validissimi exercitus facilè sunt profligati. Vnde quicquid

quid eorum tranquillitati conducit, credendum est, in commune prodesse. Quia cæso capite, cætera membra salva esse non possunt. Verumtamen ab his privati affectus sæpè utilitatis publicæ prætextu velantur. Sicque de Augusto; licet Pompejus ICtus dicat; ipsis rebus dictantibus, necesse fuisse Reipublicæ, per unum consuli, propter factiones quæ crebræ tunc Rempubl. distrahebant; tamen inquit Tacitus, *dicebatur contrà: tempora Reipub. obtentui sumpta, cæterum dominandi cupidine acta omnia.* Proinde cum sit natura mortalium avida Imperii, & præceps ad explendam animi cupidinem, ut Sallustius fatetur, cauti Politici eam ab utilitate publica separare nôrint.

Nec imperii arcana confundenda cum juribus imperii.

Et porrò Imperii arcana, cum juribus Majestatis, seu Imperii, minimè confundi debent. Etenim arcana hæcce, aliud nil sunt, quàm abstrusæ artes, per quas ab Imperii jure, ipsaque dominatione, homines seditiosi prohibentur. *Clapmar. l. 1. c. 9.* Callida quædam commenta, sive rationes, ad avertendum eos, qui intentioni Politici adversantur, inducta, *Gryphiander d. loc. th. 1.* Vicissim Imperii jura sunt aperta, iisque minus, quàm arcanis, Respublica carere potest. Arcana hæc sunt ratio Status. *Vide me lib. 1. polit. cap. 2. n. 37.* Quam Boterus *d. ragion. di stato in princ.* describit: Notitiam mediorum & rationum, quibus fundatur, firmatur & augetur Status, eo nomine à Trajano Boccalini, tecto nomine reprehensus. Qui *cent 2. ragg. 86.* eam definit, *essere una legge, utile à gli stati, ma in tutto contraria alla legge d'Iddio, è de gli huomini.*

IV. Et sanè arcanæ ejusmodi rationes multis

Indicium politicorum de arcanis.

tis gravissimis Politicis pessimè audire solent. Vnde Prudentissimus Paruta *in soliloquio f. m.* 496. ait: *In questo corrotto secolo, con certo vano nome di ragion di stato, si vanno spesso perturbando, è confondendo le cose humane, è le Divine.* Hæque rationes, ut interdum non sunt negligendæ. *Kirchnerus disputat. politic.* 20. *in not. ad thes.* 3. ita earum haud prima ratio est habenda: cum nullum majus arcanum sit, quàm justè imperare & non offendere Deum, *argum. Proverb. cap.* 18. *Vide Nicolaum Betsium tractat. de pactis famil. fol.* 747. Civis est, qui diligit patriam suam, ac salvos incolumesque desiderat bonos omnes. *Cicero Verr.* hoc qui negligit, nec est bonus Princeps.

Fundamentum arcanorum.

Veruntamen ex duobus malis, id quod minimum est, eligi quandoque debet. Et in hoc fundantur hæcce arcana: iis, ut in medicina venenis, uti solemus, usurpamus ea, quasi jure defensionis. Gryphiander *thes.* 20. *&c.* Ad defensionem autem id fieri patet, quòd hisce arcanis viri πολιτικοὶ factiosis hominibus imponunt, & tranquillitatem Reipublicæ ab injuriis vindicant, ut iis delinimentis (præsertim Imperii simulacrorum) inescati, ab Imperii cupiditate spontè desistant, quod aliàs vi aut metu pœnarum facturi non erant. Nimirùm est hoc duplex officium prudentiæ civilis: cives non solùm vi ac metu pœnarum, sed etiam astu, præmiorum exhortatione, & persuasiunculis in officio continere, quorum illud ICti, hoc Politici proprium reputatur.

Duplex officium prudentiæ.

Defenditur.

Scio, id Theologis quibusdam non probari, qui διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες, illud Divi Pauli nobis objicient,

non

non esse facienda mala, ut eveniant bona. Quibus id facilè largimur: si toto genere ac natura sint mala, quæ nullius boni publici prætextu excusari possint. Cætera, quæ Lipsius *in polit.* rectè à prioribus separat, simpliciter mala non sunt, sed pro intentione nocendi: quæ si absit, quasi apicularum morsus sunt, quibus dempto aculeo, non subest virus. Ac utut subsit, tamen id per necessariam defensionem absorbetur, ob quam etiam homicidium in terminis inculpatæ tutelæ commissum, in foro doli excusabile existit. Quæ & ratio est, cur etiam civilia jura dolum dolo vindicari permittant, ut utrobique fiat compensatio. Vnde contra actionem doli, non exceptio doli (sicuti nec contra exceptionem replicatio) datur: quasi prior dolum commiserit, qui posteriùs allegat. Arcana talia Biblicæ Historiæ suggerunt quoque. Sic David, non occîdit Ioabum, multipliciter mortis reum, sed filio in Testamento, ut id faceret, præcipit, &c. Nec itaque vera ratio Status est contra religionem. *Marnix sect. 1. resolut. 5.* Navigandum interdum est, non navigatione primâ, seu primùm optandâ, sed secundâ, seu secundo loco petendâ. Aristotel. *lib. 8. polit. cap. 9.* Vbi Sepulveda. Sic dolus aliquis est bonus. *L. 1. §. 2. ff. de dolo.* Et ut Plautus ait:

Etiam ex Sacris.

Versipellem frugi convenit esse hominem,
Pectus cui sapit: bonus sit bonis.

Suspicio pro arcano Principibus.

Regum asperat mores populus, aut mitigat, & eos etiam arcanis artibus uti cogit. Sicque pro arcano Principes reputare solent, nec etiam negligere suspicionem, quæ

quæ salutem concernat: *Bottero de detti.* 1. *fol.* 2. *& fol.* 17. Cum hic inprimis, tutius sit prævenire, quàm profligatâ causâ remedium indagare.

Habere & ICtos sua arcana. Sed & ICti sua habent arcana, quæ Pomponius ac Vlpianus remedia vocant. Herennius, εὑρήματα, sive *Eurematica*, de quibus librum singularem scripsit, Practici *Cautelas*, quæ sunt callidæ quædam rationes, sive subtilia ICtorum inventa, ut Brederodius explicat, ad victoriam caussæ obtinendam. Quarum farraginem Baldus, Cœpolla, Durantes, & alii tradiderunt. Sunt hæc judiciorum secreta, ut alicubi Vlpianus vocat, in quibus nervus, sive, ut Imperatores loquuntur, ambigua fata caussarum consistunt, quibus neglectis caussa ipsa facilè amittitur. Ac eorum quædam ita sunt comparata, ut in fraudem legis tendere videantur, ac juri obliquè adversentur. Qualia ICti veteres ipsi quoque admiserunt, ut exemplis demonstrat Iohannes Fichardus. Idque ob juris veteris duritiem, ac rigorem mitigandum, quâ summum jus antiqui, summam putarunt crucem, ut Columella prodidit. In quem usum etiam fictiones sunt inventæ, juris civilis, scilicet commenta, ad usum vitæ communis, contra naturam, ac rei veritatem accommodata, ut Hotomannus definit. *Vide Gryphiandrum thes.* 51. *&c.*

Et Medicos. Sed & Medici (quorum curationes in multis Politici imitantur) salubres, sed voluptate carentes cibos, blandioribus alloquiis prosequuntur.

Præsertim pueris absinthia tetra medentes:

Cùm

Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis, dulci flavoque liquore.

Vt pluribus eleganter Lucretius expressit. In contractibus quoque & mercaturâ (ut de militaribus stratagematibus nihil hîc dicam) dolus quidam bonus admittitur, quando in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere, & invicem se circumscribere, ut Paulus & Vlpianus docuerunt. In quorum claris verbis frustrà se torquent Doctores. Siquidem hac spe quæstus sublatâ, teste Seneca, omnis mercatus langueret.

Et privatos in contractibus.

Quod si obtinet in negotiis privatis, quidni etiam in publicis ad Reipublicæ salutem? Hunc enim finem unicum horum arcanorum dixi, extra quem pleraque sint odiosa & vix toleranda. Namque certissimum existit, media ejusmodi nihil proficere ad Rerumpublicarum conservationem: nisi bono fine, summaque urgente necessitate, usurpentur. Deus enim, qui Regna constituit, eorum etiam continendorum rationes justas & legitimas, contra incommoda (quæ homines quandoque malis etiam artibus, propter majus bonum tollenda existimant) novit, & tempore opportuno subministrare solet. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram. Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.* Psalm.78.vers.3.&c. *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat cogitationes populorum & consilia Principum. Consilium autem Domini in æternum manet: Cogitationes cordis ejus, in generatione, & generationem. Bea-*

Ex isto privato jure Reip. arcana dependuntur boni publici ratione.

ta gens

ta gens, cujus est Dominus, Deus ejus: Populus, quem elegit in hæreditatem sibi. Non salvatur Rex per multam virtutem: & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in abundantia virtutis suæ, non salvabitur. Ecce oculi Domini, super metuētes eum; & in eis, qui sperant super misericordia ejus. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor & protector noster est. Psalm. 32. vers. 10. &c.

Limites hujus artis. Ideoque cum Clapmario, limites hujus artis sunt ponendæ: Religio, fides, pudor, quos egredi non licet.

Machiavellus notatur. In quo à nobis abit Machiavellus, qui pro salute Principis, nec eos quidem observandos docet. *Vitam*, inquit, *Princeps tueatur, curetque imperium conservare: quibus autem id fiat rationibus, nihil interest, modò aliquam honesti speciem præ se ferant. Nec multùm laboret, si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus Dominatum non facilè tueri posit.*

Planè ut Neroni Tigellinus suggerit *non se, ut alios, diversas spes, sed solùm incolumitatem Principis spectare: cui caveri utcunque ab insidiis ex usu sit, etiam per scelera. Gryphiand. thes.* 43. Et dicam infrà ego, Deo volente pluribùs, *cùm de flagitiis Dominationis agam.*

Flagitia dominationis scire quatenus expediat. Quæ aliter non sunt noscenda, quàm quomodo Hæreticorum opiniones discendas, B. Hieronymus monet, non ut sequamur, sed ut convincamus, & judicemus. Quomodò in Ethicis, non de virtutibus tantùm, sed etiam de vitiis præcipitur. Quomodo item à ICto, Vlpianus non justi saltem, liciti aut æqui, sed etiam injusti, illiciti, & iniqui notitiam requirit, ut in electione alterum ab altero, bonum à malo (quod proprium est pru-

est prudentiæ munus) discernere possit. Ac proinde Aristoteles rectissimè sophisticam partem Logices facit; non ut falsum in ea doceat, quod contra finem ejus artis foret, quæ veritatem semper ob oculos habet: sed ut sophistas, falsa intentantes, avertere, ac supplantare erudiat, pro cõsequendo vero. Vt non admittenda sit doctrina eorum, qui de vitiis in artibus nil quicquam præcipi volunt, quia rectum sit judex sui & obliqui *Gryphiand. thes.* 17. *&c.* Miserrimè periit Pharao, qui *c.* 1. *Exod. vers.* 10. *&c.* ait: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terrâ. Præposuit itaque eis Magistros operum, ut affligerent eos oneribus, ædificarentque urbes tabernaculorum Pharaoni.* Vnicum adhuc addo Exemplum Achitophelis, acutissimi Politici, & cujus consilia ita erant, ac si quis divinum consuleret oraculum: cujus tamen prudentiam callidior aliquis elusit. Tales exitus habere solent consilia humana, Rerumpublicarum nimis callidæ & abstrusæ rationes, Deo illudentes, & populum opprimentes. Miserrimi ergò sunt Imperantes, quia violenta & arcana media, contra conscientiam quandoque usurpare coguntur. *Trebell. Pollio in triginta Tyran. vitis num* 20. Impii planè & athei sunt Imperantes eorumque ministri, qui nunc ferè omnes, in ejusmodi arcanis, rationem politiarum consistere censent, qui magis, ut imperent, enituntur, quam ut sint Imperio digni: qui magis se adstrictos putant, Imperium ut tueantur, quàm conscientiam illæsam ut conservent:

servent: qui Principi suo obligatos se putant, ut ei prosint, non ut consulant justa. Subjungere lubet judicium hisce de rebus, acutissimi Campanellæ *polit. cap. 4. §. 6. & seq.*

Iudiciū de ratione politicâ quæ status dicitur.

Ratio politica, quam nunc vocant de Statu (olim æquitas & ἐπιείκεια) transgreditur legis, scripto vel voce promugâtæ; literam, sed non sensum & finem. Quoniam non nisi propter melius bonum & commune, abrogat, irritat, interpretatur & dispensat, quando Fabio Vibuliano, Senatus Romanus vitam concessit, qui secundum legem mori debebat & Horatio, qui tres occiderat Curiatios, pro Imperio Romanorum. Ratio autem status hodierna, est inventio Tyrannorum ad æquitatis similitudinem: arbitrantium, se posse pro sui status parvi acquisitione & conservatione, omnes transgredi leges: non modò proprias, sed etiam divinas.

Ratio status & æquitas differunt.

Verùm differentia est inter rationem status & æquitatem: quoniam hæc bonum publicum respicit verumque: illa verò privatum apparensque Dominatoris. Vt autem hoc nomen, jam pro impio agnitum, postquam Machiavellus Achitophelizavit, tegerent, dicunt Principes, ratione de bono regimine. Quæ nomina etiam sensum bonum continere possunt, licet à pravo imposita fuerint. Verbi gratiâ: Rectâ ratione status, Cleonymus occidit Ephoros in Lacedæmone, non rectâ Rex Turcarum fratres: quoniam licet hic ob commune bonum id facere videatur, tamen quum sit contra legem Dei, & aliâ viâ provideri queat, ne Regnum occupent, irrationabiliter operatur. Princeps bonus non indiget hâc ratione status, quoniam probitate perpetuâ se tuetur: si quis

si quis autem contra ipsum insurgit, populos omnes habet auxiliatores; ut David, à filio privatus Regno. Principem malum nec millies mille artes Machiavellisticæ tutantur: quoniam & populis odiosus est, & Deo, omnium Regi. Qui autem à primâ causâ discordat, fallaciter secundis innititur. Quemadmodum & Cæsar Valentinus Borgia, sub Magisterio Machiavelli providissimo, vitam & statuam amisit, semperque capiuntur in astutia sua Machiavellistæ, quoniam scientiis rerum divinarum & cœlestium carent, putantque propriâ prudentiâ metiri sese omnia & prævidere posse.

V. Omne Imperium, omnemque Reipublicæ formam, validissimo munimento tuetur au&oritas eorum; penes quos summum Imperium existit. Et ea describitur; tùm subditorum, tùm exterorum, de celsitudine imperantium, præclara existimatio, ejusque veneratio. Quemadmodum Medicus, cui fidit ægrotus, felicius, quam alius curat. *Galeottus Martius, d. doctrin. promisc. cap.* 15. Ita præclara de Imperio existimatio, (seu *Reputatio*) multa efficit, & plura nonnunquam, quamvis atque arma. Boccalin. 2. *ragguagl.* 15. Hæc patrimonium Principis est: *Bottero.* 1. *de detti fol.* 17. Certissima hæc est Imperii, & salutis publicæ tutela, quâ nihil adversus odium & contemptum, (capitales gubernationis pestes, quæ contumaciam & defectionem secum trahere solent) potentius. *Kirchnerus Disputat. Candidator. ordin.* 5. *thes.* 3. & *Idem disputat. d. republ.* 2. o. *thes.* 1. *a.* (ubi tamen authoritatem, unius tantùm Imperio, malè attribuere videtur) *Æschylus sept. ad Thebas.*

Imperiũ tuetur Imperantium authoritas.

Obedientia erga Principes, est felicitatis Mater, servatoris uxor.

Quæ istā authoritatem concilient. At verò hanc authoritatem (quam obedientia promptior subsequi solet) conciliant virtutes moderatrices, pietas, justitia, prudentiâ, naturâ & usu acquisita; fortitudo, liberalitas, temperantia, clementia, severitate temperata: constans Imperii forma, diligens & uno tenore fluens, mutationum crebrarum expers: arma, boni & fideles Consiliarii, fœdera vicina, &c. *Kirchnerus disp. 20. thes. 2. Hœnnon. disp. polit. 3. th. 52. seqq. &c. Christ. Forstnerus hypomn. polit. 15.* Et sic Salomonem timuerunt sui, cum viderunt, eum ita sapienter obscuras discernere lites 3. *Reg. 3. vers. ult.* Sicque & eo respectu Itali dicunt: *La riputatione si mantiene principalmente, con il prudente negotiare.* Semper autem Davidicum illud, animo infixum hæreat: *Deus effundit contemptum super Principes. Psalm. 107. 2. Sam. 16. Iob. 12.* Reputatio & existimatio, eo est modo acquirenda, quo suam tuetur Deus Optimus Maximus, magnâ justitiâ, & maximâ clementia. *Ioh. Gerhard. cent. q. polit. dec. 3. q. 3.* Et sunt nempè viæ Domini, misericordia, clementia, longanimitas, justitia, æquitas, pax, concordia, pietas, omnisque adeo æquitas. *Drusius ad loca diffic. Exo. c. 6.* Hæcque reputatio, licet faciat, ut Imperans timeatur, unà tamen cum amore consistere potest: namque & Deum amamus, ac timemus. Et amor ac Reputatio virtutem pro fundamento habet: *Ambedue si fondano sù la virtù: ma l' amore si contenta anco d' una mediocre virtù: la riputatione, non si ferma se non nell' eccellenza. E se questa stima è fondata sù la religione, e pietà, si dice riverenza; se sù l' arti politiche, e mi-*

he, e militari, si chiama riputatione, si che le cose atte à far, che un Prencipe sia nella maniera del suo governo amato; sono anco à proposito per far, che sia riputato, ogni volta che haveranno una certa quasi divina eccellenza, ut inquit Boterus, *della ragion di stato fol.*15.*& seq.*

VI. Non quærere, vel captare debet Princeps vanam reputationem, solo in externo subsistentem splendore, nullo durabili innitentem fulcro; sed vera potiùs Politiarum fundamenta evertentem; ærarium nempè quæ exhaurit, & subditorum evacuat amorem. Et sane Reputatio, si non veris virtutibus, internæque magnitudini innitatur, à vi levissima vinci solet *Boccalini cent.*2. *ragguagl.* 15. Potentia vel vis, haud suâ vi nixa, nullius, vel exigui admodum est momenti, *Ioh. Baptista Lenccius, observ. polit* 28. Quo & intuitu Alexander Severus olim dixit: Imperium in virtute esse, non in decore. Et vanam Hispanorum reputationem falsè, satisque ridet Boccalinus 2. *ragg.* 4. Adde Michel de Montaigne. 1. *des essais.c.*41. Ac vera opinio fuit Antonii Imperatoris, *lib.*1. posse eum, qui in aula vivat, & stipatoribus carere, & vestibus pictis, & facibus, statuisque certi generis, reliquoque luxu: sed licere ei, proximum privato homini habitum sumere, imò verò eum splendorem, eos, qui Principes Rempublicam gerere velint, demissiores segnioresque efficere. *Montaigne lib.* 3. *cap.*6.*fol.m.* 911. *Piccart.dec.*14. *c.* 1. *& Tasso cant.*2.*nu.*60.

Qualem authoritatem Princeps debeat quærere.

Verace valor, benche negletto,
E di se stesso à se fregio assai chiaro.

Hocque vento pascitur tamen nunc totus Mundus. Et quod de Portugallensibus Conestagius

stagius *in præfat.* dicit, eos vivere ex opinione, & sustentari potiùs eò, quod se esse putant, quàm quod sunt revera: hoc nunc de omnibus ferè populis Orbis Christiani dicere licet, *add. Boccalini cent* 1. *ragguagl*. 34. *fo. m*. 133. Optimè, amicus mihi optimus, Dn. Antonius VVinterus: *part* 1. *Assessor. cap*. 5. *num*. 56. *&c. Mihi valde placet gravitas morum, & pietas vera: quæ gravitas & Reputatio non est virtus per se, sed virtutis & pietatis effectus, in aliis hominibus conspicientibus & admirantibus procreatus. Postquam autem nostris moribus, reputationi peculiaris virtutis species induitur; fit larva, latentem dissimulans improbitatem. Per falsam reputationem, nihil castè facias licèt, modò cautè: clam sis turpissimus modò palàm laudatus: rectius hi, quibus bona & mala sui naturâ æstimantur*, &c. Et idem paulò post: *Sed quid in aulis hodiè frequentius, ista perversâ Reputatione? cujus propria sunt, famã virtutis affectare, veram odisse virtutem: mentiri conditionem, humilitatem & humanitatem exuere, nullius amicitiam, omnium admirationem, metum ac respectum, paucorum verò studia velle. Consequentia sunt, tumor titularis, vacuatio patrimonii, bonorum odium, superiorum ira, inferiorum contemptus, fumos denique emere & vendere, &c.* Sed tamen licet Principi dissimulare suas imperfectiones. *Philippe de Marnix. sect*. 7. *resolut*. 5. Turcarum Rex authoritatem sibi conciliat, turbasque & motus præcavet, dum curat, Iustitia ut administretur, & annonæ ullo unquam tempore caritas ne oriatur. *Renatus de Lusinga, de increm. Imper*. 2. *cap*. 4.

VII. Secundum generale Imperii cujuslibet munimentum est, Amor subditorum. Cætera

Cætera cognomina honori magis dicamus: *Magnos & Felices & Augustos* dicimus, & ambitiosæ Majestati quicquid possumus titulorum congerimus: sed *Patrem patriæ* vocamus, qui utitur potestate patriâ, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens. Cùm tarde sibi pater membra sua abscindat, etiam cum absciderit, reponere cupiat, & in abscindendo gemat, cunctatus multùm diuque. Quare paternus Regum in cives suos amor tantum potest, ut ipsorum corda & intimos affectus plerunque possideant in solidum, atq; unico sæpè verbulo benigno, & intuitu blandulo, veluti potentissimo quodam fascino, eorundem voluntates, arcas & scrinia expugnent. *Dn. Lansius pro Gallia fol.* 19. Et majorem vim habet ad tenendos in officio etiam feroces homines, æquitatis, gravitatis, constantiæ & sapientiæ opinio, quàm regium sceptrum; quam etiam carcer, bonorum confiscatio, proscriptio, virgæ denique & secures. *Iohan. Herburtus de Fulstin. histor. Polon. lib.* 20. *cap.* 2. Eaque demùm Respublica fortissima censetur, ubi Princeps, vel Imperantes, à civibus amantur. *Vide Senecam* 1. *declamat. tertia.* Nullum quippe Imperium tutum est, nisi benevolentia munitum, *ut in Dione ait Æmil. Probus.* Et nemo se alterius Dominum per violentiam nominare potest. *Perez. in Aphorism. fol.* 246. *Boccalini d. Parnas.* 1. *ragguagl.* 99. Et idem *in Pietra del Paragon. fol.* 20. Multum imperando, plus amando Rex potest: Amor & Obedientia, fratres sunt germani. Anton. Perez. *fol.* 21. *nu.* 105. Impii, & ipsi etiam Spiritus impuri Deum timent, sed quia non amant, non ei obedientiam præ-

Amor subditorum alterum Imperii munimentũ.

stant. Metus & odium inseparabilia censentur. *Perez. fol.* 329. *aphorism.* 389. vetusque versus est:

Nemo potest esse fidus ei, quem timet.

Veneratio malè acquiritur terrore. Malè veneratio terrore acquiritur, longeque valentior est amor, ad obtinendum quod velis, quàm timor. Plinius 8. *Epistol.* Imò, amor est de essentiâ Regis. *Arnisæus relect. lib.* 2. *cap.* 3. *sect.* 2. *Louys Guyon, tom.* 3. *des diverses Leçons lib.* 1. *c.* 22. *& seqq.* nec Imperium vi retinetur. *Marnix sect.* 4. *resol.* 1. Faciant ergò Reges subditos sibi amicos. *Perez. Aphorism. fol.* 260. *num.* 144. Ita Alexander Severus, cùm ipsi & mater, & uxor objicerent nimiam civilitatem, sæpeque dicerent, molliorem tibi potestatem, & contemtibiliorem fecisti: ille respondit, sed securiorem atque diuturniorem. Animorum inclinationem, sequitur inclinatio, & ruina Imperiorum: *Typotius de fama fol.* 131. *& seqq.* signumque mortale habetur Principatus, si Princeps suis diffidere cogatur. *Perez. fol.* 227. *num.* 33. Ea demùm felix est Regis fortuna, si timeant subditi, non eum, sed pro eo: quod Bias olim dixit. *Vide Scipionem Amirato. Discurs. lib.* 15 *cap.* 7. *& lib.* 17. *c.* 5. Tutissimum hocce satellitium est, Richter. *Axiom. Histor.* 189. Etenim, quem

Quod quem omnes oderunt, is singulos metuat. omnes oderunt, hic singulos ut metuat, est necesse: ac, ut ait Dionysius Halicarnassæus *libr.* 6. *sub num.* 34. *Quicquid est formidabile, id necessitate naturali maximè est omnibus exosum.* Ac firmissimum id esse Imperium, *ibid.* dicit. T. Largus, quod beneficiis, non suppliciis, subditos in Imperio continere solet. Illorum enim benevolentiam

lentiam, horum timorem esse comitem. Ausonius:

Multis terribilis, caveto multos.

Præclara, & quæ huc referantur planè digna verba sunt Marci Imperatoris apud Herodianum *lib.*1. Neque enim, aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri Principem possunt, nisi eorum, quibus imperat, priùs adsit benevolentia. Quippe ii demum diu tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed sui desiderium ex bonitate, civium suorum animis instillant. Neque enim quos servire necessitas coëgit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, ii sunt in agendo patiendoque, à suspicione omni, assentationeque vacui: & nunquam Imperia detrectant, nisi violenter, contumeliosèque habiti sint. Sicque Cæsar maluit semel mori, quàm metuere semper. *Suetonius cap.* 86. Vide Nemesin justam, à qua superbia, absolutæque potestatis abusus ita punitur, ut etiam minimum timere cogatur. *Perez. fol.*269. *& fol.*39.*n.*217. *& seq.* Cujus regulæ illustre præbuit exemplum Ludovicus XI, Galliæ Rex. De quo Cominæus, *lib.*6.*cap.*12.*fol.*569. *item* 572. *ac passim*. Hincque verè gloriosa, ac viro Principe digna gloriatio fuit, Gelsissimi Eberhardi, VVürtembergiaci Ducis; qui in Principum Germanorum solemni conventu, hoc uno gloriabatur: quòd in cujusvis suorum subditorum gremio, etiam in vastissimâ solitudine somnium capere securus posset. Ioachim. Camerarius *in vita Philipp. Melanchth.* Mart. Crusius. *Annal. part.*3.*l.*7.*c.* 14.

Debet tamen amor iste cum veneratione & timore aliquo esse conjunctus.

VIII. Amor autem ille, cum veneratione quâdam & timore conjunctus esse debet. Quod dextrè explicavit Imperator Sigismundus: qui audiens à quibusdam disputari, num meliùs esset amari, an timeri à subditis? respondit: quemadmodum superi amari & timeri volunt, ita & Reges. Neque enim benè ames, nisi etiam timeas. At in Regibus quoque situm est, ut amentur & timeantur: si ita moderentur vitam, ut nec inferioribus sint terrori, nec superioribus despectui. Æneas Sylvius 4. *comment. in res gestas Alphonsi*. Fugienda itaque familiaritas, levitatem comitem habens; quæ olim Iohannem Albretanum, Navarræ Regem pessundedit: *Histoire de Navarre. fol. m.* 603. *& seq.* quique eo nomine à suâ uxore acerbè exagitatur. *ibid. f.* 623. Fugienda compotatio familiaris, &c. *Kirchnerus disp. de Repub.* 20. *in coroll.* Olaus Magnus *lib.* 13. *c.* 34. Amoris illecebra est non solum universorum, sed & singulorum cura. (nam & minimos etiam timere debet. *Perez. f.* 39. *n.* 217. *& seq.*) & ita singulorum ipse percipiat querelas. *Vide Iustum Lipsium in Dissertatiuncula: Ubi de Rodolpho Austriaco.* Ac barbarus est modus auctoritatem acquirendi, si Princeps nunquam conspiciatur. *Kirchnerus disput. de Republ.* 20. *th.* 2. *b. vid. Pierre Matthieu. l.* 1. *narrat.* 4. *n.* 11. *f. m.* 118. si solus edat, *Piccart. dec.* 17. *c.* 6. Nam semper comitas est melior fastu. *Dn. Gruterus part.* 2. *discurs. ad Tac. f.* 18.

Ante dictorū consectaria.

Ne Princeps spectet supplicia.

IX. Hactenus dictorum consectaria sunt. (1.) Quod Princeps non debet supplicia spectare: *Facii pol. Livian. part.* 3. *error.* 27. Fe-

zina

rina rabies est, sanguine ac vulneribus gaudere, & supplicia, nisi dolente & commiserante animo decernere.

(2) Vicissim præmia ipse, non per alium offerre debet. *Kirchnerus disput.* 19.*th.*1.*a.* Favorabilia, personæ Regiæ reservanda, odium in officiales derivandum. *Boccalini.* 1. *d. Parnas. c.* 61. Sententia fuit Rudolphi I. Imperatoris: Severum & immitem fuisse me aliquando pœnituit; lenem & placabilem nunquam. Plerumque enim civiles dissensiones, mansuetudine & moderatione multò facilius, quàm severitate & armis sedari possunt. Ita verè apud Euripidem Rex Menelaus inquit: Si vela tendas nimium, navis mergitur, sed si relaxes rursùs, vehitur tutiùs. Odit Deus nimis vehementes impetus, odere cives: gratior est moderatio: *Chytræus hist. Saxon. m. fol.* 549. — *2 Ipse præmia cōferat.*

(3) Opera cumprimis danda; ut subditi contenti sint statu præsenti, nec Imperii sit pertæsum. Id enim Imperium firmissimum est. *Anton. Perez. fol.* 155. Subditi namque malè contenti, sunt desperati. *Guieciard. in hypomnem. pol. nu.* 56. & Regna malè contentis, ut vocant, plena, instar turris sunt, argento vivo inædificatæ. *Perez. f.* 22. *nu.* 113. Magnum ideoque est arcanum, subditos non habere malè contentos: facileque evertitur regnum, ubi subditi Dominum tantùm, non Imperium sunt mutaturi. *Boccalini, cent.* 2. *ragguagl.* 6. *f. m.* 21. — *3 Operā det, subditi præsentem statum ament.*

Sed subditorum animos maxumè perturbant, novorum rumorum, vel incertorum, vel ex affectu cujusvis confictorum sparsores: qui ideò maximè sunt puniendi. — *Eum in finem novorū rumorū sparsores puniat.*

Optimè Langlæus *Semestr. l.* 8. *c.* 11. Quales hodie sunt die Newe Zeitungen spargiren: & tam Principes, quam subditos, in has vel illas partes proclives reddere student. Vanissimum pessimumque hominum genus, omnibus mortalibus libertatis desiderium est innatum; & iis qui inviti, & coacti miserias perferunt, quævis vel levissima occasio ad res novas idonea videtur. *Dionys. Halicarnass. l.* 4. Ideoque justis populi petitionibus satisfaciendum. *Perez. fol.*160. *Aph.* 8. Multò minus eorum privilegia sunt violanda *Pierre Mathieu l.*6. *narrat.*1. *n.*4. *f.*452. Sicque Trajanus ad Plinium *l.* 10. *Epist:* 110. rescribit, sequendas esse leges uniuscujusque civitatis. Nam (de Bithyniæ ac Ponti civitatibus loquens) sive habent Privilegium, quo cæteris creditoribus anteponantur, custodiendum est, si verò non habent, in injuriam privatorum id dari à me non oportebit. Et *Epist.* 114. Id ergò, quod semper tutissimum est, sequendam cujusque civitatis legem puto.

Iustis petitionibus satisfaciat. Privilegia ne violet.

At si fieri nequeat, ut omnes præsenti statu sint contenti; ea tamen pars civitatis, Remp. quæ salva esse cupit, potentior existere debet. *Aristoteles* 4. *pol.* 12. quò & semper Lysander respexit. Æmilius Probus *in vita*. Ac item, quamvis Princeps plus timere debeat subditorum maledictiones, quàm inimicorum arma: Quod fuit Apophthegma Heinrici Castiliæ Regis: Botero *de detti. f.* 3. attamen Friderici III. Imp. mansuetudo imitanda est; qui, cùm nonnullos dicta probrosa in eum jecisse aulici referrent, nihil planè commotus, dixit: Principes & alios præstantes viros, quasi signum, ad quod omnes virulentæ

Vt pars quæ salvã vult Remp. prævaleat.

virulentæ linguæ tela conjicerent, expositos esse; ut turres præaltas fulmina feriunt, humilia prætereunt tecta. At benè nobiscum agitur, cùm verbis tantùm impetimur. Et in magno præsertim Regno, multa negligere, multa pati necesse habet Princeps. Ac ita Catharina Medicæa dicere solebat; *chegli effetti di piccioli modelli, non riuscivano ne' grandi. Botero de detti. fol.* 17.

X. Sed inter arcana, de quibus nunc tracto, generalia sunt, quæ omnibus negotiis, in unaquaque Republ. pro ratione temporis ac loci adhiberi possunt, ex quibus specialia deducuntur. Inter quæ primum agmen ducit *simulatio.* Quod arcanum generalissimum, ex quo cætera omnia, tanquam rivuli ex suo fonte, descendunt. *Arcanum generalissimum simulatio.*

Simulationem ICtus dolum vocat, cùm aliud agitur, aliud simulatur. Quo nomine non innuo turpem simulationem, neque quali arrogans uti solet: uti Nero ad quinquennium, Herodes junior ad sexennium fuêre, post quod tempus simulatio detecta, & natura hactenus occulta erupit. Quam licèt Tyranno valdè necessariam dicat Aristoteles, (qualis Tiberius fuit, artifex in vitiis occultandis,) Ego tamen Catonem probo, quem Vellejus scribit, nunquam rectè fecisse, ut fecisse tantummodò videretur. Sed honestam nihilominùs simulationem, quæ non multum à virtute recedit, utilem esse, & in tempore assumendam, B. Hieronymus docet: quâ etiam justi homines ad suam & aliorum salutem sunt usi. *Simulatio quid?*

Sicque in civilibus simulare, Politici vocant; aliam actionibus speciem præferre, quàm *Qualis admit-*

tenda. reverâ subest; quod Plautus vocat, glaucoma oculis objicere; Vlpianus, sub specie, sub prætextu agere; Marcianus, sub colore: sicut actum ipsum Marcellus colorem, seu titulum quæsitum appellat; quam falsam expositionem interpretatur Quintilianus. Quales sunt omnes actus imaginarii, cùm fides facti simulatur, non intercedente veritate, ut Modestinus definit. Et hoc omninò fieri opus est, quando Reipublicæ expedit, consilia esse in occulto; ne, si causa deprehendatur, in ipsâ herbâ supprimantur, priusquam perveniant ad maturitatem. Multa sub eo prætextu, & ab aliis fieri vidi, & feci aliquando ipse callidè & insidiosè, inquit Cominæus.

Simulare Politicis quid.

Simulatio Principum circa legatos. Quo artificio Principes, proprios Legatos quandoque fallere solent, dum sub alio prætextu eos ablegantes, veram causam celant, ne, si sciant, remissiùs agant, ut suprà *in dissertat. de legatis,* dixi. Huic parti toties locus est, quoties alia causa prætenditur, ne, quod agimus, id agere tamen videamur. *Gryphiander. thes. 70. & sequentibus.*

Religio majestatis decus. Omnium validissimus est prætextus religionis, quo solo Bodinus scribit, Australes subditos suos in officio continere. Summa enim ratio est, quæ pro Religione facit, ut inquit Papinianus: ut omnia post religionem ponenda civitas Romana duxerit, teste Valerio Maximo, etiam in quibus summæ Majestatis decus voluit apparere. Hâc veluti thyrso percutiuntur mentes humanæ, ut facilè in ejus imagine etiam falsa & simulata acquiescant: maximè vulgus, cujus mobiles ad superstitionem perculsas semel mentes, dicit Tacitus, ut nulla res efficacius multitudinem, quàm superstitio

perstitio regat. Hinc & Gajus ICtus, maximum remedium expediendarum actionum vocat. *Gryphiander*, *th.* 77. *&c.* ego. *l.* 2. *pol.c.* 1.

Pariter usitatissimus est prætextus juris, ut pænè nimio sui usu eviluerit. Nec enim est quisquam hominum, maximè Principum, qui, quod agit, non jurè agere videri velit: ut admodum insulsus videatur Politicus, si instar prædonis Vlpiani, interrogatus cur id faciat, responsurus sit, quia facio, nec ullam causam suæ actionis possit reddere, saltem fatuam & ineptam. Imò speciosam noverit, & quæ etiam peritioribus imponat. Quod Principi suo suggerit Machiavellus: utilitati saltem ac Imperio consulendum; nunquam defuturas causas, quibus in actiones color aliquis juris inducatur: Homines autem specie magis & colore rerum, quàm rebus ipsis permoveri & judicare; præsertim vulgus, quod specie recti, & rerum eventu captivum perpetuò ducatur. Et pænè nihil quàm vulgus in toto orbe versari, ut paucorum sapientum ratio habenda non sit. Quin ex his quandoque patronos se offerent, sicuti Philosophus quidam cædem Cliti ab Alexandro per ebrietatem rectè factam contendit, effecitque, ut jurè facta à militibus decerneretur. Thomas VVolsæus Cardinalis, incestum, & crebra divortia Heinrici Angliæ Regis, apud Pontificem excusare tentabat. Nimirum est hoc, quod in simili Cicero conqueritur, nihil tàm monstrosè à quoquam dici & fingi posse, quod non aliquis Philosophorum asseruerit. *Gryphiander th.* 96. *&c.* Nec multi Papinianum ICtum imitantur quem ajunt occumbere maluisse quàm Imperatoris fratricidium excusare.

Item jus.

Notatur Machiavellus & alii iniquitatum patroni.

Et iti-

Occultatio affectuum quæ tamen potius est dissimulationis. Et itidem generale est arcanum; occultare odium, iram, dolorem, gaudium, & cæteros affectus, ne animadvertantur. Quod in speciem dissimulationis incidit, quæ est simulationis quasi soror ac comes individua: quia eo ipso, dum dissimulamus quod est, simulamus etiam quod non est. Hocque summè necessarium esse Politico reputatur, adeò ut Magnus Rex non temerè dixerit, qui nescit dissimulare, nescit regnare: imò nescit vivere. Cùm enim in vita multa Politico obveniant, quæ nolit; ut ad effectum consiliorum suorum veniat, multa simulet oportet invitus, & dissimulet cum dolore, ut alicubi M. Tullius inquit. *Gryphiander. h. th. 134. &c.* Ita injurias dissimulare quandoque oportet, saltem ad tempus. Et licet in privatis, injuriam dissimulatione aboleri dicat ICtus: in Principibus *Cujus necessitas ostenditur.* tamen manet altâ mente reposta; quousque occasio ad animum revocandi, ut ICti vocant, se offerat. Sicque in præsens Tiberius injuriam civiliter habuit, inquit Tacitus, sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat. Ita Saul dissimulabat despectum filiorum Belial, ac erat quasi surdus. David demùm moriturus à Simei injuriarum vindictam sumere filio præcipiebat.

5 Falsa spe deludere. Crebrum pariter Politicis est, falsâ spe deludere alios. Quâ se invicem lactasse Ludovicum XI, & Carolum Burgundum, apud Cominæum est videre: sicut apud Thuanum, quomodo Carolus V Francisco de restituendo Mediolano frustrà spem fecerit.

Pertinet hûc persuasio, quâ callidè allicimus animos eorum operasque, qui alieni sunt juris

6 Conciliare animos eorum qui alieni sunt juris.

juris, ut Lipsius definit. Quod proprium esse prudentiæ statuit Cicero, conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos adjungere. Ita Metellus apud Sallustium, Legatos Iugurthæ alios ab aliis diversos aggreditur, ac paulatim tentando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo, persuasit.

7 Distrahere adversarios.

Sicuti & è diverso distrahere adversarios, serere odia ac rumores, alere factiones. Quomodo Cato inter servos simultates nutriebat, ne conjuncti in Dominum conspirarent. Quam artem Ludovicus X I callebat, qui & quandoque utramque partem in bello pecunia aut milite adjuvabat, & in omnibus penè Principum aulis suos habebat *ὠτακουστὰς*, ut Philosophus vocat: ex intimis Consiliariis, quibus annuum salarium furtim dabat, ut suæ causæ faverent.

Fides tamen omnino servanda Principi.

Quòd si tamen ultro citroque fides data sit, neque perfidiæ, neque perjurii auctores cuiquam esse debemus, ut in simili Imperator Alexander rescripsit: cum, ICto teste, grave sit fidem fallere, utpote sanctissimum in vita, teste Cicerone. Hocque Iure gentium ita inter omnes populos convenit, absque quo esset, ut nec hominum commercia, nec ipsa civilis societas stare posset.

Quod cùm in aliis, tum maximè in Principibus, obtinere debet; quorum simplex assertio habetur loco juramenti: ut dixi *in dissert. de Fœderum jure*. Vnde eos ab omni malitiâ vult esse remotos Cacheranus, & Baldus, unam linguam habere & unum calamum, immobiles, sicut est lapis angularis. Verum quàm multi sunt, apud quos dictis promissisque nullà fides, nisi quatenus expedit? Quod de Parthis

this prodidit Iustinus. Et etiam Bodinus 5. *de Republic. cap. 6.* attestatur. Fidei Religionem plerosque Principes reputare nullam esse oportere, si publica utilitas agatur. Et ita de Gallis ajunt eos fraudibus agere, & fidem publicam, quæ perire non debet, specie quâdam Iuris, à legitimis etiam conventionibus exterminare, vanissimis ratiunculis innitentes. *Dn. Lansius Orat. cont. Gall. f.* 291. Qui pacta & juramenta pro decipulis habent, quibus incautos supplantent; sicut Lysander dicere solebat: Pueros quidem astragalis, viros juramentis fallere oportere. Quo sensu ille apud Ennium ait: *juravi linguâ, mentem injuratam gero*. Sed his Isidorus commodè præcludit viam: *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Alii alio pacto solent perplexarier, pactum non pactum est, non pactum pactum est, cum illis lubet: Imò cum tabulæ notantur, adsunt testes duodecim, tamen invenitur orator, qui factum neget. Si non apertè, saltem occultè quandoque.* Gryphiander. *th.* 196. *&c. multis.* Ita utilitas plerunque pro justitia esse solet. *Dn. Christoph. Forstnerus. Hypomn. polit.* 27.

CAPUT II.

De Arcanis specialibus cujusvis Politiæ.

Arcana Reip. quotuplicia?

I. Arcana Reipublicæ specialia, triplicia Clapmarius facit 2. Cap. 1. ex triplici Imperii statu. Ego formam Reipublicæ commixtam, sua pariter vel maximè habere Arcana, puto: quod nec Clapmarius alibi diffitetur. *lib.* 5. *cap. ult. & 6. cap.* 19.

cap. 19. Et huc pertinent fines secundarii Rerumpublicarum, de quibus Aristoteles 3. *polit.* 5. Et sic Oligarchiæ finis Divitiæ sunt; æqualitas Democratiæ: iique fines minùs principales, præcipuè statum concernunt. Ergò, Arcana sunt rationes, huncce finem adipiscendi.

II Arcana Regni, quod obvenit successione, pauciora sunt. Satis enim est, ne Princeps suorum majorum transgrediatur instituta; deinde, ut tempori ad novos rerum casus inserviat: ita, ut si Princeps hujusmodi, communi & vulgari saltem præditus in agendo industriâ sit; semper in Principatu se conservare possit. Nisi enim extraordinariis & prævalidis vitiis, in odium offensionemque populi incurrat, meritò naturali quodam jure à suis diligitur; & in ipsa vetustate cohærentis & continuati Dominatus, omnium mutationum memoria obruta jacet. Nicol. Machiavellus *in Principe, c.* 2. *& discurs. lib.* 3. *c.* 5. Icon animorum Barclai *cap.* 13. Hœnnonius *disp. polit.* 9. *thes.* 26. 27. *&* 29. Anton. Perez *f.* 180. *nu.* 124. Ego in prodromo *tract. de success. & elect. fol.* 15. *num.* 13. Quamvis major pars Regum, rationem diversam sequi malit, huncque vulgarem & popularem imperandi modum detestetur; teste eodem Perez. *aphorism. de las segundas cartas. num.* 5. ac adde *fol.* 153. *aphorism.* 74. Hinc Princeps, talis antecessoris Consiliarios mutare & dimittere non debet. 3. *Reg.* 12. *Cominæus* 1. *c.* 3. *Serenissimus magnæ Britanniæ* Rex, 2. *Instit. Regiæ. f. m.* 69. *Iohan. Gerhardi, decad.* 4. *quæst.* 6. Ego, *de Consilio politico. cap.* 6. Si quis tamen post Principem invisum, & cujus Imperii pœnitet,

Arcana regni Successorii paucio- ra & qua sint.

Prin-

Principatum acceperit, aut si veteris Aulæ Consiliarii, populo invisi sint admodùm: is abjectis illis, probos & expertos asciscat.

Fama defuncti, in successorio maxumè Imperio est custodienda. *Amirato. 17. discurs. Casp. Ens. 2. convival. f. 166. Ego in prodrom. disp. nomicopolit. num. 10. fol. 24.* Et inprimis initiò cavendum, ne contra consuetudines patrias, Regnique leges delinquat. Habetur enim pro comperto, quod is, qui exordium regiminis sui, à contemptu legum suscipit, multis, ut injuriam faciat, comminetur. *Olaus Magnus histor, Septentr. 8. cap. 3.* Ad Arcana successivi Regni refero, quòd Principatus minimè dividendus est: quodque successioni certæ debent esse fixæ leges, & quòd pacta fiunt gentilia, de mutua successione; & quidem dum adhûc incertum est, an ille casus unquàm sit eventurus. *Bodinus de Republ. fol. 1124. & seq. Ego tract. de success. & elect. Regiâ lib. 1. dissertat. 14. num. 3.*

Arcana regni nuper parti. III. Vicissim infinita sunt Arcana Regni novi, seu nuper parti: quorum nonnulla recensét in suo Principe Machiavellus, & Amirato. *lib. 1. disc. 8. ut & lib. 20. discurs. 7.* Facius *item in polit. Livian.* Richterus *axiom. hist. 76.* Suetonius *Cæsare c. 75.* Forstnerus *hypomn. 55.* *Multa habet & ad crudelitatem accedentia.* Regnum novum multa Arcana habet, & quidem etiam ad crudelitatem quam proximè accedentia. Vnde apud Virgil. 1. *Æn.* Dido;

> *Res dura, & regni novitas me talia cogunt*
> *Moliri.*

Et Ariosto. *cant. 9.*

---*Sempre*

——*Sempre, mai più quando è nuova,*
Seco ogni signoria sospetta porta.

Sicque etiam Tiberii crudelitas defenditur, in Boccalini Parnasso *Cent.* 2. *capp.* 33. Et Imperium, præsertim flagitiis partum, nemo unquam exercuit artibus bonis. Tacitus 1. *Histor.* Suetonius *Cæsare cap.* 72. Vide Campanellam, *politic. cap.* 9. §. 6. Sic & in Republica libera ad unius dominatum redacta, institutio pristina cum primis, libertati apta, mutari debet. *Paruta libr.* 1 *discurs.* 1. *fol. m.* 27. Ita Philistæi, filiis Israël omnibus conventibus & congregationibus interdixerunt, cum eos ultimo prælio subjecissent. *Drusius ad loca Samuel. lib.* 1. *c.* 7. *v.* 7. Iisdem quoque omnia ferramenta ademerunt. 1. *Samuel.* 13. *vers.* 18.

IV. Alia rursus sunt Arcana Regia, sive Arcana Imperii Monarchici contra Plebem; alia contra Patricios; alia contra unum de quibus Clapmar. 2. *cap.* 15. *&c.* & Amirato *lib.* 13. *disc.* 8. Si nobilium timentur factiones, plebs est tuenda. *Boccalini,* 2. *ragguag.* 43. ut in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanensi fecit Philippus II, Rex Hispaniarum. Debilitandi sunt, qui potentes nimis; Ludovici XI Galliæ Regis exemplo. *Botero de detti. f.* 10. Plebs non exsugenda, & contra Nobiles defendenda, & hoc est *tenere i popoli bassi. Boccalini.* 1. *c.* 67. Alii, eo fine dissidia Nobilium fovent. *Boccalini.* 1. *ragguag.* 35. *fol.* 145. qui idem 1. *ragguag.* 68. disputat, quid commodi, quidque incommodi ferat, Optimates in Regno potentes habere? At contra plebis furorem, Imperium firmat Nobilium favor. Nobiles enim

Arcana regia celata ad plebem & Patricios.

Contra plebem

enim ferè, uni Monarchæ favent, & malunt unum superiorem ferre, quàm plebem sibi æquari. *Boccalini 2. ragg. 6. f. 17. & seq.* ut experientia testatum fecit, in Belgicis Provinciis, cum Rege reconciliatis: teste Meterano, non uno loco. Vnde Machiavellus. 2. *hist. Flor.* 104. de Duce Atheniensium, à Florentinis vocato, loquens: *Non aliâ, inquit, ratione populum istum, à quo tot injuriis oppressi hactenus fuerant, subjugari posse constituerunt; quam si sub unius Principis Imperium mitterentur, à quo virtuti suus honor haberetur, atque contumacia coërceretur.* Quo itidem respectu, Tacitus de Germanis. *Est apud illos* (Sujones) *& opibus honor, eoque unus imperitat, nullius jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Alia adhuc arcana, intuitu Nobilium usurpanda suggerit Campanella. *Monarch. Hispan. cap.* 14.

Armorum ademptio arcanum regno & Aristocratiæ commune.

Arcanum item habetur contra plebem, tam in Regno, quàm Aristocratiâ, subditis adimere arma. Idem Tacitus, ubi Althamer. *fol. m.* 500. De iisdem Sujonibus: *Arma non, ut apud cæteros Germanos, in promiscuo usu, sed clausa sub custode, & quidem servo.* Ita in hoc Ducatu post bellum rusticanum, rusticis adempta arma, & certis armamentariis, in oppidis quæ erant inclusa fuerunt.

Cavere ne unus præ cæteris excellat.

Cavere etiam Principes solent, ne unus præ cæteris nimis fiat Magnus, quod Tiberium monuit Augustus. *Dion. fol. m.* 588. Sicque Ferdinandus Rex Hispaniæ, Consalvum, magnum Capitaneum dictum, sibi Regnoque cavens depressit: *Vide Sepulved. com. ad Aristotel. 3. politic. 9. num.* 12. Sic postea Pescarius Carolo V. & Don Iohan de Austria; ac etiam Parmensis, Philippo II. fuère suspecti: quasi

Imperium

Imperium ambirent earum Provinciarum, quas adminiſtraverunt: & Belliſarium Iuſtinianus humiliavit.

Etenim in negotiis ſtatûs, quicquid fieri poteſt, illud metuendum eſt, ne fiat. Eſt namque humanum ingenium ita comparatum, ut, ubi facultas, & occaſio eſt, ferè ambitio eos captet. Et qui poteſt imperare, vix negligit occaſiones, etiamſi id contra jus fiat.

Temeritatem miniſtrorum per matrimonia ſiſtere.

Arcanum Principis, adverſus ejuſmodi magnos miniſtros habetur, ut ad Matrimonium adigantur: Quod incautè Heinricus IV. Galliæ Rex, in Bironio neglexit. *Mercure François tom.* 1. *fol.*111. Non enim ita temerarii ſunt, qui ſibi liberiſque metuere, neceſſe habent.

Quam propter rationem crimen Majeſtatis, liberos quoque adficit pœnâ. Quò ſcilicet nemo delictum illud committat, metu pœnæ ad liberos, etiam innocentes, tranſeuntis. Sic & ſub ſpecie honoris, æmuli removentur. *Dn. Gruterus, Diſcurſ. part.* 2. *fol.* 124. & 132.

Cumulantur alia arcana.

Quidam etiam Principes, eam propter cauſſam, Magiſtratus eligere ſolebant, qui negotiis pares, non ſuperiores erant. *Tacitus* 6. *Annal.* Vbi de Poppæo Sabino.

Hûc pertinet, quod Statiſtæ ſuadent, Magiſtratus non continuare, nec magnis familiis dare. *Botero de detti, fol.* 14. *b. Perez. fol.* 10. *num.* 43. 44. 46. Belli geſtionem extraneo committere, cum ſolius Principis reſpectu non propriæ magnitudinis intuitu, obedientia præſtetur; *Boccalini* 1. *ragguagl.f.*127. Magnos non procul ablegare. Perez *fol.* 11. *num.* 48. ut eorum actiones eò magis ſint in conſpectu. Arcana Dominatus Barnab. Briſſonius

nius recenset *tractat. de Regio Persarum Princ. per discursus.* Boccalin *cent.* 1. *raggual.* 29 Hocque Regnum facilè cadit, ut censet Boccalini 2. *ragguag.* 48. & etiam Machiavellus *in Principe alicubi.* Vbi Francicum & Turcicum Imperium inter se confert.

Arcana Ordinum in regno electivo. V. Iterum singularia sua habent arcana Ordines, in Regno Electivo, *Vide Henning. Arnisæum doct. pol. f.* 209. Add. Auct. von der freystellung, *part.* 1. *fol.* 66. *b.* &*c.* Huc referunt, ne ex una familia sæpius sumantur Reges: *c. venerabilem.* 34. *v. nam si prout olim Fridericus extr. de Elect.* quæ Decretalis, in vulgata Decretalium compilatione mutilata, integre ponitur *in tr.* Sim. Schardi. *de elect. c.* 4. Vide etiam VVindeccium *de elect.* ubi probat, etiam in Regno Electivo non facilè negligi posteros vel familiam Regis; hancque eandem explicat Decretalem. Adde Mich. Piccart. *observat. dec.* 6. *cap.* 7. Huc itidem pertinet, quod Curtius *lib.* 10. inquit: *Sine certo Regis hærede, Regni publicas vires ad se quemque tracturum.* Quod pro arcano Regio adversus Ordines sumo. Vbi enim successor in incerto est, ibi facile ad pristinum statum relabitur Respublica. Ideoque Augustus, Germanicum asciri per adoptionem à Tiberio jussit, ut pluribus munimentis insisteret. *Tacitus Annal.* 1. §. *illud. Inst. de adopt.* Immodicus tamen honor successoris destinati, est impediendus. Suetonius *Tiberio cap.* 17. Vide *Me, in tract. de Succ. & Elect. lib.* 3. *cap.* 3.

Arcana cum Aristocratia ad- VI. Aristocratiam adversus Populum tuetur maximè justa potentia optimatum; ac si Populus ab injuria defenditur, non ei tamen ullum Imperium datur. Adversus autem unius Impe-

Imperium Aristocratiam tegit concordia & æqualitas. Concors enim paucorum Dominatio, non facilè ex sese perit. Arist. 5. *pol.* 6. Videndum etiam, ne magna Imperia, ab una familiâ præscribantur. Vide Clapmar. 6. *cap.* 20. Vbi arcana Reipublicæ cujusdam, quæ ocellus est Germaniæ (Noribergam intelligo) recenset. Arcana & singularia multa Reipublicæ Venetæ, enarrat Boccalini 1. *ragg.* 5. Quæ eadem Patriciis bella non committit, ne unus nimium crescat. Cominæus *lib.* 7. *cap. ult. fol.* 685. Omnis quoque Respublica libera, hoc observare debet, ut sibi subditas Provincias non servili Imperio gubernet, sed eæ quoque libertatis communis commoda sentiant. Cujus rei neglectio, Romanam evertit Democratiam. Sic enim Tacitus 1. *Annal.* scribit: *Neque Provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto Senatus populique Imperio, ob certamina Potentium, & avaritiam Magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremò pecuniâ turbabantur.* Sic Florentinorum ruinæ occasionem dedit oppressio Pisanorum. *Cominæus l.* 8. *cap.* 3. *fol.* 709.

Arcana cum Aristocratia adversus populum, tum adversus unius imperium.

Liberæ item Civitates sese invicem juvare, non destruere debent. Consultum pariter est, non nimis extendere Imperii fines. Et prudenter, ut omnia, Boccalin. 2. *ragguag. l.* 6. *fol. m.* 20, *Il miglior precetto Politico, che altri possa ammirare nelle Republiche Alemane, sia l'haver in sommo horrore gli acquisti delle Nationi*. Ita ut Vlmenses immeritò carpere videatur Felix Fabri *in Histor. Suevia*, quòd noluerint emptionis titulo acquirere vicinas ditiones. Cum id fuerit Arcanum, ne

sibi molestias & invidiam vicinorum simul compararent. Contrà defenditur Aristocratia; si plebejis aliqua munia; sed nil tamen de potestate tribuatur. *Adam Konzen. l. 1. Pol. c. 17. num. 4. & seqq. usque ad fin.* Et heic caput est, ne singulari etiam à Senatu accepta injuria, contra Senatum sentire, & novi quicquam moliri; sed pluris Reipublicæ commoda, & Civium quietem, quàm fortunas suas, quàm liberos, quàm caput ipsum facere. *Aon. Palearius. pro Ant. Bellanto. fol. m.* 298.

Popularis administrationis fundamentum & scopus. VII. Popularis administrationis fundamentum est, & scopus; libertas, deinde æqualitas. Et libertatem quidem facilè obtinet populus, æqualitatem difficilimè. Quamvis enim in eo pares sint, quod omnes vicissim imperent & pareant; imperandi tamen vices ad paucissimos perveniunt.

Libertas autem in eo versatur, non ut vivas pro arbitrio, sisque omnino in tua potestate, sed ut vivas juxtas leges, subditus tuo Magistratui; atque eâ conditione, ut tibi quoque sit imperandi potestas. Sic enim est omnibus par Civitatis jus, atque honor. *Conzen. libr.* 2. *cap.* 19. *num.* 2.

Quomodo conservetur contra unum. Et ita popularis status, (cui maximâ prudentiâ gubernationis opus) conservatur contra unum: si nulli uni infinita & nimia, aut longior potestas in Magistratu detur, *Kirchnerus disput. de Republ.* 20. *thes.* 4. *b. Paruta* 1. *disc.* 1. *fol. m.* 11. Hac enim populi indulgentiâ, Cæsar ad Monarchiam arripiendam est abusus. Illud itidem sedulò præcavendum, ne uni ex Magistratibus tanta tribuatur

buatur potentia, ut consuetas Reipubl. actiones, sistere aut impedire possit. Machiav. 1. *disc. cap.* 15. aut ne populus sibi adulari sinat. Omni conatu impediendum, ut ne una familia, nimis potens evadat. Hâc enim ratione Medicæi Florentinum Dominatum acquisiverunt. *Cominæus l.* 5. *c.* 5. *fol.* 623. *& seq.* Et in eo quoque Florentini impegerunt, quòd Laurentinum Medicæum, satellitio uti permiserunt, *Comin. dict. locis. f.* 627.

Quomodo plebs capte-tur ab iis qui ad tyrannidem aspirant.

Arcana ad captandam plebem in Democratiis, eorum qui ad Tyrannidem aspirant, habentur: ut vehementer populares, tum verò in milites studio ac liberalitate insignes sint. Quibus artibus ad Imperium Romanæ Reipubl. pervenit Cæsar: *Suetonius in vita c.* 67. *&c. seqq. usque* 71. Adeò, ut primus auctor militarium privilegiorum circa Testamenta censeatur. *Enenckel.* 2. *de privil. milit. privil.* 16. *à pr.*

Qua contra hoc arcana.

Nunquam ergò permittatur, ut unus potens sibi devinciat Milites, aut ii non ita in Reipubl. manu sint; ut talem quocunque tempore exarmare possit. Notet hoc Europæ ocellus! ut ita Taciti monitu, cavendum semper populo sit ab iis, qui falsò libertatis vocabulum obtendentes, privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordiam habent.

Quibus verò rationibus, Magistratum Tyrannidem prohibuerint Romani, tradit *Ens.* 1. *conviv. f.* 146.

Arcanum item est; ut Cives non externa admirentur; non in aulis vivant, non Principes exteros adulentur. Sic Romani, Re-

ges haud in magno precio habuerunt. M. Cato, Eumenem noluit audire, & Civem in liberâ Republica magno etiam Rege præstantiorem esse dixit. *Plutarchus in vita.* Nicomedes contrà, raso capite pileum sumpsit, & se Romanorum libertum esse, professus fuit. *Plutarchus d. fort. Alex.* Contra plures tuetur Democratiam; qui contra Vniversos crescere opes, & potentiam paucorum non concedit. Quo usu Ostracismus Atheniensium, & Petalismus aliorum institutus fuit olim. 3. *polit.* 13. Alia habet Clapmar. 2. *cap.* 13. *&c.* Quin & delinimento honoris, sæpe turbulenti homines aliò amandantur. Vt Vitellius in Germaniam, quò interim Respublica pacatior sit. Ita Rheam ab Amulio in Collegium Virginum Vestalium detrusam, scribit Iustinus: additâ injuriæ specie honoris, ut non damnata, sed sacerdos electa videretur, ne quis vindex Regni ex genere Numitoris oriretur. *Gryphiander thes.* 95. Hinc Ephesii, cùm civitate expellerent Hermodorum, ita sunt loquuti: *Nemo de nobis unquam excellat. Sed si quis extiterit, alio loco, & apud alios sit. Cicero Tuscul.* 5. Adde *Christoph. Forstner. hypomn.* 10. Democratici enim cavent, ne omnia & maxima officia, patriciis & antiquis familiis concedantur. Eâ enim ratione popularia Imperia in Aristocratiam, tractu temporis converti putant. Hinc Argentinæ, der Ammeister (cujus major est potestas, quàm des Stadtmeisters) non nisi ex plebejâ sumitur familiâ. Sic Genuæ non in Ducem eligebatur olim, nisi plebejus; & is à Nobilibus nominabatur. *Cominæus lib. 8. cap. 15. fol. 820.*

Quomodo Democratia defendatur adversus plures.

Sed

Sed populus, non tantum contra unum, & patricios: sed & contra ipsam plebem est defendendus. Quod fit æqualitate, & cuilibet ordini suâ dignitate servatâ. Et ita olim contra plebem defenderunt Optimates Romæ Senatorum optimi quique. Vnde Cicero *pro Sestio*: *Quia ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, Optimates habebantur*. Et ita ab Optimatum partibus stantes, magis defendere videntur libertatem, quàm plebis partes tuentes. Nulla optimatibus qui accensebatur, multa impotenter egit: sed Rempublicam non extinxit: Cæsar, cui multos Marios inesse, acri judicio citò conjiciebat Sulla, (Suetonius *Cæsare* 1,) clementiâ subdolè usus, libertatem & Rempublicam evertit.

Populus quomodo defendendus adversus ipsam plebem.

VIII. Scitè Aon. Palearius, *Orat. pro concordiâ Civium, in fol.* 410, scribit: *Libertatis proprium est, sic vivere ut velis*. Eam si sic illi interpretentur, ut solent, quæ pestis? quæ pernicies? quod exitium veræ libertatis? Quanto graviùs & sapientiùs, Decemvir Reipublicæ Lucensis, peregrino audaci & temerario, qui ad sensum & voluntatem esse vivendum jactabat in libera Civitate, respondit: Si in libera Civitate es, liber esto, modò sic vivas, ut debes. Nam cùm diversæ sint hominum naturæ & voluntates, non dici potest, quæ dissidia, quæ damna, quæ mala sint, ubi cuivis, quodvis licet: vix crediderim, in silvis, cum more ferarum vitam sibi homines propagabant, istam vocem istis interpretibus ferri potuisse. At unum ferè malum Democratiarum est, libertas immoderata, ac licentia concionum. Hoc uno modo,

Libertas in quo consistat.

 do,

do, vetus illa Græcia periit, quæ quondam opibus, Imperio, gloriâ florebat. Præclarus contra fuit mos Romanorum, qui nullam vim concionis esse voluerunt, quæ scisceret plebs, aut quę *populus* juberet; summota cōcione, distributis partibus tributim & centuriatim descriptis Ordinibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgatâ, & cognitâ, juberi vetarique voluerunt. *Cicero pro Flacco, fol. m.* 500. Magnum arcanum est, ut in Democratia nesciat populus se habere omnem potestatem: sed putet Legibus, Magistratui ac Senatui se esse subjectum. Quod Patres olim Romæ studiosè efficere statuerunt. Arcani hujus Leguleji non capaces, absonè tradunt; Principem Romanum, majorem quàm populum, vigente libertate potestatem habuisse. Quod jam monui *in Oeconom. tit.* 3. *&* 4. *libr.* 1. *fin. quæst.* 9. *ad fin. & disput. sing. ad lib.* 1. *ff. thes.* 11.

Senatus in Rep. libera necessarius.

Inde in Republica libera, Senatus esse debet; ejusque defectus nocuit Reipublicæ Atheniensi: profuisset item Reipublicæ Romanæ, si Senatores plures, majorisque auctoritatis extitissent, populusque tantùm Magistratum, electionem, & correctionem habuisset. *Paruta.* 1. *discurs.* 1. *fol. m.* 38.

Nobiles non debent plebi adulari.

Nobiliores item plebi adulari haud debent. Inde de Optimatibus Romanis, *f.* 9. *discurs.* 1. *libr.* 1. Paruta. *Et si vede havere per l'ordinario tenuto quiei Nobili strada diversa da quella, che si conviene usare con la plebe, con la quale molto piùgio var suo le certa maniera grave & severa, che la dolce, & humile non fa. Ma l'ambitione acciecò talmente egli animi coro, che tale errore non conoscendo, ò non curando, cercavano l'uno*

no l'uno a gara dell' altro, condoni, conspertacoli, & con procedere dimesso, di insinuarsi nella gratia del Popolo.

Arcano huic compar est, facere ut Reipublicæ callentes sint cives. Quamvis enim paucorum plerunque virtus, omnia faciat, in Democratiis; *Æmil. Probus in Epamin. ad fin.* Acre tamen in illos populi judicium, & prudens esse debet. In liberâ item Republica, liberam linguam esse decet: hacque ratione Romæ & Athenis Comœdiæ, Satyræ, &c. frequentes, & etiam in triumphis, summa dicendi licentia erat. Sueton. *Cæsar.* 49. & ibi Commentatores. *Plebs Reip. gnarus esse debet.*

IX. In statu mixto arcanum est, Ordines habere potentes; vitare ea, quæ ruinam hujus statûs accelerare queunt: qualia sunt; Ordinum supina negligentia, & Reipubl. ignoratio, timiditas, adulatio superioris, discordia, commodum privatum, proditio secretorum, in ejusmodi Ordinum numerum referre homines viles, mercenarios, superiori multis nominibus obstrictos, & quos Princeps officio, quo inter Ordines vel aliàs funguntur, utcunque libuerit, privare potis est. Quique statui mixto nocere volunt, non simul offendunt plebem & Nobilitatem. Boccalini *cent.* 1. *ragg.* 35. *fol. m.* 145. *& seq.* Ergò haud se separare debent. *Arcana in statu mixto.*

X. Arcana Imperii, ab Imperii juribus differre, jam suprà est dictum, *c.* 1. *num.* 3. & difficultatem non habere videtur hæc res ullam. Arcana verò Imperii, & arcana dominationis, confinia valde sunt atque conjuncta: ita ut subtilis magis videatur esse hæc distinctio, quàm tractatio Politica admittit. Vide Clap- *Arcana Imperii & dominationis comparantur.*

Q 4 mar.

mar. 3. *e.* 1. De Iure Dominationis loquitur Meleager, apud Curtium *lib.* 10. *cap.* 29. cùm Alexandrum monet, Ius imperii Perdiccæ morte sanciẽdum esse, ne occupetur impotens animus rerum novarum. hinc, *Mort d'estat*, Iura itidem dominationis, Clapmarius 4. *cap.* 2. *&* 3. perperam ad arcana solùm dominationis tuenda, pertinere dicit: cùm jus dominationis nihil aliud sit, quàm extraordinaria, & legibus soluta potestas; quâ in omni parte Reipublicæ uti potest is, qui Majestatem habet: modò id bono fiat Reipublicæ & communis salutis causâ.

CAPVT III.

De Flagitiis Dominationis.

Flagitia dominationis cavenda. CAvendæ hîc sunt fœdæ & barbaræ rationes, atque scelera dominationis conservandæ & augendæ; ac ut uno verbo hodie loquimur, *Consilia Machiavellistica*, quæ Princeps, quantum potest, vitare debet. Verè ac supra sexum, Livia ad August. *Oportet te*, inquit, *nihil facere per injuriam, sed nec omninò facere videri. Nam* privatis quidem hominibus, satis est nihil delinquere; Principibus, ne quidem suspectis esse licet. Quemadmodum interdum veneno, ustione, sectione, &c. curare licet, nunquam sortilegiis, conjurationibus & similibus: ita licitè nonnunquam utimur arcanis, nunquam flagitiis.

Etiam Ethnicis exosa. Et hæc certè flagitia, etiam Ethnicorum conscientiam exagitârunt. *Sallustius in Iugurtha, cap. 72. Bomilcare, aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat, ne qua eo negotio seditio oriretur: neque post id locorum Iugurthæ dies, aut nox ulla quieta*

quieta fuit, neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis credere, cives, hostesque juxta metuere: circumspectare omnia, & omni strepitu pavescere, alio atque alio loco sæpè contra decus Regium noctu requiescere: interdum somno excitatus, arreptis armis tumultum facere ita formidine, quasi vecordiâ exagitari.

An ea Machiavellus doceat. At verò num hæcce flagitia doceat Machiavellus, ambigere licet. Is quidem semper suspectus & invisus fuit Gallis; *Secret des Finances, l.3.f.*417. Sed ea consilia, quæ Galliam sub ultimis Valesiis perdiderunt, non Machiavellistica fuerunt. Nec item solus Machiavelli Princeps, sed & alia ejus opera; ac inprimis considerandus est scopus, ad quem ille collimavit. *Vide Me in fascic. coroll. miscell. comment. meis ad aliquot tit. l.1. ff. subjunctæ n.* 4. *& Christ. Forstner. hypom.* 27.

An rectè juris nomine tegantur. Malè ergò ejusmodi *flagitia*, juris nomine teguntur, *Vid. Thuan. lib.* 52. *fol.* 4. Hinc Tacitus: *Nam quæ alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus, severitatem pro sævitiâ, parsimoniam pro avaritiâ, supplicia & contumelias vestras, disciplinam appellat.* Hæc qui probant, aut Deum non credunt res curare humanas, aut Principes supra homines esse credunt. Contra ac vult Psalm. 82. Sap. 6. Baruch. 3.

An necessaria. Sed eò jam progressi sumus, ut multi talia flagitia, necessaria esse dicant: quæque sint usurpanda, aut non imperandum. Vt de Antonio Leva; refert *Bottero d. detti. fol.* 105. Et talis item Politicus fuit Achitophel: suadens Absoloni, ut novercis abuteretur. 2. *Sam. c.* 16. *v.* 21. Hucque pertinet, quod Augustus Imperator Romanus & Eduardus

Angliæ Rex, adulteriis grassati fuerunt, ut sibi maritos devincirent, *Cominaeus lib. 3. c. 7. fol.* 231. Viros probos & sapientes, quive auctoritatem in Republica habent, è medio tollere, hisque sublatis, cæteros vel nutu, vel vi ad serviendum compellere, seu spicas eminentiores mutilare. Quod consilium olim Thrasybulo dedit Periander, teste Herodoto. Et Tarquinius filio suo, apud Gabios exulanti, ut Livius recenset. Contra quod flagitium Appolonius, apud Philostratum disputat *lib. 5. f. m.* 231. Sunt certè boni semper Tyrannis suspecti. Dn. Gruter. *part.* 2. *disc. ad Tac. f.* 116. ut & impii, ac religione omni carentes, ferre nequeunt pios: eosque Hypocriseos reos facere audent. Flagitiosa item sunt arcana, populum excoriare, & bonis spoliare, quò magis obediens reddatur. *Secret des Finances, 3. fol.*416. *&c.* Prohibere, ne cives inter se ineant societatem: ne congressus, colloquia, conventus, convivia celebrent. Odia inter cives seminare, ut odiis, simultatibusque privatis intenti, mutuò se seditionibus conficiant & bellis. Legum simulare observationem, & easdem transgredi sceleste. *Michael Piccart. observat.* 4. *decad.* 1. Quemadmodum Tiberius noluit, virginem supplicio affici, sed priùs stupro pollui eandem curavit. Parile est; exteros alere Prætorianos; ut Ianitsaros Turcæ, *Thesoro pol.* 1. *f.* 120. voluptatibus vincere, armis invictos, Dn. Ian. Gruterus *disc. part.*2. *fol.* 48: Alia similia habet Boccalini, 1. *ragg.* 29. Comminæus *lib. 5. c. ult. fol.* 470. *&c.* Huc que pertinent ii modi atque rationes, qui in discursu quodam Gallico

Exempla.

extant, ex Italico traducto, *Quomodo in absolutum Imperium Gallia sit redigenda*. Cujus & meminit Thuanus. *lib.* 57. *fol. m.* 1149. *&c*. Confert & hûc instructio secretissima, Friderico Palatino de administrando Regno Bohemico præscripta: ubi congeruntur pleraque arcana, quę ad subigendum Regnum Electivum & liberum, noviter partum, conducunt. Scopus autem illius scripti fuisse videtur, ut Ordinibus Bohemicis, odiosum & suspectum redderetur Imperium novi sui Regis.

II. Hûc pertinent *Arcana Domûs*, Qualia in Turciâ sunt perpetua illa parricidia. *Vide Sueton. Tib. c.* 22. Item cùm aula non discreta est à Republ. *Vid. Clapmar.* 5. *c.* 6. & quæ sunt alia Tyrannorum propria, ut & ea, quæ in Ochlocratiâ & Laocratiâ observantur: ubivis in historicis obvia, & à Politicis notata. Subtilium ejusmodi rationum non ignarus fuit *Boris*, non ita multos annos qui in Moscovia imperitavit: *qui s'advisa se faire un acte pour ruiner le peuple, & puis relever de sa perte, à fin d'avoir sa bienviellance, &c. Mercure Francois, tom.* 1. *fol.* 53. Quòd in Moscovia, adolescentes tantùm legere & scribere discunt, reliquis artium & disciplinatum omnium rudimentis explosis, hoc barbaræ Dominationi conservandæ convenientissimum judicat *Kirchnerus disp. de Repub.* 19. *hypot.* 1.

Arcana domus eodem pertinent.

Hûc pertinet quoque otium negotio inani à plebe arcere, ne novis conatibus studeat, & si quæ alia contra Israëlitas usurpavit Pharao. *Exod.* 1. 10. *seq*. Successorem malum optare, ut sit magis desideratus antecessor.

Recensentur alia arcana.

tecessor. Quo nomine Caligulam ad imperium Tiberius promovit, Dion. & Suetonius *Tib. c.* 21. Mandare facinus & mandatum non agnoscere, sed punire. *Suetonius Tib. c.* 22. Adde Leidhresseri *diss. pol.* 1. *c.* 11. *ad fin.*

CAPVT IV. & Vltimum.

De Simulacris Imperiorum.

Simulacra Imperii quæ.

PErtinent quoque ad Reipublicæ administrationem *Simulacra Imperiorum.* Sicut autem arcana Imperii, pleraque sunt occultæ sed validæ artes, quæ opponuntur hominibus seditiosis, quivè à Reipublicæ administratione removentur: ita hæc simulacra, occultæ sunt artes, sed inanes, sed cassæ, & ut Iovius appellat, inania jubendi jura: quæ iis indulgentur, qui extra Rempubl. sunt, & quibus aliud igitur, aliud simulatur. *Clapmar. 6. cap.* 1. *Optimè Gryphiander. disp. de arcanis thes.* 110.

Eorum ab arcanis differentia.

Et arcana penes Principem sunt: simulacra penes subditos: sed & ea respectu Principis sunt arcana. Subditi putant se habere veritatem, cùm tantùm habeant Idolon seu simulacrum. Porrò qui ipsum Imperium habent, haud adeò magni faciunt hæc, quæ speciosa tantum sunt & umbratica. Contra, qui reipsa carent, videri malunt, quàm & non esse, & non videri. *Clap.* 4. *cap.* 1. Hinc Tacitus; *Apud Romanos,* inquit, *jus Imperii valet, inania transmittuntur. Hicque præsertim locum tuetur, quod dicitur: In Republicâ gubernandâ, non minùs (atque haud scio an* plus) opinionem valere, ac simulationem, quàm rem ipsam. Maxuméque in Rerumpub. conversionibus non repentè, qui

qui mutationes ejusmodi moliuntur, Rempubl. commutant; indeque etiam pristinæ leges remanent: sed ii, qui Rempu. diverterunt, dominantur. *Arist.4.pol.5. in fin. Machiavel.11. discur. c. 25.*

Religionis novæ introducendæ simulacra. Et sunt certè etiam simulacra, quæ in nova religione introducenda observari solent: cùm aliter & longè mitiùs agendum sit cum iis, qui in fide sunt etiam recentes & imbecilles: aliter cum adultis, & in fide jam corroboratis, sive qui firmâ radice in fide fuerint solidati, ut loquitur ibi textus; qui eò rectè accommodat dictum Pauli. 2. *Cor. 3. Lac dedi vobis potum, non escam, seu cibum solidiorem.* Eademque ratione Norvvegis, novellis Christianis P.M. se accommodavit, eorumq; infirmitati condescendit, ut docet Cujac. *ad c.3. de consf. & affin.* Et etiam Theologi concedunt: Nonnunquam consultius esse deferre, id est, nonnihil indulgere multitudini, & observatæ consuetudini, quàm aliud in dissensionem & scandalum populi statuendum, quâdam adhibitâ novitate, *Rittershus. de diff. jur. Civil. & canon. lib. 1. cap. 9.*

Quatenus di pristina Rōanorum Repub. relicta ad simulacra Imperii pertineant. II. Ad hæc simulacra pertinent ea omnia, quæ de pristinâ Romanorum Republ. fuerunt reliqua, in Principatu, & quòd in speciem etiam ea, quæ majora sunt, nonnunquam obtulerunt populo vel Senatui Principes. Ex quibus ideò malè Regnum à Principatu sejungere volunt nonnulli. Vide meum *discurs. de Monarch. c. 4. n. 2. &c.* Cæsar cum populo comitia est partitus, & tamen cætus atque conventus populi vetuit: Suetonius. *c. 41.* pœnas auxit &c. Sue-

tonius *cap.*42. De Cæsare & Augusto, dictum est, in d. meo discurs. *d. Monarch. c.* 2. adde de Augusto, Dionem, *l.* 52. *&* 53. & Appianum *de bello Civil. lib.* 2. Et idem *lib.* 54. de eodem scribit: *Cùm in Asiam venisset, omnia ibi, & in Bithynia constituisse; nec neglexisse eas Provincias, qui populi erant, sed omnium illarum curam gessisse, ut quæ ejus essent, ὡς καὶ ἑαυτοῦ ὄντων.* Sicque simulacrum fuit, quod populo quasdam Provincias reliquit, debiles puta, & pacatas, nec ad res innovandas aptas, *Strabo. ad fin.* Et nec Magistratuum creationem, populo ex toto ademit. *Lipsius in excurs. ad l. Annal. Tacit. lit. E.* Itidem & ille simulandi artifex Tiberius, cuncta per Consules incipiebat, tanquam vetere Republicâ. Edictum quo patres in curia vocabat, non nisi tribunitiæ potestatis præscriptione posuit, sub Augusto acceptæ: interim cohortibus, ut Imperator signum dedit; milite in forum, milite in curiam comitabatur, nec, usquam nisi cùm in foro loqueretur, cunctabatur. *Tacit.* 1. *annal.* Vbi Annib. Scotus *fol.* 18. Dion *lib.* 57. Idem in aliis reperitur successoribus; qui tanquam Argi oculati, perspicaciâ, acumine, astutiâ & insidiosis artibus, quas apud populum & Senatum, atque apud exercitum etiam, probè exercere sciebant; sub specie juris antiqui, retentis quibusdam Reipubl. liberæ insignibus, dominati sunt, *Frater Gabriel Barlietti, suspicion. d.* 4. *Monarch: & Antichr. c.* 6. *fol.* 191. Vsque dum Senatui consulibusque sua tandem prorsus adempta fuit potestas. *Vide* Coras. *de offic. Consulis;* omniaque tandem officia popularia cessavêre *Bacchov. ad Treutl. disp.* 1. *f.* 22. Hincque Boëthius 3. *de consolatione Philosophiæ pros.* 4. *Prætura*

Tiberii in eâ re artificium.

tura olim magna potestas; nunc inane nomen. Sed de Arcanis Principum Romanorum argutè Gryphiander *d.loc.th.*113. Sic & Florentinus Principatus sua habet simulacra: *Thesoro polit.* 1. *fol.* 283. §. *quanto* & §. *seq.* & etiam ipsâ in Româ Pontifex Romanus, *Thesoro polit part.* 1. *fol.m.*24. *&c.* Sic & Romæ species est libertatis, licentia Pasquillorum. *Floresta Espagnola, part.*1. *c.*1.*nu.ult.* Quemadmodum etiam Augustus & Tiberius, summam linguæ libertatem permiserunt: ut Respublica adhûc libera esse videretur. *Pierre Matthieu in Sejano fol.*103.*&c.*

Simulacra etiam sunt Privilegia subditis data. Damit grosse Herren ihre schwürige Underthanen / wie die weinende Kinder mit den Docken geschweygen / vnd selbige hernacher mit sonderbarer manier wieder hinweg nemen. Vt Boccalini scribit, *cent.*2.*ragguagl.*1. Lubet addere censuram De Gryphiand. *velit. polid. de Arcanis, th.*127. & *seq.* qui ait: *Huc pertinent Privilegiorum concessiones, tributorum remissiones, immunitates & alia indulta, quibus plebs demulcetur, ut Imperio Dominantis lubens acquiescat. In quibus concedendis Principes morosi esse non solent, maximè in novo Imperio; ut subditi novis ex rebus aucti tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa malint, ut Tacitus loquitur.* Eam enim vulgi naturam esse, Aristoteles tradidit; ut si utilitatem percipiat, Imperii cupidine non magnoperè ducatur. Quâ liberalitate usi, aut potiùs abusi Principes Romani, epulas, spectacula, congiaria, missilia & alia vitiorum delinimenta, ut Tacitus vocat, in plebem ac militem erogârunt, ultra vires ac modum.

Et privilegia sunt simulacra.

Deliciis plebem sensim ad voluptates assuefacere.

dum. Quod ipsis humanitas vocabatur cùm pars servitutis esset, ut idem auctor animadvertit. Quibus delitiis populus sensim ad voluptates corporis assuefactus, curam omnem Reipub. in sinum Principum ultrò rejecit. Ita conquerente Satyrico: qui dabat olim Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se continet, atque duas tantùm res anxius optat, Panem ac Circenses.

Vmbrā libertatis offerre. Idemque Gryphiand. *th.91. & seq.* prudenter scribit: *Libertatis quoque prætextus in negotiis gerendis, favorabilis est; utpote quam omnibus rebus favorabiliorem ICtus Gajus, Paulus rem inæstimabilem dicit, quâ nihil gratius homini obvenire possit: sicuti contrà, servitus omnis misera est, ejusque jugum grave omnibus in libertate educatis, ut Cicero fatetur.* Hocque prætextu populo sæpe imponitur, dum quandoque libertas ad speciem offertur, quæ in se meram servitutem habet, quam Plinius vocat libertatis umbram: tantò erupturam ad infensius servitium, quantò majore libertatis imagine tegitur, ut Tacitus præsensit. Sicuti & in quibusdam Hanseaticis & Belgicis civitatibus videmus; cives specie libertatis in populari statu duriùs haberi, quàm si sub Principe viverent.

Notatur temperamentum salubre à simulacris diversum. III. Notandum verò est omninò, simulacra probè separanda esse à temperamento salubri, quibus temperatur Monarchiæ impetus ac ad mixturam propendet, per leges fundamentales. Sic interdum quoque Democratia, Aristocraticis rationibus optimè regitur. Sicut Romana Respubl. cùm penes populum summa rerum esset, interim tamen aristocraticè per Consulatum, & maximè Senatorium

rium ordinem, administrata fuit. vid. Kirch. 5. *th.* 1. *lit. c.* Pariter Monarchicus status, Aristocrat. temperamentum longè saluberrimè suscipit. Ita Regnum Francicum temperamentum Aristocraticum Comitiorum & conventuum, semper habuit. Vicissim Aristocratia, ratione Monarchicâ (nempè per Ducem) regitur Venetiis, & alibi: ubi probè dijudicandum, an Aristocratia regatur rationibus Monarchicis, an verò Monarchia rationibus Aristocraticis, vide. discurs. mei, *de Monarchia, c. 2. in princ.*

INDEX

INDEX RERUM

& Verborum, quæ juxta cætera notatu digna visa sunt in hoc opere.

Alter-

INDEX.

Arcana

INDEX.

Armo-

Consilium

Dialectico

Factiones

Ianit-

I

Mutatio

Princeps

Publica

Simulacra

Sponsiones

Titulos

FINIS.

ARNOLDI CLAPMARII, FRANCISCI ROSELLI ET WOLFGANGI HEINRICI RUPRECHTI

Conclusiones

DE

IVRE PUBLICO.

Amsterodami,
Apud Ludovicum Elzevirium, 1644.

Illustrissimo Potentissimoque

PRINCIPI MAVRICIO, Landgravio Hassiæ, &c. Domino meo clementissimo.

INgens nominis tui tum magnitudo, tum singularis erga me clementia, magne Princeps tantum potuit, ut non solum me tantarum rerum non immemorem redderet, sed & faceret audacem. Neque enim debuit tuarum virtutum recordationem ullum temporis locorumve intervallum mihi eripere, neque potuit imponere, quo minus tibi rationem redderem otii atque officii mei. Equidem ex quo tua autoritate atque consilio hanc in Academiam concessi, non tantum id me composui, ut in officio essem, quod à me requirebat fides mea, verùm etiam ut satisfacerem expectationi atque commendationi tuæ, quæ ut imbecillitatem meam, ita etiam multorum hominum opinionem facile superasti. Quo majore mihi ope nitendum fuit, ut cum propter insigne tuum de me Iudicium, cujus me suppudebat, pro tenuitate mea; tum propter officii hujus mei difficultatem, cui ego vix par sum, & Academiæ huic otii mei constaret ratio, & te commendationis non pœniteret tuæ. In hoc studiorum laborumque stadium ingressus, dum me respicio, atque nunc hoc nunc illud parturio, commodum mihi excidit disputatio hæc de Iure publico; Cujus studii difficultas, quantum apud nonnullos valet, quæ eos à tam laudabili absterreat negotio, tantum apud me potest dignitas, quæ me ad tantæ rei magnitudinem adducat.

cat. Enimvero plerique adeò impatientes sunt, ut nisi maxima spe lucri, cœlum, ut ille dicebat, non mereant, ut animum adjungant ad tam sterile studium: Quanquam hujus ut & aliarum rerum, quas illi fastidiosè contemnunt, maximus præclarissimusque in Republica usus est. Etenim ignorare jura Imperii, Relligionis, bellorum, sociorum pacta, rerum publicarum arcana, rationem sententiæ dicendæ, jura decernendi, referendive & id genus trecenta, absque summo Reipublicæ detrimento non potestis, qui ad clavum Reipublicæ sedet. Quarum igitur rerum necessitatem, atque præstantiam fatentur, earum difficultatem extimescere? Tibi vero, Princeps, & à virtute tua, & à majorum tuorum illustrissime, longe alia est circa hæc studia mens, alia sententia: Quo majore eos favore prosequeris, qui regia via ad Reipublicæ administrationem grassantur, tum summa cum Imperii tui dignitate, tuique nominis gloria, tum etiam civium tuorum emolumento. Cæterum tuam Clementiam subiectissime, omnique animi devotione rogatam volo, ut hanc Disputationem veluti particulam aliquamdiu, quod benigni creditores solent, in solutum accipias. Nam ut sortem ipsam dependam neque mei ingenii tenuitas neque temporis fere angustia, neque tuorum erga me meritorum patitur magnitudo. Vale & vive præstantissime Principum, atque immortale decus nominis Germani. Altorfii in provincia Norica.

Tuæ Celsitud.

Devotissimus

Arnoldus Clapmarius.

DI-

DISPVTATIO I.

De

JURE PUBLICO

excerpta ex C. Corn. Tacito

Præside

ARNOLDO CLAPMARIO

Respondente

Ioan. Christophoro Kotzero.

THESIS I.

DE Cocceio & Capitone Tacitus, de Scævola Vellejus, de Tuberone Pomponius, de Tito Aristo Plinius, de aliis alii, eos scientissimos fuisse tum publici, tùm privati Iuris: Cæterum in Historiis peregrinos esse, qui negant Ius publicum uspiam extare.

II.

Neque enim ea, de quibus Ammianus loquitur, fuisse quædam, quorum seriem scrutari non licuit, nec si licuisset, proferre decebat in publicum, de Iure publico intelligenda sunt: Neque etiam in Commentario, sive Rationario Imperatorum, cujus capita commemorant Tacitus, Suetonius & Dion, continebatur jus publicum.

III.

Est autem jus publicum, ut recte Vlpianus *quod ad statum Rei Romanæ spectat*. Eadem significatione apud Tacitum 4. *Histor. Status Imperii*. Et consistit in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus. Vnde plerique existimant

Ius publicum quid, & in quibus consistat.

 jus

jus publicum esse idem, quod est Politica, sed falso, & contra sententiam Aristotelis.

IV.

Tacitus 3. Annal. *Magna*, inquit, *ejus diei species fuit, quo Senatus majorum beneficia, sociorum pacta; etiam qui ante vim Romanam valuerunt decreta, ipsorumque numinum religionem introspexit.* Nimirum hæc sapiunt jus publicum.

V.

Capita juris sacri. *Capita juris sacri ferè sunt hæc*: Iura Relligionis, rituum, sacrificiorum, Augurum, funerum, templorum, Manium, oraculorum. De quibus extant fragmenta Varronis, & historiæ abundant; modò sint, qui enucleent.

VI.

Pulchrè Tacitus Sacra regni, sacra legationis: Alii sacra belli, sacra fœderum, sacra larium. Sic Iurisconsulti Majestatis jura, & quæ de regni jure licent, appellant Sacra sacrorum. Verum tamen hęc omnia non proinde sint juris sacri, sed publici.

VII.

Capita juris publici. *Iuris publici capita* sunt hæc: Iura Imperii, Dominationis, Magistratuum, Senatus, Comitiorum, monetarum, Ordinum, jura libertatis civium, suffragiorum, Nundinarum, Vectigalium, Tributorum, Ærarii, Census, jura fœderum, legationis, bellorum, victoria, & id genus alia.

VIII.

Imperator, Dominus, Cæsar, Rex, Princeps & quæ sunt plura dominationis vocabula re ipsa fuerunt unum & idem: Glaucoma tantum fuit obducta populo. Quantumvis contradicat Plinius. Apertius & verius de Vitellio Tacitus:

Tacitus: *Pramisit*, inquit, *in urbem Edictum, quo vocabulum Augusti differret: Cæsaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret.*

IX.

Differunt tamen Majestas, Imperium, sive τὸ κῦρον, Potestas, Dominatio, vis, dignitas, Authoritas, Principatus, sive Principium, consilium, necessitas, ditio. Quamvis pleraque à multis perperam confundantur.

X.

Ius sacrum ab initio fuit penes Reges, postea ad summum Senatum delatum est *(quamvis viri docti dissentiant.)* Mutata Republ. ut reliqua omnia, ita etiam quæ ad res divinas relligionemque pertinebant, in se transtulerunt Imperatores. De quo Tacitus & Iosephus. Et extat in hanc sententiam responsum Demetrii Chomateni. *Ius sacrum apud quos fuerit apud Romanos.*

XI.

Fuit tamen sub Augusto & Tiberio & paucis aliis Senatus Romani circa jus sacrum magna autoritas. Id quod constat ex illo SCto. *Ne Christus salvator noster inter Deos referretur.* Item viderent Pontifices quæ retinenda firmandaque Aruspicum: sub reliquis Imperatoribus exigua.

XII.

Pontifices in Romana Republica neque in Imperatores, neque etiam olim in Reges jus bono titulo habuerunt, vel ipso Frinsingense teste. Ideóque detestanda est ancillaris illa, ut cum Marcello loquar, abjectio Henrici II. coram Pontifice Romano, de quo Scafneburgensis.

XIII.

Respublica Romana sub Augusto fuit mix- *Respub. Romana*

 ta, ut

quomodo sub Augusto mixta fuerit. ta, ut hoc negat scriptor Andegavensis. Ideoque quod de Nerva Tacitus, de Augusto verius, *eum res olim dissociabiles miscuisse, Principatum & libertatem.*

XIV.

Quare sapienter Augustus Domini, Regis & Dictatoris nomine repudiato, Principis usurpavit. Sapienter etiam tribunitiæ potestatis præscriptione Senatum coëgit. Quo nomine Gregorius Magnus Patriarcham Constantinopolitanum acriter monuit, ne se appellaret universalem Dominum, sed potius Servum Servorum. Illud ineptum est in Vitellio, qui cum periclitaretur de Imperio, Cæsarem se dici edicto cavit, antea aspernatus.

XV.

Verè Tacitus 1. *Historiarum* Non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Idem testatur Pomponius ICtus, idem Plinius, idem Dion. *Quare rectè & optimo jure Augustus cuncta discordiis fessa sub imperium accepit.* Quod tamen haud scio, an de Cæsare dicendum sit.

XVI.

Esto enim, eum habuisse causam gerendi belli cum Pompeio, ut profectò habuit; tamen causam evertendæ Reipublicæ imperiique occupandi non habuit. Multo rectius Fabius Maximus, Tiberius Gracchus, aliique privata odia publicis utilitatibus remiserunt.

XVII.

Arcana domus ab arca- Ea quæ Tacitus appellat arcana domus, discerno ab iis, quæ Scafneburgensis vocat jura aulæ, sive leges Palatinas. Illa vulganda non erant,

erant, teste Salustio Crispo, & plerunque flagitia erant; hasce aulicorum animis impressas esse oportebat. *nis aula differunt.*

XVIII.

Cæsar de Sylla, quod Dictaturam deposuerat eum literas nescivisse. Idem de Cæsare dici nihil prohibet, quod Prætorianos demisit. Quo nomine eum eruditissimus Savilis Solœcum & malum Grammaticum appellat. Quanto rectius Tiberius in funere Augusti præsidia disposuit, utut irrisus fuit à populo.

XIX.

Flamini Diali olim apud Romanos in provinciam ire cum imperio non licuit: neque Martiali, ut est apud Valerium Maximum. Itaque idem Valerius Relligioni, inquit, summum imperium cessit. Multo summissius quam hodie spirituali & civili gladio utitur, teste Ottone, cujus verba non possum mihi imperare quin huc adducam: *Videntur*, inquit, *culpandi sacerdotes per omnia qui regnum suo gladio, quem ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur, nisi forte Davidem imitari cogitent, qui Philisteum primo virtute Dei stravit, postmodum proprio gladio jugularit*. Nimis tamen inclementer Arnoldus Brixensis, Episcopos imperia & regalia habentes salvari non posse: ideoque combustus est, teste Gunthero.

XX.

Duos Præfectos Prætorio Imperatori decrevit Mecænas apud Dionem, unum Agrippina apud Tacitum: Uter rectius. Nos existimamus Imperatores à duobus tutiores fuisse, quam ab uno. Nec minus tamen rectè Agrippina, si ab uno regerentur Prætoriæ cohortes. *Duo an vnus Præfectus prætorio rectius creatus.*

res, intensiorem fore disciplinam. Illud prudenter, quod tantum ex equestri ordine electi sunt; quamvis hoc postea mutavit.

XXI.

Itaque haud absurdè Suetonium dicentem ante Titum præfecturam prætorio non fuisse administratam, nisi ab equite Romano, reprehendit Tacitus 4. *Histor.* Exemplo Aretini Clementis, qui quanquam Senatorii ordinis, factus est præfectus prætorio.

XXII.

Coercitio Ecclesiastica cum censura Romanorum comparata.

Coercitio Ecclesiastica quæ summo cum Reipublicæ detrimento teste Cypriano, in desuetudinem abiit, non absurde in quibusdam comparatur cum censura Romanorum. Qua in re Christianos à Romanis superari, pudor est relligionis nostræ. Atqui censum quem Augustus, Germanicus aliique egerunt, nonnulli deprimunt: Nos dicimus eos ex utilitate Reipublicæ fecisse. Hodie ex hujus rei negligentia multæ Respublicę privatim potentes sunt, publicè inopes.

XXIII

Rectè Appius Pulcher quod contempto Augurio pullos contra fas relligionis in mare projecit, & malè pugnavit, judicio publico damnatus est. Eidem crimini obnoxius est apud Livium Flaminius, & Pætus apud Tacitum.

XXIV.

Sed an rectè Papirius falsis nunciatis auspiciis, tamen pugnavit? inquiens: *Qui auspicio adest, si quid falsi nunciat, in semetipsum relligionem reciperet: siquidem tripudium nunciatum est, populo Romano, egregium auspicium.* De hoc loco dissentiunt duo illi acutissimi Scriptores

Scriptores ab Hetruria, Machiavellus & Admirates. Nos hunc sequimur;

XXV.

Cæterum magna fuit reverentia populi Romani circa res divinas. Hinc Varro: *De rebus divinis prius quàm de humanis ad Senatum referendum est.* Eandem superstitionis vim Turcæ mutati sunt à Numa, qui haud absurde Mahometi in nonnullis comparatur; Verè Polybius. *Ista,* inquit, *superstitionum varietas huc spectat, ut injecto numinum metu, militares animi in officio magis contineantur:* Exempla sunt apud Tacitum.

Reverentia populi Rom. circa res divinas.

XXVI.

Sapienter Augustus non unum, sed multos adoptavit, quo, ut inquit Scriptor noster, pluribus munimentis insisteret. Quare Seneca appellat adminicula aulæ. Suetonius subsidia dominationis. Alibi Tacitus Plena Cæsarum domus, juvenis, filius, nepotes adulti moram cupitis Seiani adferebant. Vel hoc nomine continuatio imperii Romani à mille & tot centum annis soli debetur Augusto. Idem non ignorant Imperatores Turcici.

Augustus cur sapienter plures adoptaverit.

XXVII.

Hic quæritur, *an Principi adhuc vivo sit designandus successor?* Ita certè; Quamvis hoc plerisque periculosum videtur. Ideò Tullia apud Livium *libr.* 1. se cupere maritum ajebat, qui habere, quam sperare regnum mallet. Est tamen mutatio Principum semper periculosa. Argutè Otto: *opportunos magis conatibus transitus rerum.* Alibi Tacitus. *Agendum audendumque dum Galba autoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset.*

An successor designandus vivo Principi.

XXVIII.

Dicti sunt autem hæredes Principes juventutis, id est Principes militiæ (ita enim juventutis vocabulum, antiquitùs usurpatum reperio) sive προκριτοι τ̃ νεότητ☉ ut est apud Zonaram, item διάδοχοι τ̃ ἀρχῆς apud Dionem, item hæredes & consortes imperii, item Augusti & Cæsares apud Tacitum & *Ammianum* item Germanici: ita enim appellavit filium suum Vitellius. Postea Iustiniani tempore appellati fuerunt Nobilissimi teste Procopio. Hodie in Germania dicuntur Reges Romanorum, in Gallia Delphini, in Hispania infantes, in Scotia Principes Scotiæ.

XXIX.

Iura comitiorū summi Imperii. Iura comitiorum sunt summi imperii, ideóque astutè ea, ut omnia, Tiberius è campo ad patres, velut Dion, verisimilius in se ipsum transtulit. Cæterum à *comitiis* differunt. Quos historici nostri appellant *Dies Generales.*

XXX.

Comitia quos obstringant. Comitia non tam obstringunt eum qui indicit, quam quibus indicuntur. Neque rectè Turnus Herdin: suasit Latinis ut, quoniam Tarquinius se non sisteret, domum abirent, neque magis observarent diem consilii, quam ipse, qui indixerit, observet. Rectè verò Cæsar Treviros quod neque ad consilia veniebant, neque imperio parebant, pro transfugis habuit.

XXXI.

Iura monetarum cui competant. Soli Principi olim competebant jura monetarum. Et pro arcanis imperii hæc hodie observant Imperatores Turcici. Idem

dem jus olim Reges Vngariæ habuiſſe, & ſanctè ſervaſſe, teſtis eſt illuſtris ſcriptor Otto Friſingenſis. Nunc mutata Republica etiam hæc jura diviſa ſunt.

XXXII.

Comis obſervantia imperii non adimit libertatem. Id exprimit Tacitus *lib. 2. Annal. Nam Pharaates*, inquit, *quanquam depuliſſet exercitus, duceſque Romanos, cuncta venerantium officia ad Auguſtum vertit*. Alibi vocat reverentiam in populum Romanum. *Quod*, inquit Proculus, *adjicitur, ut intelligatur alterum non eſſe liberum.*

XXXIII.

Iura ſociorum, fratrum, confœderatorum, item jura patrocinii, ut appellat Feſtus & Plinius perperam à quibuſdam confunduntur. Cæterum ex hac Romana conſuetudine hodiè Turcæ Venetorum & Raguſæorum reſpublicas appellant ſuas cognatas. *Iura ſociorum, &c: & patrocinii diſtincta.*

XXXIV.

Non rectè Cretogniates deditionem Servitutem appellavit. Aliter ſentio de deditione Caliténſium apud Froſſardum. Rectè tamen Livius de Campanis: aliam eſſe conditionem eorum, qui non fœdere; ſed per deditionem in fidem veniſſent.

XXXV.

Pætiana pacta cum Vologeſe vix fuiſſe pacta. Immo Pætum pœna dignum fuiſſe, qui non pro iſto periculo depectus eſt. Idem pæne ſentio de pace ad Caudium facta; quæ ſponſio fuit, non fœdus; quamvis Caudini appellarunt publicam fidei violationem. Laudabile eſt in Anglis, qui belli gerendi cauſſâ profecturi ad exteros Regi

suo sanctè promittunt, se nullas conditiones pacis cum hoste firmaturos, citra Regis ac Procerum voluntatem.

XXXVI.

Consules &c. regio fuisse imperio.

Consules, Triumviri, Decemviri, Dictatores regio fuerunt imperio, quamvis contradicat Cabotius. Sanè ejectio Regum tantum aliquod simulacrum libertatis attulit populo Romano teste ipse Livio *libr.* 2. Cicero de Legibus. *Duo regio imperio sunto.* Neque (ut putant alii) dissentit Tacitus.

XXXVII.

Religio Romanorum circa loca & res sacras.

Magna fuit populi Romani circa loca & res sacras etiam tempore belli relligio atque reverentia. Itaque acriter reprehendit Tacitus milites, quod Deos etiam in prædam coëgerint, spoliatis in urbe templis, egestoque auro. Laudabiliter certè Solymannus in expugnatione Rhodi aliisque bellis semper à sacris abstinuit. Hic quæstio est; An *quod Fridericus Imperator cum premeretur inopia commeatus loca sacra violavit, sacrilegium commisit*? Nego, utiquè, cum postea Episcopatus illos insigni & ampliore remuneraverit beneficio, ut testantur Historici. Illud etiam rectè Tacitus de Pompejo, eum templum Hierosolymitanum jure victoriæ ingressum esse.

XXXVIII.

Plusquam civilia agitare, contumacem, ferocem, turbidum, violentum esse (Ammiano est *recalcitrare Majestati*) opponuntur iis quæ Tacitus appellat, modestum, obsequiosum esse, servitio promptum esse, Græci *ἄρεσκον*. Galli & Itali *un courtisan*, Germani Hofmann. Illi erunt, qui libertatem pristinam restitutam cupiebant, quos Aristoteles appel-

lat.

lat *ἀντιτείχους καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους*. Hi qui favebant dominationi Cæsarum: & ut cum Horatio loquar, obsequio grassabantur. Quos Tacitus appellat Magistros Dominationis, hodie vulgo Machiavellistas.

XXXIX.

Meritò donationes, seu potius profusiones Neronis, à Senatu revocatæ sunt. Hujus rei exempla, sunt non una in regno Galliæ. Rectè tamen Nerva & Trajanus beneficia Domitiani conservarunt.

XL.

Adgandestrius Princeps per literas mortem Arminii promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur. Responsum est à Senatu Romano, non fraude, neque occultis, sed palam & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Digna vox majestate Romana. Livius *libr.* 1. vocat artem Romanam. Longè alia res fuit in Iudit & Mucio. Addo quod nec hostis ubique rectè interficitur: quamvis id putat pragmaticorum coryphæus: Hoc enim erat apud Romanos teste Valerio Maximo victoriam non mereri, sed emere.

Non fraude sed palam hostes ulciscendi.

XLI.

Non aliam esse causam abolitæ magnarum rerum memoriæ, quam inopiam Scriptorum; quicquid alii de Relligionis mutationibus, de deluviis & morbis adferunt. Eodem malo apud Tacitum, Suetonium & alios tot nata sunt opinionum monstra de Iudæis, de Christianis, de Christo ipso. Eodem fato perierunt acta, sive instrumenta, quæ appellabantur publica, sive ut appellat Zosimus Rerumpublicarum registra; In O-

Rien-

rientalibus secretæ cartæ, in quibus continebatur magna pars juris publici.

XLII.

Germanos, sicut etiam Sarmatas, aliasque gentes nonnullas à Romanis non virtute, sed genere pugnæ & armorum, ut Tacitus, sive, ut Cæsar, non virtute, sed ratione & consilio superatas esse. Quo pertinet id quod scribit maximus imperatorum; Romanos similitudine armorum quæ gestabant Ædui, vehementer perterritos fuisse. Idem de Americano bello dicere libet.

XLIII.

Ideoque Barbaros non facilius à Romanis superatos esse, quam in arctum compulsos. Contra verò Romanis in arcto pugna aptior, quam Hispano militi. Fuit tamen disciplina insignis apud eosdem Romanos laxandi dilatandique aciem. Tacitus. *Legio vicesima prima patentiore, quam cætera spacio conglobata sustinuit ruentes, mox impulit.* Cæsar de bello Gallico signa inferre & manipulos laxare jussit, quo facilius gladiis uti possent.

XLIV.

Novus Princeps imperandi auspicium facere debet à clementia.

Etiam novus Princeps imperandi auspicium facere debet à clementia, ut rectè Livia Augustum monuit. Itaque de Mithridate Tacitus eum atrociorem fuisse quam novo regno conduceret. Dissentit Thuscus scriptor, ex inscitiane, an verò ut inserviat crudelitati Borgiæ? Periculosum est illud, oderint dum metuant: periculosissimum, populum in continuo metu tenere. Eâdem mente Antonius apud Tacitum. *Adhuc Vitellio vires si deliberarent, acres si desperassent.*

Adeoque

XLV.

Adeoque sapienter Germanicus, postquam Cappadociam in formulam provinciæ redegisset, quædam ex regiis tributis deminuit, quo ut loquitur Tacitus mitius Romanum imperium speraretur. Itaque hoc scitum est in publicis rebus: Quanto autem magis obtinet in causis relligionis, quæ instar Melancholiæ nimiis remediis magis magisque exulceratur, teste Augusto.

XLVI.

Verè Tacitus de Mario & Sylla eos victam armis libertatem in Dominationem vertisse, Regna enim fuerunt, non Dictaturæ, quicquid alii dicant.

XLVII.

Arcana imperii sunt certa profunda intima leges sive privilegia conservandi pristini status sive Reipublicæ. Sicut *arcana Dominationis* (Italis & Gallis est ragion di stato. Germani non efferunt, nisi forte per Reichsstand, vel per Reichssachen (*sunt certa & secreta privilegia conservandæ dominationis, introducta boni publici causa.* Quibus opponit Tacitus *flagitia dominationis*. (Itali la cattiva ragione di stato) *quibus fides & relligio violatur.* *Arcana imperii & dominationis quæ.*

XLVIII.

Agrippina maritum petit, non impetrat. Vbi Tacitus. *Sed Cæsar non ignarus quantum ex Republica peteretur*, Arcanum est, sive potius jus dominationis: Eadem arte Octavia filia Claudii Imperatoris despondetur Neroni, *quod*, inquit Historicus, *majora patefacturum erat*.

XLIX.

Ex Augusti instituto, nemini ex Senatoribus

bus licuit peregrinari rei privatæ causa, non exquisita Principis voluntate. Stante Republ. liberum fuit. Est hoc ἐπιχρύφιον sive arcanum regiæ Dominationis: sicut etiam illud quod nemini licitum erat ad Senatum publicè scribere præter Principem,

L.

Arcana dominationis & jura dominationis distincta.

Cæterum arcana dominationis subtiliter discerno ab iis, quæ sunt jura dominationis, quæ tamen scriptor Florentinus, aliique omnes videntur confundere.

LI.

Adeoque jura dominationis immerito vapulant. Neque tamen quod Nero Vespinum, sine ullo crimine & accusatore & indice ad vim dominationis conversus interfecit, hoc jure fecit. Neque hoc ex jure Petronius Turpil. & Cingonius Varro inauditi atque innocentes perierunt, quæ res identidem magnam invidiam conciliavit Galbæ. Bene & non pro more suo Tiberius. Non utendum esse imperio ubi legibus agi posset. Et de Philopœmene Achæorum prætore Livius: non quia salvos esse cupiebat, sed quia perire indicta causa nolebat.

LII.

Rectè tamen ex hoc jure Spurius Melius à Servilio magistro Equitum, Sejanus à Tiberio, & non ita pridem Dux de Guisa ab Henrico III. Francorum Rege, interfecti esse videntur.

LIII.

Similiter frustra sunt qui hoc jure, vel violationem fidei, vel etiam relligionis depravationem velant atque defendunt. Recte ille, hęc jura

jura accommodanda esse religioni, non contra.

LIV.

Ideoque huc non refero hodierna Turcarum fratricidia, neque Tarquinianam Paparum decussionem. Asylum tamen hoc jure à Romulo apertum esse existimo. Et exilium L. Tarquinii hoc jure excusari potest, item raptus Sabinarum Virginum; Item relligio illa Romanorum juvandi socios. Quamvis elegantissimus Belgarum contra sentiat; Rectius Dionysius. *Ratio imperiorum est ne noceri possit.*

LV.

Apud Ammianum videtur etiam ad jus dominationis referri, *ne quis exercitum alloquatur præter Imperatorem.* Iulianus id noluit, *ne*, inquit, *Marcellinus videretur id affectasse, quod sibi soli deberi Augustus existimabat.* *Ostenditur exemplis*

LVI.

Item *ne quis studia militum ambitu atque corruptione aucuparetur.* Ideò ægerrime tulit Tiberius quod Iunius 6. *Annal.* Gallio censuerat ut prætoriani, auctis stipendiis, jus adipiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi; adeoque eum vehementer per litteras increpuit, veluti coram exprobrans: *Quid illi cum militibus? quos neque dicta Imperatoris* (nota mihi hæc ad præcedentia ex Ammiano.) *neque præmia, nisi ab Imperatore accipere par esset*, &c. Et verus M. Antoninus, monet, *ne talem inter præcinctos habeat, quem milites libenter audiunt, libenter vident.*

LVII.

Arcanum dominationis fuit, non imperii, *ne quis sine permissu Augusti Alexandriam intraret.*

intraret. Quo etiam consilio Vespasianus, invasurus imperium, alias aliis provincias demandavit, ipse claustra Ægypti obtinuit.

LVIII.

Sic ex hoc jure in consilio trium potentissimorum libertorum præposita est, Lolliæ Paulinæ & Eliæ Patinæ Iulia Agrippina, quamvis consobrina Claudii; *ne*, inquit Tacitus, *fœmina experta fœcunditatis integra juventa, claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret*. Illud detestandum quod sequitur, *nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret*.

LIX.

Ad arcanum dominationis identidem refero, *ne cuiquam liceat civitates maris circundare*. Quod facile ad seditiones & defectionem hujuscemodi propugnaculis incitantur cives, teste Ulpiano. Agrippa murum circa Hierosolymam inchoarat: veritus autem Claudium Imperatorem, ne magnificentiam constructionis ad novarum rerum, ac discordiæ suspicionem traheret, fundamentis tantummodo jactis ab opere destitit.

LX.

Creatio Magistratuũ ad jura imperii pertinet.

Ad jura imperii pertinet, *magistratuum creatio*. *Ad curam Principis*, inquit modestinus, *magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem*, Et Zonaras: *Creatio magistratuum maxima pars est muneris Imperatorii*.

LXI.

Ideò cum Asinius Gallus censeret in quinquennium magistratuum comitia habenda esse: *Haud dubium*, inquit Tacitus, *arcana imperii tentari*. Prorogatio enim Imperiorum imminebat præsenti Reipub. statui. Itaque rectè

rectè Tiberius; *ſuperbire homines annua deſignatione, quid ſi honorem per quinquennium agitent?* Sed enim dices: Quare ergo idem plerosque præſides ad finem vitæ in iiſdem juriſdictionibus habuit? Cauſæ ſunt graves & pro diſputatione patefient.

LXII.

Callidiſſimè tamen Auguſtus & ſapienter inſtituit, ut magiſtratus depoſito honore manerent in urbe quinquennium, antequam in provinciam abirent, nimirum ne continuarentur imperia, ut ex Dione & Suetonio notat Merſerus.

LXIII.

Cæterum arcana ſive ſecreta imperii identidem à jure imperii quodammodo diſcerno. Iovius, *Franciſcus,* inquit, *moriens, Henrico filio arcana tuendo regno opportuna communicavit, & quibus maxime artibus gentium ſubjectarum certiſſimum ſtudium promereretur.* Recte dixit, *arcana* non *jura* imperii. Sic Imperator, *arcana Iuriſprudentiæ*, & Nicephorus Greg. *arcana Theologiæ, quibus inhiat vulgus, ut herbis & paſcuis armenta.* *Arcana à jure Imperii diſtincta.*

LXIV.

Differentia hæc juris & arcanorum imperii, vel exilio Taciti apparet: *Evulgato imperii arcano, poſſe Principem alibi quam Romæ fieri.* Arcanum eſt, non jus imperii. Neque quiſquam tam blennus eſt, qui hoc ad jura imperii referat, quod periculum Imperatori tentare videbatur. Porro quod in jure publico eſt *vulgare arcana imperii*, propemodum eſt in jure privato *nudare intima, atque ſecreta negotii aperire.*

Ab hiſce

LXV.

Arcana imperii à simulacris imperii distincta.

Ab hisce arcanis imperii distinguenda etiam sunt simulacra imperii & libertatis: seu potius eis opponenda. Sunt enim, ut alibi Tacitus *Arcana inania*, Aristoteli σοφίσματα καὶ κατασκευάσματα, Quibus non absimilia sunt Platonis ἐνόφθαλμα καὶ ἐμπρόσωπα, Plinio, *libertatis umbra*, Tacito, *imperii inania & subdola*, item *species libertatis*, Vellejo *imperium sine re*. Quale Frisingensis scribit habuisse hæredes Bertolfi Zeringensis Sueviæ Ducis, Principes sine Principatu, soloque nomine sine re participantes.

LXVI.

Quibus opponitur, *vis ac vera potentia* à Paterculo, & Tacito, *vis dominationis:* Quare verba illa Taciti: *Sua Consulibus, sua Prætoribus, species*, simulacrum tantum & imaginem denotant pristinæ Reipublicæ.

LXVII.

Nam prudenter Augustus occupato imperio eadem magistratuum vocabula reliquit; contra quem sentiet Scriptor acutus ab Hetruria. Augustum etiam secutus Tiberius, rectè cuncta per Consules incipiebat, tanquam vetere republica & ambiguus imperandi. Porrò impius est eo in loco Machiavellus.

LXVIII.

Vectigalium constitutio summi Principis.

Vectigalium constitutio, sive impositio est summi Principis, ut testatur Hermogenianus. Indulsit hoc Nero tantum Consulibus & Tribunis, acri, ut videbatur, libertate. Tacitus.

LXIX.

Tiridates Parthorum Rex petiit à Romanis, ne ferrum traderet, aut complexu Provincias

vincias obtinentium arceretur, foribusve eorum assisteret, tantusque Romæ; quantus consulibus honor esset:Stulte;Nam spreto imperio, inania tantum, atque imaginem libertatis sectatus est. Quare acriter Scriptor noster: *Scilicet externæ superbiæ sueto non erat notitia nostri, apud quos jus imperii valet, inania transmittuntur.*

LXX.

Tiberius per litteras castigavit obliquè Patres quod cuncta ad Principem rejicerent: Refero hoc ad simulacra libertatis. Itaque magnificè Tiberius; *Majus*, inquit, *aliquid & excelsius in Principe requiritur.* Nimirum Senatui concessit, ea quæ nullius momenti erant,& cum invidia conjuncta,ipse vim imperii tenuit.

LXXI.

Simulacrum etiam libertatis erat, quod Ulpianus monet Proconsulem, ne per aliam partem provinciam ingrediatur, quàm per quam ingredi moris est; *Nam*, inquit, *magnifaciunt provinciales, servari sibi consuetudinem istam & hujusmodi prærogativas.* Huc pertinent illa Vellei Paterculi lib. 2. *Marcus*, inquit, *Livius Drusus in iis ipsis, quæ pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ injiciendæque multitudinis causa fieri, ut minoribus præceptis majora permitteret.* Ejuscemodi populo libens indulget qui sapit. Argute juxta ac prudenter Henricus IV. roganti cuidam, cur Rudolfum, non Regem, regio tamen honore sepultum fineret, respondit; *utinam omnes inimici mei tam honorificè jacerent.*

Pru-

LXXII.

Prudentia varia pro Reip. varietate.

Prudentiam variam esse pro varietate Reipublicæ. Notat hoc secundum Aristotelem & Ciceronem Tacitus: *Olim plebe valida, vel cum Patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur: Senatusque & optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur. Sic converso Reipub. statu neque alia rerum, quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit*, &c. Quare σοφίσματα etiam, sive arcana imperii variant pro imperii forma: alia arcana sunt imperii nostri, alia regni Galliæ, alia Venetorum, alia Noricorum: Germani quodammodo efferunt gut Königsch, gut Städtisch.

Arcana imperii variant pro ejus forma.

LXXIII.

Imperium hodiernum Aristocraticum esse dixit Moguntinus Elector in comitiis Francofortensibus *Sleidanus lib.* 1. Nos mixtum dicimus: Neque hic admittimus illud Tencterorum; *Haud facile libertas & Domini miscentur.* Falsissime Iovius; *Iura imperii in Germania esse penes 70. urbes.*

LXXIV.

Bizantini urbem in fertili loco ædificarunt, & propter mare. Chalcedonii contra elegerunt sterilem. Uter rectius? Ego Oraculo adstipulor quod Bizantinis redditum est à Pythio Apolline: quærerent sedem cæcorum terris adversam: Atque in hac disputatione Aristotelem sequor, quicquid Plato dicat, quicquid etiam alii adferunt ex Cæsare de Belgis, Ambianis, Suevis, aliisque gentibus.

LXXV.

Acris dissensio fuit inter Marcellum & Hel-

Helvidium Priscum, utrum Legati suffragiis à magistratu juratò eligendi essent, an vero sortitò, sive per urnas. Marcellum, quamvis ut inquit Tacitus, proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur, tamen ejus sententia prævaluit, & meritò.

Legati quomodo eligendi.

LXXVI.

Sed suffragia si admittantur, expeditne esse aperta, an vero tacita. Nos identidem legi Tabellariæ palmam ferimus; quamvis illud vitiosum remedium appellavit Plinius in Epistol.

LXXVII.

Rectè Apuleja propter adulterium majestatis postulata est, rectè Augusti filia & neptis: earumque adulteri non minus, quam apud Livium *lib.* 1. Horatius propter sororicidium, perduellionis teste Charisio, antiquo Grammatico: Hostilitas enim quædam fuit tempore belli sororem occidere: Quo difficilius hic capio illud Taciti de Augusto, eum clementiam majorum suasque leges egressum fuisse.

LXXVIII.

Adeóque rectè adulteri earum morte & fuga puniti sunt: Vnde tamen quod colligunt nonnulli eo tempore adulterium fuisse capitale: frustra sunt certè ex hoc loco. Nam hoc adulterium cum filia Principis patratum conjunctum erat cum crimine majestatis erat ne quis Augustam domum violaret.

An in de quod adulteri Apuleia item Augusti filia & neptis morte & fuga puniti rectè infertur eo tẽpore adulterium fuisse capitale.

LXXIX.

Quædam in Rempublicam contra bonos mores inrepunt, quę satius est à seipso mutari, quam acri coërcitione: adeóque coërcitio sępe plus damni Reipublicę infert, quam emolumenti. Prudenter Tiberius. *Quam indeco-*

rum inquit, *attrectare quod non obtinetur*. Et de Felice Tacitus eum nimiis remediis delicta accendisse. Et de Manlio Livius libr. 6. eum remedio seditionem irritasse.

LXXX.

An in florenti Rep. luxus coërcendus.

Hinc quæritur *an luxus in florenti Republica coërcendus sit*? Affirmavit Q. Haterius Consularis ex LL. Fannia, Licinia, Æmilia, Iulia. Negavit Asinius Gallus, rationibus speciosis tantum, sed pro isto tempore non absurdis. Hujuscemodi qui tentare volet, tempori oportet insidietur: itaque adjecit Tiberius, non id tempus censuræ.

LXXXI.

Non possum à Michaelis Montani Scriptoris Gallici, sed fidi & docti sententia discedere. Quantumvis maximè velim, Cornelium Tacitum de nonnullis non tam ex rei certitudine judicasse, quam ex ingenio, atque prudentia sua; qua sine ambitione dicam, omnes superavit historicos. Exempla reperio non una.

LXXXII.

Tiberius in jure dicundo, judiciisque exercendis severus fuit, vel eo potissimum nomine, ut omne imperium omnemque jurisdictionem lento nisu, ut cum antiquo Poëta loquar, in se transportaret. Notat id Tacitus cum ait; *Dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur*. Vbi *veritatem* accipio, pro *aequitate*, pro *justitia*. Cæsar; *non esse verum, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare*.

LXXXIII.

Sub Augusto magnam fuisse SCtorum autoritatem, sub Tiberio vero deminutam. Quod notat

notat Dion & Xiphilin. Quo etiam nomine SCta non tantum autoritates, sed etiam adulationes sæpenumero appellat Tacitus. Nec enim per omnia assentior Principi Iurisconsultorum, qui putat SCta tantum ideo autoritates esse dictas, quod ad ærarium nondum erant delata.

SCta cur autoritates dicta.

LXXXIV.

Nihil pene fuisse constitutum in Republicâ Romanâ quin originem sumpserit ab incunabulis imperii. Tanti interest Rerumpublicarum fundamenta rectè poni. Exempla sunt vel in Tacito nostro.

LXXXV.

Signum dare prætorianis militibus proprium fuisse Principis. Et rectè hoc referas inter signa, imo inter jura accepti imperii.

Signa dare militibus prætorianis, cujus?

LXXXVI.

De Augusto Tacitus eum multis abolitis dedisse jura, queis pace & Principe uteretur Romana Respublica. Hinc Plutarchus: mutata Republica mutari leges. Hinc nos: quandoquidem Respublica hodierna à priore illa per multum declinat, etiam leges nonnullas hodiernæ Reipublicæ non convenire necesse est: Imo Aristotele autore contrariæ leges Rempub. evertunt.

LXXXVII.

An provocatio sit summi imperii: Nonnulli dubitant: Nos illud asserimus. Et fuit hæc plebis Romanæ contra Magistratum firmissimum propugnaculum, teste Livio.

Provocatio an summi Imperii.

LXXXVIII.

An verò à Regibus provocatio fuit? Nego, neque contradicit Cicero. An verò ab Augusto? Atque hoc nego. Quin potius à Senatu ad

Imperatorem provocatum fuisse, multa testantur loca apud Tacitum & alios.

LXXXIX.

Iura spoliorũ ad quem pertineant.

Iura spoliorum pertinent ad Imperatorem, Quemadmodum recte Æmilius dixit: in spoliis arbitrium esse Imperatorum non militum. Illud prudenter Romani, quod quæ in fiscum non referebantur, inter cives dividebant, ut caveretur iis, qui consulis jussu in foro remanserant ad subdita belli. In nostra militia, ut multa alia, ita etiam hæc jura in desuetudinem iverunt. Vnde accidit, ut quemadmodum Tacitus de majoribus nostris, omisso hoste spolia insectentur. Nimis hic morbus hæreditarius est nostratibus, novissimum exemplum fuit in prælio Agriensi.

XC.

Vectigalia nervi Imperii.

Recte Vlpianus tributa atque vectigalia appellat nervos imperii. Quare ea tolli vel alienari nequeunt. Id Neronem volentem cuncta vectigalia omittere, idque pulcherrimum (ut ille putabat) donum generi mortalium dare, docuit Senatus Romanus, inquiens; *dissolutionem imperii futuram, si fructus, quibus Respublica sustinetur, deminuantur.*

XCI.

Cæterum vectigalia à Carolo IV. oppignorata ad imperatorem redire splendoris imperii interest: An verò præsenti statui? Haud scio: Id quod tamen affirmavit Iulius Pflugius Episcopus Neuburgensis patruus Christophori Pflugii, juvenis ad maxima quæque nati, atque ad Germaniæ decus.

XCII.

Pœna perduellionis

Sicut pœna majestatis perduellionisque propugnaculum erat Principatus Romani, ita etiam

etiam Pontificis excommunicatio (Guicciardino sacra, sive cœlestia arma. Scafneburgensi Apostolicæ autoritatis virga) clypeus est Pontificatus. Vnde non immerito idem Guicciardinus, Principes gentium appellat potius, quam pontifices rerum sacrarum.

Principatus, Excommunicatio Pontificatus propugnaculum.

XCIII.

Turpe tamen esse, imò non videri è re Principis legem Majestatis ad minima & ridicula quæque reduci, quamvis aliter censuit Pomp. Macer: Quanquam neque hoc ignoravit Alexander, de quo Curtius; *Rex* inquit, *cognita causa pronunciavit ab accusatoribus unum & id maximum crimen esse præteritum desperationem salutis suæ*; (ita appellat læsam majestatem) *nunquam enim talia ausuros, qui ipsum ex India sospitem aut optassent reverti, aut credidissent reversurum:* Tacitus apposite; *Majestatis crimen omnium accusationum complementum*.

XCIV.

Cæterum famosos libellos ad crimen majestatis primus traxit Augustus teste Tacito, non Sylla. Quod tamen videtur velle Cicero *libr.*3. *Epist.* 11. quæ duo loca primus contulit nobilis atque eruditissimus ICtus Scipio Gentilis, Sol Academiæ nostræ.

XCV.

Sicut factiones in Aristocratico statu & popularitas in Democratia; ita etiam adulatio in regno perniciosissima est, Verum enimvero in nonnullis adulationem erga Principem omni laude dignam videri. Exempla sunt in senatu Romano erga Drusum Neronem & alios. Eadem adulatione recte usus est Otto erga milites sedi-

Factiones, popularitas & adulationes quomodo noxiæ.

tiosos, &c. Cenalis erga Treviros, & Agricola erga Britannos. Argutè Tacitus *idq; apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset*.

XCVI.

Ne duo hæredes Remp. premát. Non fuit de nihilo quod teste Tacito populus Romanus metuit, ne duo hæredes Agrippa & Tiberius Rempublicam premerent, quandoque distraherent. Itaque prudenter apud veteres Germanos jura prædiatoria, sive etiam jura principatus unus invadebat, reliquis cum peculiola abire jussis. Idem apud Principes Flandriæ usitatum fuisse testatur Fuldensis scriptor. *Ne*, inquit, in *plures divisa provincia, claritas illius per inopiam rei familiaris obsoleret*. Et hodie illud observant multi Principes in Germania, Italia, Gallia. Idque fieri existimo cum summo tum reipublicæ tum ipsius familię splendore atque emolumento.

XCVII.

Magnus Cosmus Medices postquam fundasset Episcopatum S. Stephani, lege cavit, ut ejus administratio penes Duces Florentinos esset, quibus deficientibus ad eos devolveretur, qui uterentur titulo magni Ducis Hetruriæ. Hinc nata sunt illa pacta, sive fœdera mutuæ successionis, quæ salutariter in Italiam & Germaniam introducta esse existimamus: Quicquid contradicat curiosus ille arcanarum rerum auceps.

XCVIII.

Princeps quatenus solutus legibus. Principem omnibus legibus scriptis solutum esse ex Tacito liquet, Dione & Vlpiano: In qua lege æstuant Doctores, sed in simpulo fluctum quærunt. Idem Princeps

ceps alios certis legibus solvere potest, ut Tiberius liberos suos annariis, Augustus conjugem lege Voconia, &c.

XCIX.

Augustum prudenter terminis suis sepsisse vastum illud imperium atque coërcuisse: Idem de Tiberio existimo, qui imperii proferendi rectè incuriosus fuit. An etiam de Adriano? Haud affirmo. Claudium tamen rectè & ex dignitate Reipublicę Britanniam imperio adjunxisse. Augustus noluit non per ignaviam, neque per invidiam, ut quidam putarunt, sed metu; id est, ex prudentia, ita enim apud Tacitum non semel usurpatum reppe-rio. *Terminis sepiendum imperium.*

C.

Similiter operam & oleum perdunt, qui remotissimis regionibus occupandis animum intendunt: Pulchra est Venetorum Oratio apud Guicciardinum libr. 3. *Civitatem Pisanam esse quidem opportunam Venetis, sed quod nisi per alienam ditionem & portus eo appellere queant, difficulter & non sine magnis impensis contra Florentinorum molestias conservari posse.*

CI.

Magna dissensio fuit inter Cæsinam & Messallinum, an uxores maritos in bellum sequi debeant; Nos adstipulamur Cæcinæ, quamvis ejus sententia in Senatu Romano fuit elusa. Hodie plures sunt pene focariæ & Calones, quam milites; & ut de Vitellii militibus Tacitus, *nomen magis exercitus, quam robur.* *Vxores an in bellum maritos sequi expediat.*

CII.

In exercitu Romano ex clamore militum facile potuisse decerni, quonam loco

 starent

ftarent res bellicæ, paffim Livius & Tacitus. Quem morem qui hodie in Turcis improbant, tanquam barbarum, næ illi hujus rei ufum, qui maximus fuit apud Romanos, ignorant.

CIII.

Propugnacula Romana an meritò depri-mantur.

Propugnacula in Romana militia hodie plerique deprimunt, Abfurdè. Certè multum fpei & roboris in iis pofuerunt ipfi Romani: De Cremona Tacitus; fuiffe propugnaculum adverfus Gallos trans Padum agentes, & fi qua alia vis per alpes rueret. Omnium abfurdiffimè qui negant hoc tempore ullo in ufu effe. Aliter & recte Fridericus Dux Alemanniæ plurima caftella ad Rhenum pofuit: unde in proverbium ivit: *Fridericum in cauda equi fui femper trahere caftellum.*

CIV.

Quare quod de Augufto putat Admiratus eum accepto nuncio de clade Vari tantum propter inopiam propugnaculorum tam fœde exercitum fuiffe. Idem metus fuit Solimanni de Tartaris, quos fciebat fine ullo impedimento Conftantinopolin ufque excurrere poffe. Idem etiam nobis timendum, fi Turca Viennam occupet, quod Deus avertat. Quam in fententiam Sinan Baffæ fortiter refpondit magnus ille Zamofcius Polonicæ gentis decus & præfidium.

CV.

Romanorum acies.

Imprudenter Sacrovirum Ducem Gallorum aciem inftruxiffe, dum in fronte ftatuit Crupellarios, in medio cohortes, à tergo femermos: longe aliter Romani bellorum fupra omnes gentes peritiffimi. Itaque quod in comparatione Alexandri cum

Duci-

Ducibus Romanis apud Livium *libr.* 9. periculum fuit, ne solertius quam quivis ex Romanis castris locum caperet, (nota hic capita scientiæ militaris) commeatus expediret, ab insidiis præcaveret, tempus pugnæ eligeret, aciem instrueret, subsidiis firmaret. Nego: Quin potius in hisce omnibus Romanos omnium expeditissimos fuisse mihi ex historiis liquet.

CVI.

Duo destinabantur sub Tiberio imperio, Germanicus, & Drusus. Tiberius incolumi Germanico integrum inter utrosque judicium tenuit; ne scilicet aut alterum firmando, suum abjiceret; aut istum præferendo studia popularium adversus se concitaret. Itaque mortuo demum Germanico Drusum summæ rei admovit. In quo turpiter erravit Galba. Sapienter Agrippina destinato Nerone Britannicum omni honore & potentia exuit. Sed ut in aliis negotiis publicis, ita etiam hic locum habet illud Taciti: *Non perinde dijudicari posse quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est.*

CVII.

Recte Dolabella hostem fugacem & vagum non gravi nec uno incursu consectandum esse: Recte Cæsar moderatius cedentem insequi hostem jubet. Propter hujus rei ignorantiam sæpe Germani milites ingentem cladem acceperunt à Turca, ut multis exemplis ostendit Bonfinius.

Hostis fugax an insectandus.

CVIII.

Delatores sive emissarios in bona Republica non esse ferendos. Et est vox illa tyranni, non Principis: subverterent potius jura quam custodes eorum amoverent: Indigni

Delatores an in bona Rep. ferendi.

digni sunt commercio hominum illi, qui palam laudant, absentem flagitant, & ut loquitur Tacitus excusando exprobrant *Pessimum*, inquit idem, *inimicorum genus laudantes*.

CIX.

Tiberius mandabat honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando laudabiliter. Et hunc modum hodie servant Turcæ. Apud nos in usu est illud de Vitellio: satis est ter consulis filium esse. Quo in loco interpolando nimis est curiosus acerrimus, alioquin librorum censor.

CX.

Argumenta contra legem Cinciam ab istis crumenimulgis & tintinabulis allata esse φαινόμενα, & nullius ponderis.

CXI.

Ædui à Romanis petierunt jus Senatorium. Plerique contradicunt in Senatu Romano. Claudius Imperator Æduis indulget. Quæritur utrum magis in Rempublicam? Nos Claudium recte & ad magnitudinem, Romanam fecisse arbitramur. Sed an recte quod promiscue victos ad civitatis jura admiserint? Ita certe, si Rempublicam crescere voles; Vere Claudius; *Quid aliud exitio Lacedamoniis atq; Athenienfibus fuit, quanquam armis pollebant, nisi quod victos pro alienigenis arcebant?*

Victi an ad civitatis jura admittendi.

CXII.

Militarem disciplinam non posse satis severam pro immanitate militum institui. Recte de Corbulone noster? *Intentum & magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur*. Cæterum errant, qui negant eam restitui posse. Vtinam modo adsint plures Manlii, Papirii; plures Avidii, Cassii.

Varieta-

CXIII.

Varietas pœnarum in Rep. Rom.

Varietatem pœnarum pro persona in Republica Romana usum habuisse multi existimant: sed falso. Exempla sunt in Horatio, Manliis, Marco & Tito, aliisque. Romani, ut est apud Livium, pulchrè appellarunt jus gratiæ non dare; Hinc Tacitus: *ut odium & gratia desiere, jus valuit*. Contrarium est in Virgulania apud Tacitum contra morem & severitatem Tiberii. Nimirum Iustinianus non solus muliebri potentiæ indulsit.

CXIV.

Stultè Galba, & non ab exemplo Augusti, Tiberii, Claudii & Neronis donativum negavit militibus eo tempore, quo hæredem imperii designavit. Constabat enim potuisse conciliari animos quantulacunque parci senis liberalitate. Multo stultius efferato jam milite de congiario congitavit. Sera remedia tunc, cum vulnus saucium perduxit ad extremos halitus. Seræ destinæ, cum ruit convitio parietum domus.

CXV.

Aliquorum Imperatorum intëpestiva severitas.

Adeoque hic Galba, sicut & Cato, Pompeius, Pertinax, aliique intempestive severi fuerunt: Bono id quidem consilio: quis negat? sed dum honestatis nimis retinentes fuerunt, se & Rempublicam multum afflixerunt. De Galba scriptor noster. Accessit Galbæ vox pro Repub. honesta, ipsi anceps: legi è se militem non emi: quæ vox illum enecavit; sicuti Pertinacem illud; militemus. Itaque Tacitus. *Nec enim ad hanc formam cætera erant*. Ibid. *Nocuit antiquus rigor & nimia severitas, cui jam pares non sumus:* Sic Cicero imprudenter Antonium turpido tempore efflagitavit,

 non

non secus atque ἄκαιρος ille, apud Theophrastum in Characteribus qui ad nuptias vocatus, inter mulieres in muliebrem sexum debacchabatur. Vno ore omnes Politici: *δεῖ δ' αὐτοὺς ἀεὶ τοὺς πράττοντας τὰ πρὸς τὸν καιρὸν σκοπεῖν.*

CXVI.

Neronis parricidium an excusari possit.

Neronis Parricidium omnes non immeritò detestantur, Nos videbimus si Tacito credendum est, num aliqua ex parte excusari possit Nero. Quippe quod Agrippina Principi Romano insidias struxerat, & crimen læsæ majestatis incurrerat. Simile superiori ætate exemplum fere accidit in regno Galliæ. Idem sentio de Timoleonte, qui fratrem, sed tyrannum curavit interficiendum. Plutarchus.

CXVII.

Solus Princeps insignia imperii habuit: solus etiam intercessione Tribunitia condemnatum à Senatu morti eximere potuit: solus jura ordinis reddere. Quo tamen referri non potest condemnatio Antistii, Quippe qui neque à Senatu condemnatus est, neque intercessione Neronis morti exemptus.

CXVIII.

Populo tumultuanti quomodo occurrendum.

Populo tumultuanti & feroci satius est ultro concedere, vel ea quæ contra bonos mores postulant, quam Rempublicam in periculum vocare. Nam postea sedato populo retractari possunt. Tacitus *Mutata* inquit, *quæ per seditionem expresserant*. Et alibi, *proxima seditionis male consulta abolita in posterum.* Qua in re errant sæpe in Republica viri, cæteroquin prudentes.

Boni

CXIX.

Boni publici tanta est religio, ut ei vel Princeps ipse cedere debeat. Quemadmodum Otto mortem elegit potius, quam ut pateretur tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus iterni rursus & reipubl. eripi. Planè secundum illud Caiphæ: *Expedit unum hominem mori pro populo.*

CXX.

Eligi Principem quomodo loco libertatis.

Galba ad Pisonem: *sub Tiberio & Cajo & Claudio unius familiæ quasi hæreditas fuimus: loco libertatis erit, quod elegi cœpimus*: Rectè *loco libertatis* inquit. Nam eandem libertatem mansisse Romanis neque ex hoc, neque ex aliis locis ostendi poterit, quod putat summus ICtus.

CXXI.

Non minus bene idem Galba: *Generari & nasci à Principibus fortuitum, nec ultra æstimatur: adoptandi judicium integrum, et si velis eligere consensu monstratur.* Præclara hæc tum pro eo tempore, tum pro natura populi; qui, eodem teste, nec totam servitutem pati potuit, nec totam libertatem.

CXXII.

Aureum illud effatum est Taciti: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur:* Quo dicto freti, & decimationem militum probamus, & sexcentos servos ob unius Domini mortem secundum jus Romanum, à magistratu supplicio affectos esse existimamus.

CXXIII.

Tyrannidis

Livius lib. 1. Hic, inquit L. Tarquinius Regum primus, traditum à Principibus morem

capita in L. Tarquinio. de omnibus Senatum consulendi solvit, domesticis consiliis Rempublicam administravit, bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse cum quibus voluit, injussu populi ac Senatus fecit diremitque. Hæc magnam partem non tam sunt imperii, quam Tyrannidis capita. Plane alia & diversa de Neronis initio Tacit. *Nihil in panatibus suu venale, aut ambitioni pervium: discretam domum & Rempublicam teneret antiqua munia, Senatus,* &c.

CXXIV.

Non una de causa Corbulo proprium ducem tuendæ Armeniæ poposcit. In nostra Republ. officia miscentur ac duplicantur cum summo Reipublicæ detrimento. Quo magis hodie convenit illud de Metioco apud Plutarchum. *Metiocus exercet Panarium, Metiochus farinam tractat,* &c.

CXXV.

Ostracismus an rectè vapulet. Ostracismus quo non tantum Græci, verum etiam Romani usi fuerunt, immerito à nonnullis Theologis atque Philosophis vapulat. Certè hoc pacto viri quantumvis magni, sed nimiæ potentiæ, suspecti sibi & turbis consulebant, seque subtrahebant pravè diffamantibus, ut ad Plautum scripsit Nero. Idem fecit Scipio Africanus, & lubens civitate cessit. Illud præclarum quod specie legationis, aut alterius honoris emissi sunt.

CXXVI.

Corbulonis Artaxatā urbē in Armenia delentis Corbulo Artaxatam urbem in Armenia delevit, atque solo æquavit: *Quia,* inquit Tacitus *nec teneri sine valido præsidio ob magnitudinem mænium, nec id nobis virium erat, quod confirmando præsidio, & capessendo bello divideretur.* Idem fecerunt in propugnaculo Montelices

felices Germani teste Guicciardino. Neque hoc crudelitatem refert. Aliter tamen Fulejus qui Capuam prævalidam, propinquam, inimicam, adeoque quibusdam delendam censentibus tamen servavit: alii alio pacto sibi & victis consuluerunt, & fortasse laudabilius. *factum an crudelitatem referat.*

CXXVII.

Falsum est quod viri prudentes affirmant, freti tum Livii tum Taciti loco, apud Romanos in mandandis honoribus nullam fuisse rationem ætatis. Hinc quærunt viri magni, an expediat juvenem creare Ducem belli: veluti de Alexandro, Scipione, Corvino, Pompejo, Octaviano, & aliis legitur. Equidem multo rectius quam olim Cardinales, qui Papam crearunt natum 100. annos, qui mulæ impositus ex ista insolenti equitatione & molesto officii genere, triduo post exspiravit. *An apud Romanos in mandandis honoribus ætatis habita ratio.*

CXXVIII.

Nimis sero Pisonem designavit Galba. Prudentius hac in re Augustus, Tiberius, & alii. Adeoque Henricus III. filio suo Henrico adhuc Catechumeno Principibus regni juramentum & fidem imperavit. Sic, inquit Tacitus de Tiberio, cohiberi pravas aliorum spes rebantur. *Successor an mature designandus.*

CXXIX.

An perduelles, sunt qui pro libertate arma sumunt? Extat contra hanc sententiam Saxonum gravissima Oratio ad Henricum III. apud Scafneburgensem. Verum tamen non puto Christianis licere. Vere Tacitus: *Libertas & speciosa nomina prætexuntur, nec quicquam alienum & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.*

An

CXXX.

An verò Principi liceat subditos ad religionem cogere armis, aut, bello? Promiscuè non existimo, utique cum plerique relligionis specie in ambitionem delabantur, ut Taciti verbis utar. Multo minus hic capio illud Papiniani: *summa ratio est qua pro relligione facit.*

CXXXI.

Vnum debere esse Reip. corpus.

Rectè Asinius Gallus apud Tacitum, quamvis non ex animi sententia, unum esse Reipublicæ corpus & unius animo regendum. In eandem sententiam Constantius apud Marcellinum: Rempublicam nec posse dividi nec debere, sed pro viribus quemque ei ferre suppetias fluctuanti. Hodierna imperiorum varietas in Europa causa est tot seditionum atque bellorum: Vaticinium illud fuit Cerealis apud Tacitum. *Pulsis, quod Di prohibeant, Romanis, quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent.*

CXXXII.

Lex Porcia de capite civis Romani quo referenda.

Lex Porcia de capite civis Romani, non tam ad simulacra libertatis referenda est, quam ad ipsum jus imperii, contra quam videntur sentire alii nixi Aristotele. 5. *Polit.* 9.

CXXXIII.

Fides Principi servanda.

Sabinus Vespasiani imperatoris frater in Capitolio obsessus ad Vitellium Imperatorem, mittit cum mandatis & questu, quod pacta turbarentur, & fortasse frustra ex illius summi Dominationis Magistri sententia. Aliter Numa, qui in incunabulis imperii sanxit ut fides ac juramentum propulso pœnarum metu civitatem Romanam regerent. Itaque nos eum perfide fecisse dicimus.

Sic

CXXXIV.

Sic contra jus gentium, ſive, ut Tacitus appellat, jus humanum, Antonius Regem Armenicorum ſpeciei amicitiæ illectum, & Tiberius per dolum arceſſitum Regem Cappadocum ad mortem impulit: Quod tamen in Cæſare qui Commium per ſimulationem colloquii interficere voluit, admittere nequeo: Aliâs Cæſar jura colloquii ſanctiſſime coluit.

CXXXV.

Aliquam poſſe inſtituti comparationem rei militaris Romanorum cum noſtrate. Quamvis etiam in Romana militia, ut teſtatur Servius in 2. Aneid. acceſſu temporis ducum varietas ſemper mutavit militiæ diſciplinam.

CXXXVI.

Verè Hetruſcus ille in libello de ſtatu Germaniæ, quadruplicem in imperio ordinem cauſam eſſe, tranquillitatis & diuturnitatis Imperii Germanici: De Republica Romana ſcriptor noſter; Octingentorum annorum fortuna diſciplinaque compages hæc coaluit, quæ convelli ſine convellentium exitio non poteſt. Viderint illi quantum ignem accendant, qui aliter ſentiunt.

Diuturnitas Imperii Germanici unde.

CXXXVII.

Militum ſtipendia ſub Tiberio erant deni in diem aſſes: Mirum eſt multis, milites Romanos tantillo potuiſſe vitam tolerare. Hinc enim inquit Tacitus, veſtem, arma, tentoria, hinc ſævitiam centurionum & vacationes munerum redimi. Nodum ſolvit Savilius eruditè & verè ut puto; *Poſtquam copioſè abundant τὰ νόμῳ μόνον ὄντα, trahuntur etiam neceſſario τὰ φύσει ὄντα, ea quæ natura requirit ad grandius precium in foro.* Quo argumento idem

Militũ Tiberio ſtipendia quomodo ſuffecerint.

idem rectè defendit vulgarem lectionem in Polybio de admirabili fertilitate Galliæ, Cisalpinæ, contra doctissimum ICtum.

CXXXVIII.

Princeps an moveri rumoribus vulgi debeat.

Rectè Tacitus, Principum eam esse sortem ut præcipua rerum ad famam dirigenda. Verum tamen fungos esse ac vanos Principes oportet, qui rumoribus vulgi moventur. Aliter de Tiberio, Tacitus; Tiberius, inquit, spernendis rumoribus vacuus. Item relinquendum esse rumoribus tempus quo senescant. Stulto Vitellius rumores edicto coercuit: Id, inquit Tacitus alimentum famæ erat.

CXXXIX.

Verè Cicero, pecuniam esse instrumenta belli: verè Mucianus apud Tacitum pecuniam esse nervos belli civilis, utut contra nitatur acutus ille ex Syllæ colonia Scriptor.

CXL.

Tormenta atque machinas bellicas Romanorum, quamvis, ab hodiernis valde differant, tamen eandem propemodum vim habuisse, exempla rem confirmabunt; ideoque hodierna militia non magis tollit virtutis discrimen, quam olim, quod tamen existimant multi non milites sed Murci veteri vocabulo.

CXLI.

E contrario hodiernas nostras sinuationes sive obliquationes, & prominentias aggerum atque propugnaculorum veteribus notas fuisse. Quamvis id negent hodie nova ingenia, ut vocantur, antiquo more apud Tacitum. Vide mihi vel solam Hierosolymam apud eundem Tacitum.

In omnes socios cō-

CXLII.

In omnes & singulos conjurationis socios non

non anxiè inquirendum, nedum animadvertendum esse, quamvis aliter sentiant illi sanguinisugæ. Præclarè de Tiberio Tacitus. Quanquam multi è domo Principis Equitesque ac Senatores sustentasse opibus, juvisse consiliis dicerentur, haud quæsitum, Seneca libro 1. Clem. scribit de Augusto, *postquam Cornelio Cinnæ ignoverat, nullis amplius insidiis ab ullo petitum fuisse.* *juratio-nis an a-nimad-verten-dum.*

CXLIII.

Idem locum habet in seditionibus. De Postumiana cæde Livius libr. 4. *Consules summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicium quos sibimetipsos conscisse mortem satis creditum est transacta re nequivere tamen consequi, ut non ægerrime id plebs ferret.* Et de Valente Tacitus: *Ille utili moderatione non supplicium cujusquam poposcit ac ne dissimulans suspectior fieret paucos incusavit.*

CXLIV.

Imo multa patrari in Republica in quibus satis est pœnitere: Prudens in eo Fabius, Germanicus, Agricola. Imprudenter Agrippina quæ noluit pœnitentiam filii, aut satietatem opperiri; & Cæcinna, qui proximam quamque culpam antequam pœniteret ultum ibat. Quanto moderatius Flandriæ Princeps perduelles, cùm facti veniam deprecarentur, in initio dirus quidem accepit: sed tamen ne malum hoc importunè tractatum & incommodè longius serperet, culpam illis omnem condonavit.

CXLV.

Mutianus tamen Vitellii filium interfici jussit: mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restrinxisset. Nego id verum esse, etiam

contradi-

contradicente acutissimo Politicorum. Quanto præclarius Diocletianus Cassii filios & amicos non tantum non occidit, verum etiam honoribus adfecit.

CXLVI.

Libertas loquendi an populo relinquenda.

Haud inconsulto facit Princeps, qui libertatem loquendi populo relinquit, ipse verò, ut Laurentius Medices dicebat, facit: Id notat Tacitus *facta*, inquit, *arguebantur, dicta impune erant*. Et de Tiberio 2. Annal. *in se jacta nolle ad cognitionem vocari*. Extat pulchra in hanc sententiam oratio Cremucii. Nimirum rectè temperavit Theodosius *C. si quis Imper. maled.*

CXLVII.

Quod in populo Romano superbiam atque arrogantiam appellarunt gentes Barbaræ, nos magnanimitatem appellamus. Quod illi cunctationem servilem, nos patientiam. Quod illi timorem, nos potentiam & consilium. Quod illi perfidiam, nos legem & justum populi.

CXLVIII.

Interfectores Galbæ an rectè à Vitellio occisi.

Vitellius interfectores Galbæ quamvis hostis, omnes conquiri & interfici jussit, non ut ait Tacitus honore Galbæ, sed tradito principibus more munimentum ad præsens, imposterum ultionem. Idem fecit Magnus Cosmus, olim David, & Alexander; & multi alii, & recte fecerunt. Acriter noster: *ultor est quisquis successit*. Et Cæsar postquam erexisset statuam Pompeji, suam ipsius diuturniorem fecit. Imprudentes & impii, qui aliter faciunt.

CXLIX.

Legati quousque san-

Legatum (quod nomen teste Cæsare apud omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit) etiam hostilia tentantem impunè non lædi.

lædi. Livius de Legatis Tarquinii: *Quanquam, & visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit:* Sic teste Tacito: *Parthorum legati, quamvis cum superbissimis venerant mandatis tamen cum donis remissi sunt.*

Hi & inviolati.

CL.

Pisonem ut nimis severum, & nimis ut Cicero dicebat, antiquorum hominum, ad imperium occupandum retinendumque ineptum fuisse, quicquid Galba contra sentiat. Notat hoc Tacitus multis in locis, utique cum dicit: Nec aliud sequenti quatriduo dictum à Pisone in publicum factumve: De Ottone vero quæ & qualia? Nec deerat Otto, protendens manus adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione: Nimirum citius favor populi largitione & ambitu quàm per bonas artes quærebatur.

Piso an aptus ad Imperium.

CLI.

Verè Vespasianus *imperium cupientibus nihil medium inter summa aut præcipitia.* Et Tacitus alibi de F. Valente; *Mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est, satis nec providit.* Neque hic audio nonnullos ICtos. Illud tamen inique Henricus Imperator qui neutrales accusabat læsæ majestatis teste Scriptore Fuldense. Quanquam neutralitatem periculosissimam esse, non nego.

CLII.

Nimis secure Vitellium occupato imperio, legiones sparsisse, cohortes exarmasse, numeros incidisse. Solœcismum appelles meritò in civili scientia. Nam hoc pacto, teste Muciano, nova bello semina ministravit. Contra Vespasianum recte victas legiones, ne manen-

Solœcismus Vitellii occupato imperio legiones spargentis.

te

contradicente acutissimo Politicorum. Quanto præclarius Diocletianus Cassii filios & amicos non tantum non occidit, verum etiam honoribus adfecit.

CXLVI.

Libertas loquendi an populo relinquenda.

Haud inconsulto facit Princeps, qui libertatem loquendi populo relinquit, ipse verò, ut Laurentius Medices dicebat, facit: Id notat Tacitus *facta*, inquit, *arguebantur, dicta impune erant*. Et de Tiberio 2. Annal. *in se jacta nolle ad cognitionem vocari*. Extat pulchra in hanc sententiam oratio Cremucii. Nimirum rectè temperavit Theodosius *C. si quis Imper. maled.*

CXLVII.

Quod in populo Romano superbiam atque arrogantiam appellarunt gentes Barbaræ, nos magnanimitatem appellamus. Quod illi cunctationem servilem, nos patientiam. Quod illi timorem, nos potentiam & consilium. Quod illi perfidiam, nos legem & jussum populi.

CXLVIII.

Interfectores Galbæ an rectè à Vitellio occisi.

Vitellius interfectores Galbæ quamvis hostis, omnes conquiri & interfici jussit, non ut ait Tacitus honore Galbæ, sed tradito principibus more munimentum ad præsens, imposterum ultionem. Idem fecit Magnus Cosmus, olim David, & Alexander; & multi alii, & rectè fecerunt. Acriter noster: *ultor est quisquis successit*. Et Cæsar postquam erexisset statuam Pompeji, suam ipsius diuturniorem fecit. Imprudentes & impii, qui aliter faciunt.

CXLIX.

Legati quousque san-

Legatum (quod nomen teste Cæsare apud omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit) etiam hostilia tentantem impunè non lædi.

lædi. Livius de Legatis Tarquinii: *Quanquam, visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit:* Sic teste Tacito: *Parthorum legati, quamvis cum superbissimis venerant mandatis tamen cum donis remissi sunt.* *Sti & inviolati.*

CL.

Pisonem ut nimis severum, & nimis ut Cicero dicebat, antiquorum hominum, ad imperium occupandum retinendumque ineptum fuisse, quicquid Galba contra sentiat. Notat hoc Tacitus multis in locis, utique cum dicit: Nec aliud sequenti quatriduo dictum à Pisone in publicum factumve: De Ottone vero quæ & qualia? Nec deerat Otto, protendens manus adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione: Nimirum citius favor populi largitione & ambitu quàm per bonas artes quærebatur. *Piso an aptus ad Imperium.*

CLI.

Verè Vespasianus *imperium cupientibus nihil medium inter summa aut præcipitia.* Et Tacitus alibi de F. Valente; *Mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est, satis nec providit.* Neque hic audio nonnullos ICtos. Illud tamen inique Henricus Imperator qui neutrales accusabat læsæ majestatis teste Scriptore Fuldense. Quanquam neutralitatem periculosissimam esse, non nego.

CLII.

Nimis secure Vitellium occupato imperio, legiones sparsisse, cohortes exarmasse, numeros incidisse. Solœcismum appelles meritò in civili scientia. Nam hoc pacto, teste Muciano, nova bello semina ministravit. Contra Vespasianum recte victas legiones, ne manente *Solœcismus Vitellii occupato imperio legiones spargentis.*

te adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum disperſiſſe: Turpiſſime Cæcina & Vitellius apud Tacitum, & Galli apud Guicciard. exercitum diduxerunt: ſatis valide teſte Tacito, ſi ſimul incubuiſſent.

CLIII.

In civili bello inter Vitellium & Veſpaſianum, virtus an fortuna plus effecerit.

In bello civili inter Vitellium & Veſpaſianum ut & in aliis plus effeciſſe fortunam, quam virtutem, quicquid neget callidus Hetruſcus. Fatebitur qui ſummam belli accurate putat. Militariter, id eſt, ingenuè Ammianus Marcellinus. *Virtus convenit atque fortuna, plerumque diſsidentes, quarum ſi altera deſciviſſet, ad perfectam non venerat ſummitatem.*

CLIV.

Vitellium qui Veſpaſiano prodidere an perfidi.

Tametſi interfuit Vitellium vinci, tamen imputare perfidiam non poſſunt, qui Vitellium Veſpaſiano prodidere, cum à Galba deſciviſſent. Tacitus 3. *Hiſtor.* Sapienter Claudius ad legatos Parthorum: ferenda Regum eſſe ingenia: & Cerialis: quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita luxum, vel avaritiam dominantium tolerandam eſſe. Notent hæc qui ſe appellant τυραννοκτόνους & liberatores, ſi diis placet, orbis terrarum. Tritum eſt de Caſſio qui Cæſarem interfecit, Regem eum, non regnum odiſſe.

LLV.

Tiberius, quod Neroni filio Quæſturam petebat, à quibuſdam inriſus eſt. Eſt enim, ut ait ICtus, quæſtura ingreſſus tantum, & quaſi primordium gerendorum honorum: Ac tamen inquit Tacitus initia faſtigii Cæſaribus erant. Bene & ſecundum morem majo-

jorum Calliſtratus : *Gerendis honoribus ordo certus adhibitus eſt*. Nam majorem magiſtratum quiſquam niſi minorem ſuſceperit, gerere non poteſt.

CLVI.

Non ſine ratione Proconſulibus Legati adjuncti fuerunt velut æmuli & quaſi inſpectores. Ac tamen hinc factum eſt, ut Legatorum jus nonnunquam auxerit, Proconſulum deminutum ſit. Adde quod ex hac æmulatione magnæ res plerumque impediuntur. Exempla ſunt in Volumnio & Appio Claudio, Fabio Maximo & Marcello, Corbulone & Vinidio. Nimirum hic convenit illud Lucretii. *Proconſulibus quo conſilio Legati adjuncti*

——— *Medio de fonte Leporum*
Surgit amari aliquid quod in ipſis floribus angat.

CLVII.

Triumviri inſolenter, ut multa alia, filios proſcriptorum jure petendorum honorum prohibuerunt, ſimulque, ut Senatorum filii & onera ordinis ſuſtinerent, & jura perderent. Quod quamvis indigniſſimum eſſe cenſet Vellejus Paterculus, tamen jure belli, & recte feciſſe dicendum eſt. *Cicero, & Quinctil. lib.* 11. *c.* 1. *Triumvirorum inſolentia erga filios proſcriptorum.*

CLVIII.

Prudenter Auguſtus & ex conſilio Mecænatis populo Romano indulſit Hiſtrionicam voluptatem, Cicero appellat munera popularia. Multo prudentius, quamvis abhorrens, idem fecit Tiberius: *Alia*, inquit Tacitus, *Tiberio morum via. Sed populum per tot annos molliter habitum nondum audebat ad duriora vertere*. Peccant qui aliter faciunt. *Auguſti prudentia ex conſilio Mecænatis.*

CLIX.

Sanctiſſima fuit ratio centeſimæ apud Romanos,

manos, & hodiè apud Turcas. Atque hujus rei carentia in nostra militia tot seditiones excitat, cum, teste Scriptore Anglico, nunquam in Romano exercitu ullus de stipendio motus fuerit. Ego tamen excipio bella civilia. Verissimè Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti.

CLX.

Consilia mala punienda, non eventus.

Turpe fuit in lege Majestatis, ut qui malè gessisset Rempublicam, in crimen læsæ Majestatis incurreret. Quanto prudentius Athenienses, ipsique olim Romani, consilia mala puniverunt & quidem mitissimè, non eventum.

CLXI.

Germanici magnificentia.

Germanicus ad vivum magnificentiam Aristotelis expressit; quod dum Galli, Itali & Hispani arma, equos, aurum offerebant, laudato eorum studio, armis modo & equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit. Idem fecerunt Romani erga Neapolitanos, & erga Regem Macedoniæ Philippum; Livius *lib.* 22. Legatis gratiæ actæ pro munificentia curaque; patera quæ ponderis minima fuit accepta.

CLXII.

Peditatus an equitatus major habenda ratio.

Non majorem rationem habendam esse peditatus, quam equitatus, etsi viri magni dissentiunt. Idem sentiendum de Romana militia: Idem de Turcica contra Iovium & alios, qui existimant in Ianitzaris totam vim belli esse; à quibus etiam perperam Ianitzari comparantur cum prætorianis militibus.

CLXIII.

Tribunitia potestas qua.

Tribunitiam potestatem proximum gradum

dum fuisse ad imperium, non tamen fuisse summum Imperium, ut Tacitus appellet summi fastigii vocabulum. Quo nomine Augustus eam triginta septem annos continuavit, & Principibus juventutis tribuniciam potestatem petiit.

CLXIV.

Quatenus in Rep. quædã contra leges recte fiant.

Nonnunquam in Republica quædam contra leges fieri, & recte fieri. Itaq; regulas nonnullas in jure Civili secundum appendices atque momenta temporum, personarumque, quas teste Agellio, includere in præcepta difficile est, ponderandas esse. Iusserat Menius castrorum præfectus duos seditiosos supplicio affici contra jus militare. Nam, ut testatur Vegetius *lib.* 2. Ad præfectum castrorum solum pertinebat castrorum positio, valli & fossæ designatio, impedimentorum militarium cura, &c. non verò jus plectendi militis. Dion. *lib.* 53. Itaque addit Tacitus factum id esse bono magis exemplo, quam concesso jure.

CLXV.

Sedes imperii premenda.

Tiberius prudentèr pressit sedem imperii, id est, ut Vellejus & Tacitus appellant, *caput rerum*, quicquid vulgus calumniabatur. Idem factitarunt Augustus, Antoninus Pius, Iustinianus, Carolus Rex Galliæ adversus Edovvardum, Amurathes & alii. Antonius hanc causam asseruit, quod provincialibus comitatus Principis nimis gravis futurus erat. Verrus Capitolinus, ne Imperatore absente sedes imperii à conjuratis occuparetur.

CLXVI.

Imprudenter tamen Otto cum de summa rerum certaretur, relicto exercitu Brixellum

 con-

concessit: ubi Tacit. Is primus dies Ottonianas partes afflixit.

CLXVII.

Simulatam ignorantiam sæpe prodesse.

Sapientis esse in Republica nonnunquam videri, non intelligere. *intelligebantur artes,* inquit Tacitus, *sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur.* Et de Arippina solum insidiarum remedium esse, si non intelligerentur. Novit hoc Syrus qui ad Dromonem: *tu quod scis, nescis si sapis Dromo.* Verum tamen haud scio, an huc simulata Bruti stultitia referenda sit. Certe Vitellii & Valentis simulatio vana fuit & ridicula. *Doli non sunt doli,* inquit ille, *nisi astu colas.* Quanto melius Galba seditionem duarum legionum ultro asseveravit, ne ut Tacitus dissimulata seditio in majus crederetur.

CLXVIII.

Nonnunquam in Republica quædam vi fieri, quo ut ait Tacitus, cæteris quies sit. Neque hæc pugnant cum pietate Christiana: Cæsar exemplo supplicii deterrendos reliquos existimavit, itaque omnibus qui arma tulerant, manus præcidit, vitamque concessit; quo testatior esset pœna improborum. Quo tamen illud de Valente referre nolim, qui ut Gallis terrorem incuteret, quatuor millia hominum innoxiorum occidit, neque de Principe Flandrorum, qui occupato Grandmontio omnes ad unum interemit senes, gravidas, infantes.

CLXIX.

In invadendo Imperio prætextus sive titulus aliquis quærendus.

In omni imperio invadendo sumi prætextum aliquem sive titulum. Sic Imperatores emendicarunt vel potius ementiti sunt legem Regiam, & Pontifices Donationem Constantini.

r. ..Idem fecit Solymannus ad occupandam, quam ſpe devoraverat Romam, teſte Iovio. Perſpicuè hoc Tacitus de Tiberio; *Dabat & fama ut vocatus, edoctuſque potius videretur, quam per uxorium ambitum & ſenili adoptione irrepſiſſe*. Simpliciter & ingenue Paulus III. *O*, inquit, *vos Scolaſticos, & omnium rerum ignaros, qui ejus imperii jus quæritis; quod jam à tot annis contra omnium vim poſſedimus, & ferro defendimus*.

CLXX.

Expedit Principi hæredem deſignare potius potentem quam imbecillem. Quare Pyrrhus interrogatus cui imperium deferret, reſpondit, ei qui acutiorem enſem habet, & Tiberius, teſte Tacito longam & continuam abſentiam meditatus eſt, ut amoto Patre Druſus munia conſulatus ſolus obiret; id eſt, ut potentia & dignitate creſceret is quem imperio deſtinabat. Itaque hodie in Francia hæredes regni Delphinatum Viennenſem, in Anglia ducatum Normanniæ, in Arragonia principatum Gerundę, in Scotia prǽfecturam Cumbriæ nominis loco & in ſubſidium capiunt.

Expedire Principi hæredem potentē deſignare.

CLXXI.

Sicuti Relligio, Reſpubl. Senatus, libertas ſæpenumero obtentui ſumuntur, & ſunt exempla in Pompejo, Ottone, Henrico IV. Ferdinando, Ludovico Sfortia, & aliis, ita etiam ſub legationis & fœderum ſpecie multa fiunt ſcelera. Qui vero propterea fœdera & legationes damnant, næ illi peponem pro corde habent.

CLXXII.

Non aſſentior Vegetio *libr.* 2. *cap.* 1. Romanos in auxiliis minores, in legionibus longè

ampliorem militum numerum asscripsisse. Contraria sunt exempla infinita apud Tacitum, Livium & alios. Cæterum quod de Gallis, Germanis Britannis olim Tacitus; eos dominationi alienę sanguinem suum accommodasse, hodie Christianis convenit, qui in Ianitzaros asscribuntur.

CLXXIII.

Cum delectu legiones assumenda.

Illud incautę Theodosius, ut scribit Zosimus, quod sine ullo delectu in legiones etiam adsumpsit Barbaros transdanubianos. Idem alibi, nullus ordo in exercitu, nec erat discrimen Romani à Barbaro. Itaque rectè Synesius monet Arcadium ut numeros & legiones civibus impleat. Fuit hæc ruinæ imperii non minima causa. Hodie quod auxiliis pene solis bellum geritur contra Turcam, multę præclaræ res negliguntur: Exemplum est insigne apud Schafneburgensem, sub Henrico III, sed odiosum.

CLXXIV.

Proconsulũ & Legatorum autoritas.

Rectè apud Romanos Proconsules summum imperium habebant: Rectè etiam legati ab his mittebantur nullis certis mandatis, sed ut ex re consulerent, viderentque ne Respublica detrimentum caperet. *Cæsar & Tacitus non uno loco*. ICti efferunt cum libera universorum negotiorum administratione.

CLXXV.

Cum qualibus mãdatis Dux in bellũ mittendus.

Meritò etiam hoc imperium Pompeio Magno, Germanico Corbuloni extra ordinem amplificatum est, & utilissimo instituto, ut ego censeo. Quo etiam consilio Britanniæ Princeps Procancellario cartas puras tradebat sed sigillo consignatas, quibus in publicis negociis pro arbitrio suo uteretur. *Comin. libr.* 1.

Sic

CLXXVI.

Sic Iustinianus confirmavit se omnia quæ in bello gereret Belisarius, & post mortem si prius excederet, ratihabiturum. Quæ res Belisario & autoritatem & animum auxit, teste Procopio. Sinan Bassa totum septennium sub Amurate supremum belli imperium ea potestate, quâ Imperator ipse, in castri exercuit. Vt testatur Sorantius, prudens Scriptor & fidus; quem nuper latinitate donavit Iacobus Geuderus decus Nobilitatis Noricæ.

CLXXVII.

Hodie indignè Duces belli cum certis mandatis in bellum eunt, & tanquam nautæ ex Commentario, ut est apud Galenum, rem gerunt. Vnde accidit ut ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res adferantur, ut loquitur Tacitus. At hercule Reges, *ait Livius lib. 9.* non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque trahunt consiliis cuncta, non sequuntur. Omnium stultissimè atque inhumanissimè Nero, qui classes jusserat certum ad diem in Campaniam redire, nullis exceptis maris casibus.

CLXXVIII.

Callidè atque laudabiliter Antonius, ut opinionem de adventu Muciani cum tot legionibus apud Vitellianos promoveret, jussit exercitum se invicem salutare, & gradus inferre, quasi recentibus auxiliis auctos. Blenni sunt, qui hœc damnant. Polybius vocat furta belli. Multo magnificentius M. Tullius, consilia imperatoria. Tacitus hæc & alia medicamenta belli, Ammianus belli commenta, Vegetius campestres meditationes. Quamvis hæ propriè fuerint exercitia bellica: quorum ut & *Consilia Imperatoria.*

castrorum metandorum aliarumve rerum in nostra militia, nec vola quod dicitur, nec vestigium.

CLXXIX.

Iura victoria notantur.

Iura victoriæ sunt imponere præsidia, tributa, obsides imperare, cives ferro exuere legibus rempublic. munire, & ut Cæsar ait, *Ius est belli, ut qui vicerunt iis quos vicerunt, quemadmodum velint imperent.* Itaque Henrici Romani Regis consiliarii frustra toties iterabant, contra regiam majestatem esse; obsides dare Saxonibus.

CLXXX.

Venienti hosti occurrere, an ejus adventū expectare præstet.

Otto præmisit Spurinam ad occupandas Padi ripas; sperans Cæcinam intra Gallias posse sisti, sed jam tum, inquit Tacitus, Cæcina alpes fuerat transgressus. Hic quærunt Politici, an satius sit venienti hosti occurrere, an vero ejus adventum expectare, & pro viribus propulsare. Postremum putat Hetruscus: Nos existimamus hosti periculosius fore bellum habere in ditione sua quam extra eam.

CLXXXI.

SCtum adversus falsas gestorum relationes.

Saluberrimum SCtum fuit adversus eos, teste Polybio, qui aliquid strenuè à se factum retulissent falsò ad Tribunum vel Ducem. Crimen dicebatur falsæ pugnæ, cui obnixus meritò erit Domitianus apud Tacitum, & Constantinus apud Marcellinum: qui falsos triumphos egerunt. Quo etiam crimine postulatus est, à M. Catone Censorio Q. Thermus Oratione quæ inscripta est: in Q. Minucio Thermum de falsis pugnis, ut rectè legit eruditissimus Merserus, perperam alii pœnis.

CLXXXII.

Nulla causa est, quin eidem crimini ob-

noxii

noxii fuerint, Pompeius, Verrannius Terentinus Varro, Pætus & alii. Hic Pætus literas è castris rescripsit, quasi jam confecto bello, verbis ut ait Tacitus magnificas, rerum vacuas.

CLXXXIII.

Simulationem in Tiberio qui tantopere detestantur, næ illi, quo in loco tunc erat tum ipse, tum Respublica ignorant. Itaque verba ejus Tacitus plerumque appellat *obscura, alibi perplexa, alibi suspensa*, item *eluctantia*. Dion ἀρέσκειαν καὶ ὑπόκρισιν, Græci alias eleganter πλόκας καὶ παλιλλογίας. Poëta vetus magis expressè, *versutiloquas malitias*: Cicero, *verborum involucra*: Recte idem Tiberius, & hunc secutus Ludovicus XI. Rex Galliæ: *Regnare nescit qui nescit dissimulare*. *Tiberii simulatio an detestanda.*

CLXXXIV.

Domestica discordia familiarum venenum est, quicquid dicebat Cato. Multo verius Titus apud Tacitum dissérit de incommodis suspicionum domesticarum, & apud Livium Demetrius lib. 40.

CLXXV.

Nero, Germanici filius, quamvis è domo Augusta, quo minus ad imperium venerit, hæ fuerunt causæ. 1. Libertorum & Clientum tum præpropera exstimulatio. 2. Contumax & inconsultus sermo de imperio occupando. 3. Promptior animus matris in Neronem, quam in Drusum. 4. Populi nimius favor. 5. Matris spes male tecta. De his caveat, qui tam ancipiti in loco positus est. *Cur Nero Germanici filius ad Imperiū non venerit.*

CLXXXVI.

Tacitus *lib. 5. Histor.* Civitatem Hierosolymam in duas factiones descivisse, donec propinquantibus Romanis bellum externum

concordiam pareret. Frustra igitur sunt, qui hanc occasionem captant. Argutè Philippus Mediolanensium dux dicere solitus est, *ineptias istas* (ita appellavit discordias Florentinorum) *sibi constare viginti centenis millibus aureorum*.

CLXXXVII.

Acutè Macroni exprobravit Tiberius: *Occidentem ab eo deseri, orientem spectari*: Hunc sequitur sidus illud Angliæ, teste Buchanano, in rebus Scoticis. Vtrumque natum est à Pompeio, qui Sylæ respondit, ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες ἢ δυόμενον προσκυνοῦσιν: Quod tamen absolutè verum esse negamus.

CLXXXVIII.

Thraseas an meritò objurgatus. Objurgatus est Thraseas, quod nimis levia in libertate senatoria consectaretur: *Quin* inquiunt, de bello, de pace, de vectigalibus & legibus, quibusque aliis res Romana continetur, (nota mihi hoc loco cursim capita quædam juris publici) suaderet dissuaderetve: quæ si summa dissimulatione transmitterentur: quanto magis inanibus abstinendum, Thraseas contra, se patrum honori dare ut manifestum fieret, magnarum rerum curam non simulaturos, qui animum etiam levibus adverterent. Nimirum respexit illud Philosophi: τὸ παρὰ μικρὸν.

CLXXXIX.

Bellum an trahendũ. In historiis versanti mihi infinita exempla occurrunt eorum, qui quantumvis potentia inferiores essent trahendo bello superiores facti sunt. Itaque apud Tacitum Suetonius bellorum peritissimus, festinationem hostibus moram ipsis utilem disseruit. Sertorius hic esto, & carptim singulos pilos evellito: Quod cum

cum ignorasset Ludovicus Vngariæ Rex cum totius exercitus internecione occisus est. Quare illud καθόλε non est, cedendum esse potentioribus: quod tamen existimat Politicorum hodiernorum pene Princeps.

CXC.

Falsum est quod ajunt virum bonum sub tyranno nequaquam in honore aut precio esse posse. Contraria exempla sunt in Lepido, Agricola, Lamia, Nerva, L. Pisone, Volucro & aliis. Recte Alexander: *obsequio mitigantur Principum ingenia*. Nimis abscissus & asper fuit Calisthenes: cui licuisset inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter & ambitione & periculis vacuum. Æque falsum est, quod scribit Machiavellus, in populo majorem constantiam atque prudentiam esse, quam in Principe. *Vir bonus an sub tyranno in honore.*

CXCI.

Libo accusatur Majestatis. Negante quæ objiciebantur Libone, servos per tormenta interrogari placuit, sed quia vetere ICto quæstio in caput Domini prohibebatur Tiberius callidus, novi juris repertor, mancipari singulos actori publico jubet. Idem fecit in filiola Sejani, quæ juxta laqueum & carnificem compressa est, quia triumvirali supplicio virginem affici inauditum habebatur. Sic triumviri Reipublicæ impuberum jusserunt necari, sed prius indutum toga virili: Quæ quamvis eo pertinebant, ne fraus legibus fieret, tamen vix capio. *Tiberii calliditas in caussa Libonis & Filiolæ Sejani.*

CXCII.

Illud Romani recte, facto SCto: ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hæredibus prodes-

set: Et laudabiliter C. Licinius à M. Popilio Lenate lege sua decem millibus æris est damnatus, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset, *Livius lib.* 7.

CXCIII.

Romanorum præmia militaria quæ.

Falluntur qui negant Romanorum præmia militaria reduci posse: Vide quæso qualia fuerunt? Aucta stipendia, coronæ quercea vel graminea, hastæ, phaleræ, libræ farris, quartarii vini: Quæ Arminius, ut homo barbarus, contempsit, appellans vilia servitii pretia. Causam veriorem exprimit Livius: *Rem*, inquit, *dictu parvam: cæterum inopia fecerat eam, argumentum ingens caritatis, cum se quisque victu suo fraudans, detractum copori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret*. Et quod Romanis coloniæ fuerunt, hodie sunt feuda, vel commendaturæ, Turcis Timaræ. Idem de pœnis militaribus sentio.

CXCIV.

Nimiæ viri magni divitiæ aut paupertas Reip. periculosa.

Nimias divitias, adeoque nimiam alicujus viri magni paupertatem periculosissimam esse in Republica, quicquid argutatur Hetruscus Scriptor. De Ottone Tacitus. *Inopia vix privato toleranda:* Idem de Sylla & Plauto: *Sylla inops unde præcipua audacia: Plautus magnis opibus*. Itaque prudenter vel ob hanc causam Tiberius & Nero census Senatorum pecunia juverunt, Imprudenter Claudius, qui Senatores pauperes ordine movit.

CXCV.

Tacitus *libr.* 5. *histor.* Cerialis insulam Batavorum hostiliter populatus agros villasque civiles intactas, nota arte ducum, sinebat. Nimirum

Nimirum ut hostem apud suos suspectum redderet. Supra modum religiosus ille, qui hoc improbat. Eadem astutia usus est Annibal adversus Fabium, & Zeno adversus Phalarim.

CXCVI.

Secutæ leges, inquit Tacitus etsi aliquando in maleficos ex edicto, sæpius tamen dissensione ordinum, & adipiscendi illicitos, honores aut pellendi claros viros, aliaque ob prava per vim lata sunt. Vnde tamen parum prudenter infirmare studet Andius ille autoritatem juris civilis. Eodem loco verè Tacitus *Corruptissimâ Republica plurimæ leges*: hodie èo ventum est, ut contra disertam Iustiniani constitutionem non tam ex LL. quam ex DD. autoritate causæ dijudicentur atque decidantur. Quo verius hoc tempore videtur illud: ut antehac flagitiis, ita nunc legibus laborari. *Leges quomodo aliquando ferantur in Rep.*

CXCVII.

Prudenter Aristoteles minima quædam, quæve majestati regiæ scientiæ non conveniebant in nomothetica scientia omisit. Verum tamen in horum numero non est jus publicum quippe quod tractat eadem quæ sunt τὰ ἐσπουδασμένα in civili scientia.. Materia est eadem pene. Modus tractandi variat. Exempla in Tacito nostro.

CXCVIII.

Cæterum jus publicum, ut etiam historia ex minimis rebus laudem quærit, id est, etiam illa persequitur, quæ philosophis sunt τὰ ἀσπούδαστα. Verè Tacitus. *Non sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia ex queis magnarum sæpe rerum motus oriuntur*, Et paulo post. *Nos sæva jussa, continuas accusationes,*

fallaces amicitias, perniciem innocentium & easdem exitu causas conjungimus, obvia rerum similitudine & satietate.

CXCIX.

Senator debet nosse Rempublicam.

Quibus tamen neque dum Senator in Republica contentus esse debet: sed prater hac nosse (verba sunt Taciti) *opes publicas quantum civium sociorumque in armis, quod classes, provincia, tributa, vectigalia, necessitates, ac largitiones.* Est, inquit Marcus Tullius 3. *de legibus* Senatori necessarium, nosse Rempublicam idque late patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos socios Respublica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum, &c.

CC.

Veruntamen hæc neque ex politica, neque ex jure publico, neque omnia ex historiis, sed ex Rerumpublicarum registris petenda sunt. Quæ cum ignorarent duo consules apud Ligures, meritò eos, *teste Livio lib.*40. Senatus Romanus perstrinxit, & Calenum, Cicero in Philippicis.

COROL-

COROLLARIA.

1.

Sicut Iurisconsulto necessaria est historiarum lectio, ita etiam Historico necessaria est scientia juris civilis.

2.

Ius publicum absque juris privati studio incommodè tractari, non contra.

DISCEPTATIONIS DE IVRE PVBLICO

Defensio, suscepta pro consequendis doctoralibus in utroque jure privilegiis ex decreto Ordinis Iuridici Basileensis.

A

FRANCISCO ROSELLO Bruntrutensi.

POSITIO I.

Ius publicum quatenus dicatur olim fuisse abditum in Pontificum penetralibus.

IVs publicum quod à legibus 12. tabb. manat in penetralibus Pontificum abditum olim erat, hoc est, ut inquit Pomponius illius interpretandi scientia & actiones apud pontificum collegium erant. Quod non ita accipio, ac si exercitio, jurisque illius publici dictio penes eos esset; sed magis de cognitione ejus & interpretatione IC. puto loqui. Et cum dicit constitutum aliquem fuisse, qui quoquo anno præesset privatis;de auctoritate juris populo enodandi id interpretor. Præesse enim multis modis quis dicitur, docendo, explicando, juredicendo, vel alios in judicio instruendo. *Cic.*1. *de Orat. Multisque*, inquit, *praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manus consertum vocarent.* Eadem forma antecessores pro professoribus dicti sunt.

Mirantur

II.

Mirantur autem multi, imo accusant nonnulli (inter quos Pratejus Omission. c. 2.) architectos Digestorum, quod de jure publico brevissime egerint: Verum parcius hæc Triboniano objicienda putarim. Credibile enim est, pauca admodum Iustiniani ævo de illo jure scripta veterum extitisse, cum jam elegantiori multo & vetustiori seculo, quo maxime juris publici studium propter temporum summam domi forisque difficultatem excitari debebat, vix ulla ejus habita ratio fuerit, teste Cicerone *lib.* 1. *de legib.* ubi jus publicum incognitum esset affirmat, quod minus in usu necessarium sit. *Cur de eo Digestorum architecti parcè egerint.*

III.

Viden' rationem hujus incuriæ? (Monent scilicet Iurisconsulti, cottidiana plenius esse tractanda *l. legavi. D. de lib. leg. & qua* ἐπὶ τὸ πλεῖστον) Hinc puto factum, ut libri Tuberonis de jure publico interirent: quos tamen incorruptos vita diutius sustinuisset, si eos recente usitati sermonis sale, quam veteri fermento condire maluisset. At enim Pomponius exoleta verba auctoris minus gratia fuisse.

IV.

Accedit ad causam à Cicerone prolatam, quod jus publicum in militibus juris civilis Romani non remaneat, sed Reipublicæ & civitati illi magnæ (quam dicit Seneca & Lactantius) mundi commune fiat. Voluit enim natura hominem esse sociale animal, & societatem humanam jure quodam gentico gubernari. Vnde videmus jura fœcialia Romanis fere cum aliis populis quo ad suam substan-

tiam

tiam communia fuisse; siquidem nec bellum gerere diversis gentibus invicem datum est, nec variarum sectarum Philosophis disceptare, absque legibus & principiis utrique parti accommodatis & receptis. Vniversalia itaque jura communi rationi, cumque ipsa mundi machina superfutura conscribere supervacaneæ (si conjicere licet) operæ plerisque ICtis visum est.

V.

Quapropter Tullius in reprehensionem incurrere potest, dum *lib.* 1. *Offic.* scribit: *Belli quidem æquitas sanctissimè fæciali populi Romani jure perscripta est.*

VI.

Potuit tamen ad solennes quosdam ritus Quiritum respexisse. Cujusmodi fuit clarigatio, quam inde dictam literatores existimant; quod clara voce repetitum res pater patratus ibat. Iuris hoc fuit Romani: alios enim alibi cernere est mores, ut & à scripto denunciatio belli fiat. Testatur Ludovicus Avila de bello Germanico. Ducem Saxoniæ & Landgravium ad Imperatorem misisse, cum tibicine puerum quendam nobilem, qui literas diffidationis (Dd. nostri sic loquuntur) in summitate baculi gestaret, & hunc morem Germaniæ in bello indicendo esse ait. Sic etiam sagmina, quibus legati Romanorum sancti fiebant, juris Romani erant. Nam alia græcos legatos insignia tuebantur, teste Marciano. *lib.* 8. *de rerum divis.* Barbaris quoque pro caduceo coronas & folia fuisse, auctor est Suidas. Sic præterea non eadem apud omnes gentes feriendi fœderis forma fuit, prout edocuit Alexand. ab Alexandro in suis genial. Sic deniq; Quiritium peculiare

liare fuit, in legatione gentium (quam alias æquitas naturalis temperat) ut eum, qui legatum pulsasset hostibus dederet *libr. ult. D. de legat.* Alia multa hujusmodi in patrocinium summi illius causarum patroni adferri possent, quæ memor instituti mei prætermitto.

VII.

Vt porro laxior cura nostris auctoribus fuit in conscribendo illo jure, cujus imperium terminat orbis; ita publicarum legum quas Romani fines continebant studiosiores fuisse deprehenduntur. Nonne de magistratibus fuse explicarunt veteres? De eorum jurisdictione & imperio in criminibus persequendis? Cui vero ignotum est Macrum Arriumque Menandrum de re militari & alios passim de captivis, omnibus tamen ad castra & militem populi Romani reflexis tradidisse? Quem Rubrica illa de legationibus non quidem, genticis, & ad exteros pertinentibus, sed provincialibus & retrorsum ad Rempublicam Romanam versis latere potest?

VIII.

Nunc ad rem propius accedamus. Publici juris non una est significatio. Quandoque enim pro jure communi accipitur *lib. nihil consensui* §. 1. *D. de reg. jur.* quod manifestum fiet si conferas *l. ult. C. de in int. restit. min. & l. inter eos*, §. *pen. D. fidejusso.* Ratio appellationis est, quia non uni sed omnibus & universo populo (à quo publicum dictum quasi populicum) jura constituuntur. Nonnunquam etiam jus publicum est, quod à populi vel Principis, populum repræsentantis auctoritate pendet. Sic factio testamenti juris publici esse dicitur. *l. 3. D. qui testam. fac. poss.* nec ea jure

Publici juris homonymia.

Accipitur jure communi.

2. *Pro eo*

quod dependet à populi sive Principis authoritate.

jure denegata privato concedi post, *l. 6. eod. l. Paulus.* §. 2. *D. De bon. libert.* Hinc frustra fuisse puto Pardulphum Pratejum libr. inversion. c.1. qui existimavit materiam testamentorum ad tractatum de jure publico pertinere: nec quicquam eam juvat *d. l.* 3. Imo etiam militum testamenta partem juris publici (quod nunc inquirimus) fuisse negatam.

IX.

Quid propriè tale sit.

Ius publicum propriè & restrictè est, quod ad statum rei Romanæ spectat: quod de fine principali accipio. Aliàs enim quod publicè utile est, utile etiam est privatim, & vice versa *l. 2. D. de jur. dot. Nov.* 8. §. 1. *l. 2. C. de nat. lib.* Ius publicum seu jus civitatis Romanæ sub jure civili comprehendo, Cujacio haud credulus, qui hæc male discindere seu discerpere videtur, in recit. *ad l. 1. de just. & jure.*

Ejus origo qua?

De origine juris publici haud leve dubium est, utrum ex iisdem fontibus cum jure privato rivulos suos derivet. Nos neque artem neque naturam vetare putamus quin æque ut privatum, publicum jus ex naturalibus, gentiis & civilibus præceptis sit collectum, quamvis secus magnis quibusdam magistris videatur. Quos erroris accusavit *Guilielm. Ranchin. lib. 3. var. lect. cap.* 4. Qui tamen nec ipse extra omnem est reprehensionem, dum jus publicum ex civili quoque jure manasse inficiatur.

X.

Ius sacrum an à publico rectè separetur.

Difficultas alia non minor oritur exinde, quod Ausonius, sacrum jus à publico separet his versibus:

Ius triplex, tabula quod ter sanxere quaternæ;

Sacrum,

Sacrum, privatum, & populi commune
quod usquam est.

Et Horatius

——— ----*fuit hac sapientia quondam,*
Publica privatis secernere, sacra profanis.

Quibus addi potest Quintilianus *lib.* 2. *c.* 4. qui jus in sacrum, publicum & privatum deducit: Cum tamen Vlpianus sacrum sub publico comprehendat, quod fieri verius Pratejus putat, *in Dicaeologia c.* 4. At mihi, si ex animi sententia loqui liceat, aliud videtur, nec affirmare dubito, paganismi fuisse (cujus nos vestigia imitari non decet) sub jure publico, & sic sub jure civili jus sacrum collocare: Id verò factum fuisse à Romanis, illud satis apud Tullium testatur: *Separatim nemo habessit Deos, neve novos sive advenas, nisi publicè adscitos, privatim colunto.* Dignum hoc nempe Romanis fuit, qui religionem Reipublicæ commodis non Rempublicam religioni accommodabant & subjiciebant, ut non inepte Machiavellus annotat. Nobis autem indignum est, qui non peculiares hujus, vel illius nationis Deos agnoscimus, sed universalem Ecclesiam, unum pastorem, & unum ovile credimus.

XI.

Divinum itaque jus separamus ab humano, idque qua civile est, in publicum & privatum tribuimus. Et divinum quod de fide, de doctrina & cultu Dei, de institutione ministrorum verbi, eorumque officio ac munere præcipit, sufficienter in sacris literis traditum esse putamus, quibus nec sanctionem Iustiniani *in* 1. *lib. Cod.* præjudicare posse censemus, nedum traditiones illis recentium Romano- *Divinum jus ab humano separatur & qua civile est in pu-*

blicum & privatum tribuitur manorum, quas more juris prisci civilis sacri, inventas & ad firmandum regnum Pontificium excogitatas esse vere dixeris. Gratianus certè in Decreto sub publico jus sacrum comprehendit.

XII.

Vlpianus an jus publicum rectè circumscribat sacris & magistratibus. Accusatur Vlpianus quod sacris & magistratibus jus publicum circumscribat, & ut illud superfluum nobis visum est, ita hoc nimis augustum nonnullis videtur. Ego sanè I C. non planè excuso: sed si de publicis rebus membrum addas, non multum fuerit, quod amplius desideres. Magistratus enim jurisdictionem, administrationem, munusque comprehendit: Et ex hoc trunco multi efflorescunt ramusculi.

XIII.

Magistratus quotuplex. Magistratus aut est summus, aut inferior. Summus nobis est Princeps Romanus, quem merito Vlp. legibus solutum esse ait, cum populus (qui nec legibus suis tenebatur, si in eo universo majestatem, non si singulorum obedientiam consideres) ei & in eum omne suum imperium & potestatem contulerit.

XIV.

Quâ lege majestas ad Augustos translata. Quæstionis est, qua lege & quando hæc majestatis translata fuerit in Augustos? Religio mihi est ab auctoritate Pandectarum recedere. Itaque & lege (pace consultiss. D. Vult.) id factitatum esse, eaque Regia nomine, & una (quamvis plures fingat Mar. Salom.) pro futuris Principibus omnibus statuendum puto. Sub Vespasiano autem latam fuisse eam legem probat satis ænea illa tabula, quæ Romæ in æde Capitolina (conservatorum dicta) ipsa legis verba, paucis truncatis, hodieque asservat.

asservat. Non igitur video, quomodo eam multi probabiliter ad Augustæum ævum referant. Quid enim opus fuisset retro à Vespasiano acta, gesta, decreta, imperata, (sunt verba legis) justa rataque ea lege haberi, si jam lex extabat, quæ omni exceptione majorem imperatoris potestatem constitueret.

XV.

Princeps quatenus solutus legibus.

Porr[illegible] naturalibus & gentium legibus si quæratur, dico constanter Principem iis solutum non esse: eosque in tyrannos sicca indignos morte degenerare, qui quodlibet licere sibi putant, qui dum bona sine justa ratione, sine emptione sine permutatione, sine præscriptione, sine successione subditis eripiunt, sua se majestate defungi putant. *Hinc consequens est, Principem sine causa nemini jus suum ex plenitudine potestatis auferre posse.*

XVI.

Hæc conclusio, utpote jure naturali fundata, nullam recipit distinctionem: nec potest non detrimentosa esse Reipub. opinio illa interpretum, qua inter Principis absolutam potestatem & ordinariam distinguunt, ex Gail. 2. obs. 56. colligitur, qui rectius communiorem illum calculum (quo magnum tyrannidis fundamentum collocatur) abjecisset quam fovisset.

XVII.

Cum hæc absolutè vera sint de Principe, bene infertur, hasce formulas: Non obstante ex certa scientia, proprio motu, de plenitudine potestatis, &c. rationem juris gentici nil mutare. Male igitur nata censenda est præsumptio illa absolutæ potestatis, quam Doctores inesse putant illis formulis rescripto Principis

Principis adjectis; Minusque sana sunt hæc verba Baldi *in proœm. feud. Quando Princeps aliquid vult ex certa scientia, nemo potest ei dicere, cur ita facis?*

XVIII.

Legum promulgatio. Magistratuum creatio sunt juris Majestatis.

Iure porro majestatis legum promulgatio & descriptio, magistratuumque creatio soli Imperatori competunt, & ad jus publicum pertinent: quandoquidem sine ill[illegible]tare aut esse salva civitas nequit, quod Iustinianus his verbis indicat: Civilia jura tunc esse cœperunt, cum & civitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cœperunt.

XIX.

Magistratus igitur omnis inferior à Principe constituitur, & est persona publica, quæ jurisdictioni in suis partibus præest. *Quæ mehercle* definitio Bodini descriptione libr. 3. de Republica cap. 3. potior habenda est.

XX.

Ratio Magistratus Romani.

Magistratus Romanus vel domi pro tribunali, vel foris pro castris imperitabat, hoc est, vel pacis vel belli tempore rem Romanam administrabat. Qui pacis rector erat, vel in urbe, vel in provinciis jurisdictioni præerat: Hinc urbani magistratus, ut consules, præfecti urbi, Tribuni: Et provinciales, ut præfecti provinciarum, proconsules, legati, Duumviri, &c. Quidam vero cum Principe aulæ ventis agitati hinc inde fluctuabant, ut præfecti prætorio, Quæstores & alii.

XXI.

Iurisdictio quotuplex.

Omnis vero jurisdictio à Principe pendet: Nec pugnare putamus, si jurisdictionem quamdam jure magistratus competere, & eandem à Principe concedi dicamus: Quemadmo-

madmodum nec illud contrarium est, judicis dandi licentiam jure magistratus competere, & eandem lege quibusdam dari, quod est in *l.* 12. §. 1. *D. judiciis.*

XXII.

Si tamen distinctius rem expendere velimus, necesse est, ut elegantem divisionem quæ habetur in *l.* 1. *D. off. ejus cui mand. est jurisd.* usurpemus, atque jurisdictionem aut jure magistratus competere, aut specialiter lege vel Senatusconsulto, aut constitutione Principum permitti dicamus, & ideo illam mandari posse, hanc non item, ne quidem in delegato Principis, quamvis non me fugiat, literatissimum virum Scipionem Gentil. *lib.*3. *de jurisdict. c.* 28. scripsisse, hoc casu merum imperium posse subdelegari. *Quomodo competat.*

XXIII.

Hic sane ingens illa materia de jurisdictione simplici, de criminibus & pœnis explicanda foret, cum illa etiam ad jus publicum pertineat: sed cum peculiares tractatus ea requirat, alia non minus grata persequemur.

XXIV.

Par in parem exercere jurisdictionem suam non potest. Hinc quidam constitutum fuisse putant, ne Prætor apud Collegam suum manumittat *l.*1.*in fin. D. de off.cons.*ubi permitti videtur Consuli apud Collegam manumittere, cum tamen ut prætor in prætorem, ita nec consul in consulem imperium habere dicatur. *l.* 13. *D. ad* S C. *Trebell.* Albericus Gentilis in novitio scripto ad lib. Machab. hunc nodum dissolvere conatus est: Nos aliter rem explicabimus. *Par in partem non exercet jurisdictionem.*

Tuentur

XXV.

Tuentur rem Romanam & fulciunt alii quoque officiales, qui jurisdictione carent, ut sunt Decuriones, legati provinciales, Tabelliones, Scribæ, Apparitores, Viatores, Lictores & alii ministri publici.

XXVI.

Duumviri apud Romanos an magistratus.

De duumviris magnum dubium est. Nam hos Bodinus magistratus fuisse negat. Sed verior affirmativa mihi videtur, quamvis restricte admodum remedia, quæ ad tuendam & explicandam jurisdictionem necessaria videntur, eis concessa fuerint, ut patet ex l. ea quæ. D. ad municip.

XXVII.

An major Senatus.

Major de Senatu controversia est, utrum is magistratus fuerit? Sunt enim qui id inficiantur, inter quos Carolus Sigonius, Corasius, Bodinus, Cujacius (quanta vero nomina) Nobis tamen non usquequaque; horum vera videtur sententia. Scribit enim Tacitus *libr.* 13. *Annal.* mansisse temporibus Neronis, quandam imaginem Reipublicæ cum Senatus prohibuit Tribunos jus prætorum præripere, aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi posset, intra domum pro potestate animadvertere: & multa alia scribi senatum prohibuisse vel jussisse.

XXVIII.

An Legatus Proconsulis.

Quæstionis est de legato proconsulis, utrum is magistratus fuerit? Et quamvis P. Faber ad *l.* 70. *de regul. jur.* id neget, magis tamen est ut dicamus magistratum fuisse: sed non ante quam excitata esset ipsius jurisdictio à proconsule. Meæ autem opinionis auctorem optimum habeo Asconium Pædianum, *in Verrin.* 3. Vbi bis Legatum magistratum appellat.

Legatus

XXIX.

An Legatus à Rep. missus ad Principem.

Legatus Reipublicæ qui à Republica sua ad Principem mittitur negocii publici causa, non magis magistratus est, quam legatus gentium, de quo Asconius *in Verrin.* 3. *Invidiose orator hoc addidit, cum de magistratu dicat, non legato*: Hæc lectio proba est, Hottomanni verò illa, quam de magistratus legato dicat, improbanda. Asconium enim legatum gentium magistratui magis opponere voluisse, quam legatum magistratus, indicant satis verba proxime sequentia. Adde quod Asconius non longo retro intervallo notarat, Verrem, qui legatus erat, imminuisse magistratum suum.

XXX.

Legatus an Romæ constituens, quod in provincia ante legationem contraxit Romæ conveniri possit.

Certis tamen privilegiis legatus Reipubl. fruitur, ut puta revocandi domum *l.* 2. *D. de judic.* Magna verò quæstio est, utrum constituens Romæ, quod ante legationem in provincia contraxit, Romæ conveniri possit: Et non posse ait *l.* 8. *D. de jud.* Cui repugnare videtur *l.* 5. §. 1. *D. de const. pecun.* Verum Cujac. *in lib.* 13. *obser. c.* 27. hanc legem accipit, cum quis Romæ constituit, se Romæ soluturum. Pacius verò *in Antin.* 2. *c.* 21. dictam *l.* 5. negatè legit: *convenit non debere.* Ego sanè ut hanc correctionem non admitto, ita etiam summi Gujacii conjecturam tolerabilem, non tamen necessariam puto. Ibi enim Vlpianus non definit de loco, in quo legatus Romæ constituens conveniri possit, sed simpliciter ait conveniri posse, quod verum est si de provincia id accipias.

XXXI.

Legatus Gentiū

Gravis quæstio est de legato gentium, utrum is sortiatur forum eo loci, quo ipse de-

 linquit?

An sortiatur forum eo loci in quo deliquit. linquit? In quo distingui vere posse videtur inter delicta, quæ adversus statum, Principemve ad quem missus est, perpetrantur, & ea quibus privati saltem offenduntur: & hoc casu legatum existimo remittendum ad suum dominum, ut dignis pœnis afficiatur. Priori vero specie, quia fidem, in qua ipse vicissim obligatus est, violat & committit (verbo Livii de Tarquinii legatis) ut hostis loco habeatur, pro legato & sancto eum non esse habendum puniendumque existimo: Ideoque superioribus annis Hispanicum legatum, qui contra Reginæ Angliæ caput, regnique incolumitatem conjuraverat, capite plecti potuisse, dicendum est, quicquid scribat Kirchner. *lib.* 2. *c.* 1. *de legat.* & auctor Dial. 2. qui *le Reveille matin des Francois* inscribitur.

XXXII.

Quemadmodum magistratus in urbibus cavent, ne quid turbet quietem publicam: Ita alii foris evigilant, ne quid Rempublicam infestet. Et si quæ incommoda Reipublicæ immineant, vel bello vel pace facta, aut fœdere contracto, ea moveant.

XXXIII.

De causis belli quæ ex ea juris gentium parte, quæ de offensione & defensione tractat, desumuntur, nullam nunc instituo disputationem. Quamvis autem quis justam *Bellum indicendum.* belli causam habeat, juste tamen non facit nisi bellum indicat. Nam hostes hi demum censentur, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus, cæteri latrones aut prædones. *l.* 118. *de V. S. l.* 24. *de capt. & postlim. & Cic. lib.* 1. *offic. Nullum ait bellum juste haberi, nisi nunciatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus.*

tis rebus. Nec tantum Romanorum ritus hic fuit, sed aliarum quoque nationum, adeo ut Deus ipse belli denuntiationem præcipiat *Deut.* 20. Hinc superfluum fuisse concludo, quod Bartolomæus Facius scribit, pace inter Genuenses & Alphonsum Regem contracta sancitum fuisse, ne sine denunciatione sibi invicem bellum inferrent.

XXXIV.

Denunciatio belli penes summũ est Principem.

Penes principem summum, belli denunciatio est, & Lex Iulia majestatis eum damnat, qui injussu Principis bellum gessit *l.* 3. *ad l. Iul. majest. vide. Vult. de feud p.* 84. *Zoan. de Rom. Imp. Gail. de pac. publ. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 6. *& seqq. Covarru. ad c. peccatum de reg. jur. in* 6. *p.* 2. §. 9. ubi plurimi nominantur auctores. Ob eam causam fit, ut inter cives ejusdem civitatis non sit bellum sed seditio: Vnde etiam belli effecta, captivitates, prædæ inter eos cessant *l.* 21. §. 1. *D. capt. & postlim. Donel. libr.* 4. *comm.* 21. Licet sciam sæpe cives Romanos ab una parte captos sub hasta venditos fuisse, & in servitute detentos.

Inter cives non bellum sed seditio.

XXXV.

Denunciatum bellum non cito inferendum.

Romani simul denunciare & inferre bellum non solebant: æquissimum hoc erat, ut deliberaret hostis, num cedere vellet nec ne: Valeant igitur politici improbi, qui imparatum hostem obruendum esse præcipiunt. Quantum autem tempus hujus dilationis fuerit, constat ex Livio ita scribente: sæpe legatos ante missos res repetitas: renunciatum amicitiæ si non redduntur: & diebus tribus & triginta peractis, bellum postremo indici. Oldendorpius vero *de usucap. sub. cap. de temp. quod in mat. belli consid.* ait bellum

si triduo antequam committatur, denunciatum fuerit, vulgo plane honestum existimatur.

XXXVI.

In bello capta fieri capientiũ. Solent bello capta capientium fieri *l. 5. §. ult. l. 7 princ. l. 51. D. de adquir. rer. dom.* Nec distinguo, quod faciunt multi magni auctores, inter res mobiles & immobiles: Nihilominus enim vera posita regula manet. Capit Imperator, depulsis & devictis hostibus agros & prædam, ideo hæc publica fiunt *l. 20. §. 1. D. de Cap. & postl.* Quæ privati capiunt, privata fiunt, ut sunt mobilia, quæ perseverante adhuc bello, nec dum devictis hostib. capiuntur, ut bene Donel: lib. 4. comm: c. 2. docet.

XXXVII.

Captivitas hominũ an tolerabilis inter Christianos. De captivitate hominum quæritur, utrum tolerabilis sit inter Christianos servitus? Plurimi sane viri in jure & elegantiori doctrina præcipui id negant. Alciatus *ad l. 2[illegible]. D. de ver. sig* VVesenb. *in ff. de capt. & postlim.* Covarruvias, Duarenus, Donellus & alii, quod bella plusquam civilia inter Christianos gerantur. Nos verò cum piis aliquot Theologis rationis esse putamus, ut ii qui occidi prælio & fervore pugnæ poterant, servituti justæ & moderatæ subjiciantur. Hinc mancipia dicta quod manu bello caperentur: nec allusio illa, qua servi à servando dicuntur inepta putanda est, licet veriloquium verius aliunde sumatur, ut docet Iosephus Scaliger ad Varronem.

XXXVIII.

Servitus an inter Chri- Non tamen existimo servitutem necessariam esse, quod velle videtur Gregorius *l. 6. de Repub. cap. 13. n. 12.* Nam experientia multorum

torum annorum nos docuit, Christianam Rempublicam mancipiis carere posse. Quamvis enim servi videantur fuisse usque ad annum M. C C. (quod constat ex Can. Innocentii 3. qui circa illud tempus sedi Romanæ præfuit c. final. ext. de conjug.) credibile tamen est eo jam tempore valde imminutum servorum numerum. Suo enim tempore Leo Imp. constituerat, ne sui venditionem quis pacisci posset, & qui hoc fecerat salva libertate verberibus castigaretur. Nov. Leon. 59. Et Bartolus qui floruit M C C C. scribit ad leg. hostes. D. capt. sua jam ætate nullos omnino servos extitisse.

stianos necessaria.

XXXIX.

De jure postliminii.

Quemadmodum juste captivi servituti subjiciuntur, ita naturali æquitati consentaneum est, ut detur captivis postliminium *l.* 19. *Capt.* in qua postliminium definitur. Postliminium aut in bello aut in pace dicitur competere: De illo res plana est, de hoc magna meo judicio extat difficultas in *l.* 5. §. 2. *D. capt.* ubi in pace inter populos non hostes captivitati locus relinquitur. Cui sententiæ Ælius Gallus apud Festum consentit. Cum tamen res hostium saltem acquiri nobis posse videantur. §. 18. *Inst. de rer. divis. l.* 59. §. 1. *l.* 24. *de capt. l.* 5. *in fin. & l.* 7. *in prin. D. de adquir. rer. domin.* Non quidem me fugit Alb. Gentilem lib. 1. *de jure belli*, c. 12. conciliationem tentare, sed utrum perfecerit, aliorum relinquo judiciis. Bodinus. *lib.* 1. *de repu.* ait hodie jus illud receptum non esse, sed quæro, cur receptum fuerit. Accursius accipit de iis quibus bellum non est indictum, at guerram

cum illis habemus. Minus dextre tamen, ut ostendit Budæus in annot. D. Hic igitur hæsitanti mihi subveniet, magnas à me feret gratias.

XL.

Si is qui bello arma amisit, capite punitur, multo rationabilius est, ut qui armis victi hostibus se dediderunt, postliminio careant. *l.* 17. *de captiv.* Nam ut ait VVesenbecius. volentes se hostibus subjiciunt. Vnde Silius lib. 10.

Cuncta adeo scelera & noxam superaverit omnem
Armatum potuisse capi.

Cui addatur Horat. 3. Od.

XLI.

In bello captis, in bello saltem postliminium est: Nec sententiam hanc evertit *l.* 12. *pr. de capt.* si cum Cujacio *libr.* 24. *obs.* 31. fingamus ellipticam orationem, quod faciendum oratio sequens cogit, quia spem revertendi civibus in virtute bellica magis, quam in pace Romani esse voluerunt. Vox hæc virtuti Romanæ propria. Sic *Afric. apud Iustin.* 31. Nec de filio redimendo unquam tractavit, nec senatum de eo agere permisit, sed ut dignum majestate ejus erat, se recepturum filium dixerat.

XLII.

Agri ab hostibus capti si in sua præsidia se recipiat ho-

De agris quos cœperunt hostes dubium est, si forte se in sua præsidia recipiat hostis, utrum ad priores dominos redeant? Distinguendum puto & dicendum, ut quæ ab hostibus tenentur, quasi hospitibus & viatoribus ea statum mutasse non censeantur, quemadmodum nec inundatio rei formam evertit: si quæ vero occupa-

occuparunt hostes tanquam victores & domini, ea non recipiuntur, nisi rursus ipsis expulsis *l.* 20. *de captiv.* Meritò ergo superbum atque indignum visum Annibali ejus soli, quod ipse bello captum possideret haberetque inventum Romæ emptorem, nihil ob id diminuto pretio teste Livio *lib.* 6. *Dec.* 3. Qui addit, ducem illum extemplo vocato præcone jussisse, ut tabernæ argentariæ, quæ circa forum Romanum tunc essent venderentur. *stis an ad priores dominos redeant.*

XLIII.

Videtur inter res mobiles & immobiles fuisse differentia, ut illæ si in præda essent, in pristinum statum non redirent *l.* 28. *D. capt.* Hæ vero omni casu ad priores dominos reverterentur *l.* 20. *eod.* Et istam differentiam P. Faber, qui omnia suâ sub ascia polire solitus, probat eleganter. 2. *sem. c.* 2. In partes diversas abit Covarruvias & alii ab eo citati ad *c. peccatum. de reg. jur. in* 6. §. 11. *num.* 8. *usque ad fin.* Ne autem quem moveant loca quædam Historicorum, quibus exempla prædæ universæ Dominis priscis redditæ, ea ad gratiam Ducum, præmiaque bonorum civium non ad jus referimus. Polybius. L. Æmylius, prædam de victis Gallis captam restituit eis, quorum fuerat. Et Livius: *Præda de Volscis capta in campo Martio omnis exposita, ut suum quisque cognitum abduceret.*

XLIV.

De sententia *l. transfugam D. de adquir. rer. dom.* mota est à magno observatore *lib.* 4. *obs. & emend. cap.* 9. magnoque ejus discipulo P. Fabro 2. *sem. c.* 5. controversia non contemnenda & decisa auctoritate Ciceronis, hostes qui nunquam apud nos fuere à nobis

Aeq. rer. dom. bis recipi scribentis. Ut ego quidem tantis viris non obstrepo, ita etiam glossam non puto esse ineptam, quæ de servo transfuga eam legem accipit. Verbo enim *recipere*, recuperatio ejus, quod nostrum prius fuit denotatur *l. cum quis. §. ult.* ibi: *dotem enim eam magis recepisse. D. de dote præleg.*

XLV.

Scribit Bodinus disciplinæ politicæ apex *lib. 1. de Republ. cap. 6. in leg. 4. de capt.* ineptã est lectio Florentini Codicis, ut satis intelligatur ex Cicerone in Topicis: Nos contra disputabimus, nec firmari hanc reprehensionem Tullii testimonio defendemus.

XLVI.

Æquitati inprimis consentaneum est, ut bello capti redimi possint. Redemptio autem facultatem redeundi præbet, non jus postliminii *l. 5. C. eod. tit.* Miror ergo doctis. VVesenbec. *in D. de capt. num. 9.* annotasse redemptos postliminium habere: Cui sententiæ Rubrica ff. & C. satis repugnat.

XLVII.

Non iniqui debent esse captivi contra æquos hostes, qui ipsos pretio accepto dimittunt: Imo qui λύτρον abeuntes promiserunt, redire ad solutionem debent *l. 21. cum l. 23. D. de neg. gest.* Quod verius est quam Bartoli placitum, quo discipulos suos naturæ ipsius hostes efficit, dum ad violandam fidem hosti datam instruit. Melius Megarenses & Corinthii Ethnici, qui dimissos suos ab hoste cives, ut pretium referrent, fidem fallentes tanquam perfidos, ingratos & injustos notabant. *Plutarch. auctor in quæst. Græcis.*

An victor miles in redemptione

In

XLVIII.

In his militum pactis facto quandoque evenit, ut postquam de precio conventum est, captivi facultates multo majores deprehendantur Unde quæsitum, num victor possit à priori conventione recedere, & pretii summam pro modo divitiarum sese redimentis ampliare? Decisum est in Parlam. Gratianopolino Anno 1457. pactionibus primis standum esse Guid. Pap. decis. 113. incip. in facto guerrarum. *capti-vorum possit à primis pactio-nibus recedere.*

XLIX.

Serie Digestorum de re militari agendum esset, de militum personis, delictis, pœnis & disciplina: qualia multa deduci possent ex libris viam præmonstrantibus Obrechto in tractatu de re milit. & Zoan. in lib. de Rom. Imp. Sed nos exquisitiora & palæstræ nostræ accommodatiora annotabimus, de pactis scil. publicis induciis, pace & fœderibus.

L.

Non sunt autem publicæ conventiones dicendæ, quæcunque ab his contrahuntur, quæ Respublicis præsunt: sed magis illæ tantum quæ statum rei Romanæ respiciunt, & ex causa publica fiunt: extra quam si Princeps contraxerit ut privatus obligatur. *Quæ pactio-nes di-cendæ publicæ.*

LI.

Stratagemata & fraudes, quæ citra perfidiam fiunt, bello sunt utiles: in aliis religio colenda. A pactis enim omnis calumnia & malitiosa interpretatio abesse debet, quamvis subtilitate aliqua juris civilis nitatur. Ob quam causam merito culpantur Romani, quod civitatem Carthaginensium

salvam fore pacti, urbem eorum evertere veriti non fuerint. Credibile enim non est Carthaginenses de illa inter urbem & civitatem differentia (quæ in usu Romanis teste Cicer. in fragm. de Rep.) cogitasse.

LII.

Veneno an in bello locus.

Perfidia quandoque non minor in rebus quam verbis. Unde venenis in bello locum non relinquimus, quamvis Baldus ex spiritu Italico hostem veneno necari posse contendat. Hic priscum Romanæ indolis candorem requiro. *Florus. libr.* 2. Mixtis nefas veneno fontibus infamem fecit victoriam. Nam contra fas Deûm moresque majorum medicaminibus impuris sacrosancta Romana arma violavit. Defensio utique in bello esse debet; at contra venenum nemo se tuetur *l.* 1. 17. *C. ad Sc. Syllan.*

LIII.

Populus an obligetur juratis pactis, dolo adversarii inductus.

Quæsitum est, an populus juratis pactis, quæ dolo adversarii inductus iniit obligetur; Nonnulli id putant arg. c. 9, lib. Iosuæ: Imo Huraltus *de off. status c.* 12. inde extruit perfidis servandam esse fidem. Utrobique nobis negatum verò propius accedere videtur: Et aliæ sunt rationes, cur Deus noxæ dederit familiam Saulis. 2. *Regum cap.* 21. Ad quem locum videndus P. Martyr. & Alb. Gentil. *de jure belli* 3. 19. *auct. vin. contra Tyrann.*

LIV.

Duces belli an inscio Principe inducias possint.

Induciæ quæ scitè Varroni belli feriæ definiuntur *l.* 12. *D. captiv.* Quæritur porro, utrum Duces belli qui imperium à Principe majori acceperunt, inscio Domino suo inducias contrahere possint? Et sane de induciis brevioris temporis, quia ad sepeliendos mortuos

tuos id affirmari poteſt arg. *l.* 2. *D. Iuriſdict.* Secus verò ſtatuendum, in induciis longioribus & pace: Bello enim gerendo, non omittendo dux eſt præpoſitus: Et hanc ob cauſam Poſtumium Romani Samnitibus, Corſis Clodium, Numantinis Hoſtilium dederunt: Adde rationes Crabotii 2. *diſpu. c.* 15. ubi eleganter contra Duarenum cui aliud judicium eſt, diſſerit. *contrahere.*

LV.

Pactum induciarum bellum differt non aufert, nec eo tam hoſtilitas omittitur, quam intermittit. Vnde putamus perperam reſponſo ſuo Alciatum ſup. *conſ.* 17. oppidum quoddam (Tignale dictum) Epiſcopo Tridentino attribuiſſe, cum inter eum & Venetos conventum eſſet, ut ſic quiſque poſſideret, ut poſſidebat ante proximum præſens bellum: Occupaverat vero durante bello Epiſcopus oppidum, & poſtea induciæ interceſſerant, quibus exactis, denuo ad arma fuerat conclamatum. Proximos hos actus de proximo bello Alciatus interpretabatur, negans idem bellum eſſe, quod per inducias diviſum ſeu dilatum eſſe, quod per inducias diviſum ſeu dilatum fuerat. Sic ſane nec eadem erit actio, quam dilatoria exceptio ſuſpendit: Falſo. Nolim tamen hæc indiſtincte de quibuſvis accipi induciis. Longiſſimæ enim paci annumerandæ videntur, quod ex *l.* 19. §. 1 *in verb. eum in breve. D. de capt.* conjicio. Et hanc ſententiam firmat Autor meditationis pro fœderibus. *c.* 3. *n.* 39. *Pactum induciarum differt bellum non aufert.* *Alciati notatur reſponſum.*

LVI.

Tractant D d. utrum quemadmodum pax ex nova cauſa juſte rumpi dicitur, ita etiam treuga ex nova cauſa frangi poſſit? *Treuga an ex nova cau-*

sacrum pi possit. Non audio. D d. qui abnutive propterea concludunt, quod sanctius in induciis jus versetur, quam in pace. Si enim sacratiores sunt, (quod ait Bodinus) ac minus violabiles induciæ, quam pax ipsa, eo severius in induciarum violatores animadvertendum erit. Gailii itaque sententiam. 1. *de P. P. c.* 4. *num.* 45. *& c.* 19. *num* 3. amplector. Licet Augustum illum Spirensem confessum aliud probasse scribat *Mynſ.* 4. *obſ.* 7. in causa comitis de *Hennenberg.* contra Duces Bavariæ.

LVII.

Bartoli judiciũ circa treuga observantiam notatur. Bartoli judicium truculentum nimis fuit, circa fidei hosti datæ observantiam, quod etiam manifestum fit ex specie, quam ad. *l.* 15. *D. de publican. num.* 3, proponit his verbis: *Inter Regem Franciæ & Regem Angliæ facta fuit treuga, & fuit factum statutum; quod milites Regis Franciæ possint impune regnum Angliæ intrare, & hoc usque ad Pascha, & ultra licitum esset unicuique reperienti militem Regis alterius interficere. Modo contingit quod unus miles Regis Franciæ ivit in Angliam, & cum rediret per mare Anglicum intra Pascha, mare retinuit ipsum, & remisit eum in regnum Angliæ, modo* Quæritur an iste possit interfici? Bartolus affirmat, sed qua fronte aut quo colore non video: Nam illud, quod de statuti stricta interpretatione profert, futile est.

LVIII.

De salvi condu-ctus observantia. Si vero salvo conductu (qui etiam pactum publicum) abeundi causa ad certum tempus concesso, abitus alicujus fiat tardior propter casum valetudinis aut tempestatis? Nos hic quoque summum jus, quod summa injuria secundum Cic. abesse volumus

lumus per *l.15. de publ.&l.14.de re milit.* Non tamen eorum causam fovemus, qui securitatem datam ad alia dolose extendunt, de quibus probabiliter actum non est. Vafrè itaq; factum existimamus ab illis mulierculis, quæ abitum cum iis quę aufferre possent pactę maritos, suos & Guelfum Ducem Bavariæ à Cunrado 3. obsessum humeris absportarunt: quo quidem lepido nimis actu motus Imperator veniam omnibus concessit, cum suo jure agere potuisset.

LIX.

An belli Duces pacem contrahentes pacisci possint, ne ulla detrimentorum hinc inde acceptorum ratio habeatur.

Quidquid delirant Reges plectuntur Achivi. Hinc non inelegans exsurgit tractatus, utrum belli Duces pacem contrahentes pacisci possint, ne ulla detrimentorum hinc inde acceptorum quæstio habeatur? In partes circa hanc quæstionem discesserunt Dd. ut constat ex Bodino *bib.1.de Rep.c.9.* Nos Principis pactum hujusmodi valere putamus, si aliter civium communi saluti consuli nequeat, quo moderamine adhibito facile patiemur privata incommoda ab utilitate publica absorberi.

LX.

Huc ea quæstio pertinet, quam M. Afflictius *decis. Neapol.* 150. *tractat*. Num debitores Alphonsi Regis, qui fugato Alphonso, mandatu Caroli 8. Regis Galliæ nonnullis militibus Gallis, quorum forti opera Carolus usus erat, solverant, potuerint denuo ab Alphonso, qui suum regnum quatuor post mensibus recuperarat, erigi? Negationem cum Hottomanno & P. Gregorio contra M. de afflictis tuebor.

LXI.

Pax an cũ magno damno redimenda.

Nobilissimum pactorum pax est: Belli siquidem finis est, victoque & victori est æque utilis: Et auctore Seneca, pacem reduci velle victori expedit, victo necesse est. Non tamen magno nostro damno aut turpitudine eam redimendam esse existimat Rex sereniss. Angliæ in lib. de Principe, & auctor libri de fœderibus. *p.* 198. *Si enim pace (*inquit Cicero Philipp. 7.) *frui volumus, bellum gerendum est: si bellum omittimus, pace nunquam fruemur.* Nec rursus belli ita debemus esse studiosi, ut pacis artes negligamus. Lanius discept 9. Hinc male cessisse Æacidis dicitur quod fuerint magis belli potentes, quam sapienti potentes, ut auctor antiquus loquitur: Et in Romanis hoc idem reprehenditur à summis Politicis, Paulo sc. Paruta copiose *discept.* 1. & Contareno *lib.* 1. *de repub. Veneta.*

LXII.

Princeps captivus pacem contrahens an restitutionem in integrum prætendere possit.

Penes Imperatorem bellorum & pacis constitutio *Nov.* 105. *de consulib. in pr.* Quæri autem non ineleganter potest, utrum Princeps R. captivus pacem contrahens restitutionem ex edicto & metu prætendere possit? Nos contra Dd. nonnullos juris fœcialis imperitos, (ut eos vocat Bodinus, 5. de *Repub.* 6.) assertionem negativam tuebimur: Et quamvis Imperator magnum detrimentum imperio per pacta sua creare non possit *(Zoan. de Rom. imper.)* personam tamen ejus obligatione non solvo.

LXIII.

Olim pacta sæpe inter belli Duces intercedebant, ut is qui singulari certamine victus esset, victori cederet: sed nonnulli Theologi hujusmodi pacta legitima esse inficiantur: Politici

litici vero, inter quos Patricius & Cicarelli *in discept. 6. ad T. Livium*, expedire ea Reipublicæ negant. Vnde dubitari potest, utrum illis standum sit? Et magis est ut id affirmem cum Hottomanno. *Fides* enim *temerè danda non est, data autem servanda*.

LXIV.

Exemplum conventionis publicæ usitatissimum in fœderibus: Tria fœderum genera colligit ex auctoribus juris & melioris literaturæ P. Faber *libr. 1. semestr. c. 7.* Primum est cum populi paciscuntur, ut unus in alterius fide & ditione sit: *Alterum* fœderis genus ad comem observantiam confœderatorum ligat: *Tertium* fit de auxiliis & sub aliis conditionibus. *Tria fœderum genera.*

LXV.

Ad secundum genus referri illæ possunt pactiones, quibus se populi Principis alicujus protectioni subjiciunt absque libertatis imminutione arg. *l. 7. D. capt. Gail. 2. obs.* 54. Bodinus *p.* 107. Quamvis occasio occupandæ civitatis clientelaris ex hac re minus religiosis Principibus hodie sit & olim fuerit. *Cic. in fragm. de Repu.* Noster autem populus sociis defendendis terrarum jam omnium potitus est. Quod de Romanis probat exemplis Cicarelli *in discursibus suis ad Livium*.

LXVI.

Scribit porro Bodinus, patronos adversus hostes absque mercede clientes suos tueri debere, & eos qui præter gratiam quid amplius paciscuntur patroni vel protectoris nomen amittere & fieri mercenarios existimat. Sed hoc mihi non fit verisimile, siquidem causarum patronus non propterea minus patronus

est,

est, quod salarium capiat: Et raro hodie à Principibus, vel civitatibus patrocinia gratis suscipiuntur.

LXVII.

Peregrinis injustè oppressis an adversus socios opitulari debeamus.

Tractari non ineleganter potest, an peregrinis injuste oppressis, adversus socios opitulari debeamus? Dubium id facit vir pius Philippus Melanchton in Ethicis suis, ubi ait in fœderibus semper excipi casum justæ defensionis: Movet etiam exemplum Atheniensium, qui Corcyræis adversus Corinthios socios auxilium tulerunt: sed tutius fuerit exemplum Romanorum, qui Campanis auxilia contra Samnites petentibus sic apud Livium respondent: Auxilio vos Campani dignos censet Senatus, sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia & societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt: Itaque arma, Deos prius quam homines violatura, adversus Samnites vobis negamus. Legatos sicuti fas est, precatum ad socios mittemus, ne qua vobis vis fiat.

LXVIII.

Si quis duos habeat confœderatos, qui eodem in tempore diversis in locis bellum gerant, distinctio Baldi habere locum potest, ut persona, quæ individua est, in auxilio ferendo priori tempore debeatur, res vero utrique; Si vero ex tribus sociis inter se fœderatis unus alterius opem imploret contra vim à tertio illatam, cum Romano putamus antiquiori socio succurri oportere, quamvis aliud D. Alberico Gentili visum sit: nisi forte fœdus sit sanctius puta unius gentis vel unius corporis contra alium fœderatum. Sic Helvetii recte Helvetiis contra alios fœderatos

ratos

ratos auxilia ferunt. Præter enim fœdus, quo invicem sunt arctissime ligati unam quoque Rempublicam constituere videntur, si Simlero potius, quam Bodino credamus.

LXIX.

Nunc alterum membrum disputationis nostræ expendamus, de rebus scilicet publici juris, ut sunt res fisci, hoc est, quæ ex pœnis, privilegiis, tributis, vectigalibus fisco imputantur. Item viæ, loca, flumina & ædificia publica, muri & portæ civitatis: de quibus singulis quæstiones ponemus.

LXX.

Pœna ex populari actione an fisco debeatur.

Ius fisci est, ut pœnæ ex criminali actione exactæ fisco tribuantur: sed difficultas est in popularibus utrumque pœna actori vel fisco sit applicanda? Varii varie hic sentiunt, ego cum Baldo totam eam actori regulariter adjudicandam existimo, quamvis hic non mediocriter turbet *l.* 25. §. *final. D. ad SC. Syllan.* de qua dicendum videtur, credibile esse quod aliquid singulare ibi lateat. Constat enim bona alias publicari in casu *SC.* Syllan. *l.* 5. *D. eod.* non vero pœnam centum aureorum infligi.

LXX.

An bona damnatorū seu proscriptorum.

Bona damnatorum seu proscriptorum hodie fisco non cedunt, quod ratio politica utilius esse Reip. suadet Bodin *lib.* 5. *c.* 3. & Iustinus sanctione sua introduxit *Authen. bona. C. bonis proscript.* In qua tamen Irnerius hæc verba. *Ex latere usque ad tertium gradum:* de suo addidit. Nil enim de collateralibus in Nov. ipsa comprehensum est: Adeo ut exceptione omni major non sit auctoritas Irnerii,, cujus fidem in aliis quoquo aliï desiderant

rant, ut videre est apud *Hartm. Pistor. lib. 1. quæst. p. 7.*

LXXII.

Fisci in hypotheca privilegiũ.

Præfertur in hypotheca fiscus propter privilegium, de quo est elegantissima species in *l. 28. D. jure fisci:* quam cum Accursio ita accipio, ut contractus cum fisco privati contractum sequatur, contra Donellum *in tract. de pignorib.* (qui verbum *Contraxerit*, non ad futurum, sed ad præteritum tempus refert) & Hottomannum qui eandem opinionem astruens pro *Contraxerit*, reponit *Contraxisset.* Vterque male: Quod enim esset privilegium fisci, si fiscum fingamus contractu priorem fuisse?

LXXIII.

Vectigalia & tributa quid differant.

Fisco inferuntur vectigalia & tributa: inter quæ differentiam Perenotus (cujus fatum immaturum Musæ adhuc lugent) *libro 2. animad. capit ultim.* demonstrat, dum vectigal ordinarium facit, tributum extraordinarium. Cujus distinctionis utilitas cernitur apud Gaillium 2. *observation.* 53. Eleganter vero notat Bodinus, Romanis legibus vectigalia nulla indicta fuisse earum rerum, quæ ad vitam commodius honestiusque degendam asportantur: sed earum quæ ad luxum faciunt. Vt videre est apud Vlpianum *in l. interdum. § species. D. publicanis.*

LXXIV.

In fiscum pro dimidia parte thesauros in loco Cæsaris vel religioso inventos Divi fratres voluerunt *l. 3. §. si in locis. D. jure fisci.* Cui tamen contrarius est vexatissimus. *§. thesaurus. Instit. de rer. divis.* Nec inepte ex his locis & aliis colligitur, semper fuisse divisa placita

cita Imperatorem & diversos animos in delationibus, quibus fiscus augetur. Divorum tamen fratrum placitum magis recipiendum videtur, quia & posterius, & Federici constitutione probatum, usuque multis locis, ut in Gallia, teste Cujacio receptum.

LXXV.

Quæstionis est, an privatus ædificare in loco publico possit absque Principis permissu? Et magis est ut id affirmemus cum Donello 4. *Comm. c. 9.* & Sixtino *deregalib. c.* 5. ubi verbum, Maxime, cum Accursio, subintelligitur, *quasi maxime sine incommodo publico* IC. responderit: Vt licentia Principis eo demum casu sit opus, quo aliquid fiat cum incommodo publico. *Privatus an in loco publico ædificare posit absque Principis permissu.*

LXXVI.

Hinc illud efflorescit, an Princeps ædificia in loco publico permittere possit, si cum incommodo alicujus id fiat? Ad hanc quæstionem trahitur l. 2. 16. *D. ne quid in loco public.* quam Accursius de modici præjudicii concessione accipit. At Pinellus in *tr. de rescind. vendit. p.* 29. eam legem interpretatur, cum Princeps ex justa causa aliquid cum alterius incõmodo concedit. Nos vero absurdum esse negamus, ut Princeps qui loci publici dominus est, illud possit, cum etiam privati rerum suarum moderatores & arbitri, cum incommodo vicinorum ædificare possint, argum. *l. 9. &* 11. *D. servit. urb.* *An is permittere posit si id cum incommodo alicujus fiat.*

LXXVII.

Non autem quemadmodum ædificium in loco publico positum ædificantis fit, ita etiam quod in flumine publico exstructum est, auctoris sui fit, licet non paucos habeam dissentientes. De

LXXVIII.

De muris aliquid addendum, & hisce concludenda est dissertatio nostra: Sancti hi habentur, & si quis eos violaverit, capite punitur: sed dubitatur, an id etiam in municipiis obtineat? quod putamus per *l. 8. in fine C. rer. divis.* quamvis Doctores quidam celebres, Boetius, Ruinus, Menochius, Corasius diversæ sententiæ auctores sint.

LXXIX.

Quemadmodum civitates delinquant & puniantur, vel à philologis explicatum est: At operæ pretium est, si dispiciamus, num mœnibus solo æquatis, privilegia civitatis pereant? Distinctionem hic esse necessariam existimo: ut si furore hostili & expugnatione corruerunt muri, hoc sine privilegiorum sit fraude: At si propter delictum civium disjecti sint, cum muris cadunt quoque privilegia quæ simplici murorum restauratione non redintegrantur. Dissentiente Petro Gregorio. *lib. 2. de Rep.*

Et hos, quos potui in hac temporis angustia de jure civitatis flosculos summatim carpere, hîc congessisse sufficiat.

PA-

PARERGA EX IURE PRIVATO, CIVILI ET CANONICO.

1. *Ius naturale non est definitum ab Vlpiano.*
2. *Distinctio procuratoris generalis cum libera vel sine, Doctorum est & Canonum, non juris civilis.*
3. *Antichresis constitui non ita potest, ut interusurium legitimum excedatur, contra recentiores fere omnes.*
4. *Publiciana jure pontificio, quod bonam fidem in præscript. perpetuo requirit, non est sublata.*
5. *Frustra requiritur bona fides in præscriptione servitutum.*
6. *Statutum de lucranda dote non favet sponsæ de præsenti.*
7. *Procurator ad lites constitui non potest minor 25. annis.*
8. *Improbum fœnus exigentibus infamia non ipso jure inuritur.*
9. *Venatio in prædio alieno nulla est servitus, sed jus aliud.*
10. *Pignus in genere sumptum non est contractus nec conventio.*

THESES

THESES
DE
JURE PUBLICO,
Quas
Cl. CUNR. RITTERSHUSIO
IC. Antecessore & Consiliario Norico Præside, xxv Maji. Anno M. DC. xi. Altorphi publicè pugnavit
WOLFGANGUS HEINRICUS RUPRECHT.

THESIS I.

Vita civilis in societate est: Societas in commercio & imperio. *a* Unde juris nostri ad salutem societatis humanæ hac in vita feliciter tuendam constituti *b* duæ sunt positiones publicum & privatum. Publicum jus est quod ad imperium & statum Reipub. spectat. *c*

a Lips. 2. civ. doctr. sive politic. c. 1. b. Bocer. class. 1. disp. 1. th. 11, c. l. 1. §. hujus studii. ff. de just. & jur. §. hujus studii. infra eod. v. Ioach. Hopper. Fris. lib. de vera jurisprud. tit. 7.

II.

Quamvis autem etiam jus publicum ad ICtos pertineat. *d*. Eius tamen tanta est varietas, ut legum præceptis fere non potuerit includi, ideoque jus nostrum civile maxime in jure privato versetur. *e*

d *Gipban. in disp. de princip. jur. Diss. Ant. ap. Cic.*

ap. Cic. 1: de orat. e *Donel. 2. comm. 7. in prin.* In Pandectis præsertim parcissime de jure publico tractatum est. Vetuit enim Imperator ea pandectis inseri de quibus cautum est in libris Codicis *l. 6. § . similique modo. 15. C. de vet. jur. enucl.* Extat autem juris publici expositio plenior in Codice. *Vid. etiam Cabot. lib. 1. disp. jur. publ. & privat. c. Giphan. in œcon. lib. 49. ff. Matth. VVesenbec. ad tit. ff. de just. & jurisdictio. num. 14.*

III.

Rempublicam Aristoteles *a* definit ordinem civitatis tum aliorum magistratuum, tum ejus maxime qui omnium summam potestatem habet. Atque hanc definitionem Clariss. Scherbius *b* Bodinianæ definitioni Reipublicæ longè præfert. *Reipublicæ definitio secundùm Aristotelem.*

a 3. *polit.* 5. b *disp. philosoph.* 11. *thes.* 29.

IV.

Reipublicæ tres sunt species: Monarchia, Aristocratia & Democratia. *c.* Quæritur autem an detur aliqua Respubl. ex his speciebus mixta? affirm. *d.*

c *Aristot.* 3. *polit.* 5. d *v. Clapmar. lib.* 5. *de arcan. Rerumpubl. c. ult. Lips.* 2. *polit.* 1. Diss. ii qui jura majestatis dividi & communicari posse negant per trad. *Cyn. in l. si viva matre.* 3. *C. de bon. matern. & Bald. in l. omnes.* 4. *C. de præscript.* 30. *annor.*

V.

Quæritur etiam *e* quænam Reipubl. species sit optima? Nos in thesi Monarchiæ palmam deferimus. *f.* *Quæ species Reip. optima?*

e *Bart. in tract. de regim. civit. num.* 6. Investigatio, inquit, quis sit melior modus regendi, necessaria est Iuristis. Nam Domini univer-

universales dum de reformatione civitatis tractant vel Iuristas consulunt vel eis committunt, vel cum ipsi assident apud eos de regimine civitatis querela proponitur.

f *Cum Hieron. Cagnol. in tract. de regim. boni princ. n.* 46. *Cont. Log. p.* 2. *meth. jur. c.* 22. *Donell.* 1. *comm.* 7. *P. Gregor. lib.* 6. *de Repub. c.* 3. & 4. & *lib.* 21. *syntax. art. mirab. c.* 4. *Fr. Patrit. lib.* 1. *de regno & regis instit. tit.* 3. *Lips.* 2. *polit.* 2. *Schonborner.* 5. *polit.* 1. *Kirchner. disp. polit.* 4. *th.* 1. *Ioh. Gerhard. decad.* 1. *quæst. polit.* 7. *Althus. cap.* 32. *polit. Lal. Zecch. libr.* 1. *de princip. c.* 4. *num.* 2. *P. Gilken ad Aristot.* 4. *polit. nu.* 40. *Rodolph. Goclen. lib.* 1. *polit. Platon. cap.* 6. *sive ult. fac. c. in apibus.* 7. quæst. 1. Dissentiunt *Frideric. Tilum disp. Pand.* 2. *th.* 10. *p.* 1. qui Aristocratiam præfert, & scribit etiam Apostolorum statum fuisse Aristocraticum per tradita *Ioh. Calvini lib.* 4. *Instit.* 6. §. 9. &c. 20. §. 8. Cui adde *Abrah. Scultet. in synth. doctr. Epiphan. c.* 21, & Guliel. VVitakerum, *de pontif. Rom. contra.* 1. *advers. Bellarmin.* Dissentit *etiam Machiavellus* qui in discurs. ad Livium Democratiam laudat. *Polybius lib.* 6. mixtam rempublicam præfert. His adde Aristotelem 4. *polit.* 1. & 12. Bodin. 5. *de Rep. cap.* 1. Fr. Patrit. *lib.* 1. *de instit. Reipub. tit.* 4. Bartolum *in tract. de regim. civit. num.* 15. & *seqq.* Lamb. Danæum 1. *polit. Christ. cap. ult.*

VI.

Fatetur Cicero *a* quod populus Romanus sociis defendendis terrarum omnium potitus sit. Nec tamen verum est quod scribit Oldradus *b* Romanum imperium illicitis artibus crevisse. *c*

a In

*a Infragm. de republ.6. conſ.79. c v. Arn. Clapmar.lib.4.de arcan.rerumpub.c.*10.*Schonborner.5.polit.4.*

VII.

In prophetia Danielis *d* quatuor enumerantur ſumma imperia. Per quartam autem ibi intelligi imperium Romanum, veriſſimum eſt. *e*

Per quartū ſummū imperiū apud Danielē intelligi Romanum.

*d C.2. & 7. e D. Luther. & Luc. Oſiand.ad d.cap.2.& 7.Daniel.Bart. ſuper conſt.ad reprimend. ad §.totius orbis.num.*8. *Philip. Melanth. in præfat.Chron.Carion.Matth. Dreſſer.in orat. de quat. Monarch.Scleidan.de quat.ſumm. imper.P. Gregor. lib.6. de Republ.cap.13.Diſſ.Bodin.in meth. hiſtor.& libb.de Republica.*

VIII.

Romanum tamen Imperatorem totius terræ ſine exceptione Dominum eſſe, aut jus in omnia regna habere negamus.

Romanus Imperator non habet jus in omnia regna.

Covarru. in c.peccatum.de regul.jur.in 6.p. 2.*§.9.num.5. & ſeqq. Menoch. conſil.2.num* 98. *& ſeqq. Dauth. in tract. de teſtam. num.* 248. *Matth. Steph. lib. 2. de juriſ.p.1.cap.1, num.52. Scip. Gentil.th.65. de princip.Roman. Herm. Kirchner. diſp.polit.th.5.lit BP. Gregor. lib.6. de Repub.c.13.num. 14. & ſeqq.* Diſſentit *Bart. in l. hoſtes. 24. num. 3. & ſeqq. ff.de capt. & poſtlim. reverſ. & ſuper conſtitut. ad reprim.ad §. totius orbis. Fr. Zoannet. in tract. de Rom. imp. n. 135. Georg. Lorich. conſ. 2. de vindic. Germ in exteros. Vid. etiam Lucam Oſian. ad c.2. Daniel.* ibi: *non omnino ſeparati ſunt,* &c.

IX.

Petrus Coſtalius *a* ſcribit, ſe non plane ſcire, an ſit aut ubinam ſit imperium Romanum. Sed Henning. Goden imperii Romani

axioma à Græcis ad Germanos translatum esse rectissime respondit. *b* Quamvis idem hanc translationem Papæ beneficio perperam adscribat. *c*

a in l. de quibus ff. de LL. b *conf.1. sub tit. quom. & qual. imp. & reg. Roman. primo fuerit ad. pop. Rom. num. 5.* c *v. Franc. Iun. advers. Bellarmin. pecul. libr. hac de re script. Dresserus Isag. hist. millen.* 5. Dissentit. *Bart. in tract. de regim. civit. num.* 24. *Alphons. Alvaretz. cap. 56. spec. summ. pontif. & imper. per c. venerabilem. 34. §. verum illis. & ibi Innocent. & Panorm. n. 18. extr. de elect.*

X.

Quæritur autem an hoc ipso imperium in peregrinos sit translatum? Neg.

Vid. Kirchner. disp. polit. 3. coroll. 9. & Bart. in tract. de regim. civit. num 24.

XI.

Imperium Romanum an sit Aristocraticum.

Imperium Germanicum an sit Aristocraticum, an verò Monarchicum, valdè controversum est. *a* Ego hanc disputationem meam non facio, sed aliis relinquo.

a *v. Kirchner. disput. polit. 3. thes. ultim. lit. e & disputa. 5. thes. 1. lit. c. Iohan. Gerhard. disputat. polit. 1. thes. 9. Schonborner lib. 1. polit. c. 16. Arnold. Clapmar. lib. 5. de arcan. Rerumpub. c. ult. & the. 73. de jure publ.*

XII.

Vlpianus an rectè dicat jus publicum consistere in sacris, sacerdotibus & magistratu.

Vlpianus *a* jus publicum in sacris, sacerdotibus *b* & magistratibus consistere dicit. Nimis angustè. Nam jus publicum in omnibus iis consistit quæ ad Rempublicam pertinent, vel natura sua, vel propter aliud. *c* Naturâ sua ad Rempublicam pertinent personæ & res. Personæ sunt Magistratus & subditi.

a In

a In l. 1. §. *hujus studii. ff. de* 1. *& j.* *b* Non desunt qui existimant jus sacrum publico non debere subjici. *Vide Donell.* 2. *comm.* 3. *&* 6. *Rittershus. p.* 1. *com. ad Novel. Fr. Rosell. in disputat. de jure public. thes.* 10. (quam impugnat Clapmar. libr. 5. de arcan. Rerumpublicarum cap. 4.) *& thes.* 11. quam probare videntur tradita per Cynum *in l. quoties.* 3. *C. de judic. Alberic. de Rosate in l. bene à Zenone. num.* 18. *C. de quadr. præscript. Marsil. Patavin. p.* 2. *defens. pac.* 2. *& capit.* 5. *Aut. brutifulmin. sub titulo crimen sacrilegii. pagina octuagesima quarta & sequentibus. c. v. Donellum.* 2. *commen.* 5.

XIII.

Magistratus aut est summus *e* aut inferior. *f.* Summus est Princeps Romanus. quem Vlpianus legibus solutum esse scribit. *g* De quibus autem legibus hoc accipiendum sit, quæritur: Ego de legibus merè positivis, non verò divinis, naturalibus & genticis intelligo. *h.* *princeps quibus legibus solutus.*

e Qui impropriè magistratus dicitur *Matth. Stephan. lib.* 2. *de jurisdict. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. *& seqq. Scip. Gentil. lib.* 2. *de jurisdiction. cap.* 26. *& libr.* 3. *cap.* 18. *Herman. Kirchner. disputat. polit.* 2. *thes.* 1. *lit.* a.

f *Lamb. Dan. lib.* 6. *polit. Christ. c.* 2. g *in l. princeps.* 31. *ff. de LL.* h *Vult. in §. sed & quod Principi. Inst. de jur. nat. gen. & civ. Fachin.* 1. *controvers. c.* 2. *Dn. Gottfrid. Muller. disp. seu.* 2. *th.* 1. *Math. Cuno in tract. de pact. c.* 24. *n.* 5. *Vbi ex hoc colligit Principem contractum suum servare teneri.* Aliter autem sentit *Gujac.* 15. *obs.* 30. *aliter Donell.* 1. *comm.* 17. *& Coras.* 2. *miscell.* 4. *&* 5. aliter. *Græcorum interpp. scholæ,* aliter *Gothof. in d. l.* 31.

XIV.

Iura summi magistratus.

Magistratus summi *a* hæc fere jura *b* sunt: Leges condere, easque interpretari, abolere: *c* Bella indicere ac finire *d*. Magistratus constituere *e*: Academias fundare *f*: Doctores, Licentiatos, Magistros, &c. creare *g*: Monetas cudere *h*: Vectigalia & tributa exigere: *i* Potestatem vitæ & necis, & provocationem extremam habere, &c. *k*

a Sive is sit Monarchicus, sive Polyarchicus. Nam quoad imperii jura, Rerumpublicarum species non discriminantur. *Frid. Tileman. p. 1. disp. Pand. 2. th.* 8. b. Vocantur jura majestatis, regalia, jura imperii. *D d. in cap. un. quæ sint regalia. Arnold. Clapmar. lib. 1. de arcan. Rerumpub. cap.* 10. *c. l.* 1. 3. 8. *& ult. C. de LL.* Localem legem (quam statutum appellant *c. ut animarum. 2. de constit. in 6.*) etiam inferior magistratus condere potest. *Vide Bart. in. l. omnes. 9. num. 7. & 8. ff. de just. & Iur. VVesenbec. ad tit. ff. de LL. num. 3. Borch. c. 5. de feud. num. 37. A. Gail.* 1. *de P. P. c. 6. n.* 10. Interlocutio Principis legis vim non habet, nisi de voluntate Principis contraria expresse constet. *Iul. Pac. 1. ant. tin.* 17. Dissentit. *Fr. Duaren. ad tit. ff. de const. prin.* Vid. etiam Menoch. *l.* 5. *cons.* 412. *nu.* 39. Rescriptum Principis (quod legis habet vigorem *l. 1. ff. de const. princ.*) vitio Grammaticali evidenti vitiari docet *Bart. in l. Plautius 9. n. 5. ff. de auro & arg. leg.* Quod & de rescripto pontificis traditum est *in cap. ad audientiam. ext. de rescript.* sed D. Scipio Gentilis. *cap. 4. de erroribus testat.* id ambitiose traditum esse dicit, cum pontificum scripta solœcismis & barbarismis plæraque scateant

scateant. *Nequetamen* (subjungit) statim repudiandi vel reprehendendi sunt, qui interdum minus aptè loquuntur l. *si servus legatus*. §. *si margarita ff. de legat.* 1. Cum & in ipsis Ciceronis scriptis solœcismos aliquos viri doctissimi, Erasmus & alii notaverint. Adde *c. quamvis errare*. §. *sed licet & c. seq. dist.* 38. d. *l. neminem.* 17. *C. de re milit. lib.* 12. *v. VVesenb. cons.* 46. *n.* 8. *Menoch.* 1. *cons.* 1. *nu.* 243. *& seqq.* Pontifici etiam hoc jus tribuit Alphonsus Alvaretz *c.* 16. *de potest. & jure pontif. n.* 7. *contra c. non pia. c. reprehensibile. c. convenior.* 23. *q.* 8. *c. si quis vult. dist.* 36. e. *l.* 1. *ff. ad L. Iul. de ambitu. Bartolus in l.* 1. *C. de dignit.* f *Natta cons.* 957. *in pr.* g *Ferrar. Montan. de feud. lib.* 5. *c.* 2. *&* 7. h *cap. un. quæ sint regalia. l.* 2. *C. de falsa moneta*. Solutionem in minori fieri posse *Hotom. ill. quæst.* 15. *Donell. in l.* 3. *n.* 10. *ff. de reb. cred. Fachi.* 2. *controv.* 49. Dissentit *Bart. & Gothofr. in l.* 3. *ff. de reb. cred. & idem Bart. in l.* §. *ul. ff. de aur. & arg. leg. Boer. decis.* 327. nisi vel pacto convenerit ut solutio in eadem monetæ forma fiat *arg. l.* 43. *ff. de pact. l.* 23. *l. semper. ff. de reg. jur. Ordin. moneta An.* 1559. *promulgata.* §. die jetzt gemeine *ibi*: was hievor außgetheidingt vnd verschrieben ist. Vide *Geil.* 2. *obs.* 73. *n.* 6. *Mynf. cent.* 1. *obs.* 61. *& cent.* 4. *obs.* 1. *Tom. decis.* 19. Vel creditor & solutione minoris monetæ maximum pateretur damnum, ut si solutio fieret in minutissima moneta, *Arg. l.* 3. *ff. de reb. cred*: *l. Paulus.* 99. *ff. de solut. d. ord. moneta*, die jetztgemelte gemeine Reichsmüntz II. Pecunia debita alterata æstimationem pecuniæ deberi, quæ fuit tempore contractus, non quæ est tempore

 solutio-

solutionis. Vide *Vigel. lib.* 5, *method. jur. controv. c.* 1. *reg.* 48. *& cent.* 1. *decis.* 2. *Add. Fichard. vol.* 1. *conf.* 30. *Menoch. consil.* 49. *i l. vectigalia.* 10. *in pr. ff. de publi. l.* 3. *& tot. tit. C. nova vect. inst. non posse. Clar. in* §. *feudum. q.* 29. *n.* 1. *Mynf.* 1. *obs.* 29. *n.* 1. *cum* 4. *seqq. Guid. Pap. decis.* 197. *& decis.* 444. *n.* 1. *in fin. cum nu. seq. item decis.* 551. *nu.* 11. k *vid. Bodin.* 1. *de Republ.* 10. *P. Gregor.* 9. *de Repub. c.* 1. *& Arnisai tract. de jur. majest.*

XV.

Iurisdictio cui magistratui competat.

Magistratui tam summo *a* quam inferiori *b* competit jurisdictio, *c* quæ in genere accepta est notio civilium & criminalium causarum, cum statuendi & exequendi potestate *b*

a *v. Obrecht. c.* 6. *de jurisd. num.* 39. b Magistratui inferiori non tantum jurisdictio specialiter ita dicta, sed hodie (olim secus erat, *Alciat.* 2. *paradox.* 6. *Scip. Gentil. lib.* 3. *de jurisdict. c.* 3. Dissentit. *Matth. Steph. lib.* 1. *de jurisd. c.* 11. *n.* 10. & *seqq.*) etiam ipsum merum imperium competit vide, *Kirchner. disp. polit.* 8. *th.* 1. *lit. B.* c A jure dicundo ita dicta, *argum. l.* 12. *ff. de vulg. & pup. subst. VVesenb. ad tit. ff. de jurisd. & in œcon. lib.* 2. *ff. Obrecht. c.* 1. *de jurisd. num.* 6. Dissent. *gl. in verb. mixt. est & Bart. nu.* 3. *in l.* 3. *ff. de jurisd: Zas. in Rubr. ff. eod. tit. num.* 1. d *v. Scip. Gentil. lib.* 1. *de jurisd. c.* 1. Alias definitiones vide *apud Bocer. class.* 5. *disput.* 10. *thes.* 2. *Matth. Stephan. lib.* 1. *de jurisd. c.* 2. *num.* 32.

XVI.

Iurisdictio quid.

Iurisdictio est vel jurisdictio specialiter ita dicta *a* vel merum imperium. *b* Iurisdictio in specie ita dicta, est notio civilium causarum, cui imperium mixtum cohæret. *c*

a Iurisdi-

a Iurisdictionis enim vocabulum & generis & speciei loco ponitur. *Ioh. Ramus libr.* 2. *Enchirid. reg. jur. axiom.* 154. *b* Merum imperium jurisdictionis in genere acceptæ speciem esse docent Scipio Gentilis. *lib.* 1. *de jurisd. c.*3. Dissentit Obrechtus *c.* 2. *de jurisd. num.* 11. Quare concesso in feudum castro cum omnimoda jurisdictione etiam censetur concessum merum imperium *D. Scip. Gentil.* 3. *de jurisd.* 23. *Vult. de feud. lib.* 1. *c.* 5. *n.* Dissentit *Bald. in c. quanto. nu.* 5. *in fin. extr. judic.* Sub generali verò jurisdictionis omnimodæ concessione regalia non veniunt. *Matt. Steph. lib.* 1. *a jurisd. c.* 2. *num.* 7. Et ita etiam. Dn. Gregorius Ruprecht senior IC. parens meus p. m. consul respondit in causa S. contra H. Porro alii Dd. hic addunt tertiam speciem, id est mixtum imperium, sed perperam. Nam mixtum imperium idem est quod jurisdictio, vel certè jurisdictioni sic cohærens ut ab ea divelli non possit; & quicquid est jurisdictionis, etiam est mixti imperii & viceversa. *Cuajac.* 21. *obj.* 30. *Scip. Gentil.* 1. *de jurisd. c.* 2. Minimè tamen inficior in quibusdam causis imperium magis conspici & jurisdictionem propemodum occultari, quæ & inde magis imperii quàm jurisdictionis esse dicuntur *in l.* 4. *ff. de jurisd.* Ubi vocabulum *Magis* electivè poni, neque Bart. *ad illam l.*4. neque *Matth. Steph. lib.* 1. *de jurisd. c.* 5. *n.* 58. adhuc mihi persuaserunt. *vide Scipionem Gentil. l.* 1. *de jurisd. c.* 24. *Thomas Mich. conclus.* 92. *de jurisdict. lit.* e. *C. l.* 3. *ff. de jurisd.*

XVII.

Merum imperium est habere gladii pote- *Merum*

imperium quid. statem ad animadvertendum in facinorosos homines.

Ita merum imperium definitur *in l.3.de jurisd.* Vbi tamen Bart. & Dd. communiter merum imperium definiri negant. Proinde illud aliter definiunt, ut videre licet e: Obrechto *c.3. de jurisd. n.*18. Sed ego cum Matth. Steph. *lib.*1. *de jurisd. cap.6. n.*19. *& seq.* definitionem hanc pro perfecta agnoscerem, nisi vocabulum *Homines* redundaret. Nllum enim animal facinorosum esse potest quam homo *l.* 1. *ff. si quad. Paup. fec. dic. c. firvissime, & c. mulier.* 15. *q.* 1.

XVIII.

Iurisdictio quotuplex. Iurisdictio etiam vel propria est vel non propria. a Impropria vel mandata b est vel prorogata. c.

a *Vult* 1. *j. R.* 12. Propriam habet Princeps ex jure illo quo Princeps est, nimirum ex L. Regia, §. *sed & quod infr. de jur.nat.gn. & civ. l.* 1. *ff. de const. prin.* Inferior vero magistratus vel jure concessionis specialis vel jure magistratus. Iure specialis concessionis competit imperium merum: Mixtum imperium jure magistratus, *lib.* 1. *ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.* Hodie (Nam jure Romano inauditum, imo absurdum est *Scip. Genti.* 3.*de jurisd. cap.* 18. *Obrecht. cap.* 4. *de jurisd num.* 17. *&. seq. Leop. Hackelman. illustr. quaest. disp.* 1.29.) ex jure privato (quod tamen in publicis negotiis non habet multum ponderis. *VVes. ad tit. ff. de pact. n.* 4. *Scip. Gentil.* 1. *de jurisd. cap.* 27. *& lib.* 3. *ejusd. tract. c.*22. *in fine.)* introductum est, ut etiam praescriptione jurisdictio acquiratur. *Matth. Steph. lib.* 1. *de jurisd. c.* 38. *nu.*33. *& seq.* b. Iurisdictio-

risdictionem, in specie ita dictam mandari posse probat *l. 1. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd. Covarru. 3. var. resolut. c. 20. Scip. Gentil. 2. de jurisd.* 24. Merum vero imperium, neque jure civili *l. 1. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd. l. nemo potest.* 70. *ff. de reg. jur. l. solent etiam* 6. *ff. de offic. procons.* neque jure Canonico, *arg. c. si pro debilitate, in fin. extr. de offic. de leg. c. 1. Clem. de haret.* neque etiam moribus nostris *Zas. in l. 3. ff. de off. ejus*, &c. Dissentit VVesenb. *ad d. tit. ff. de off. ejus. & c. n.* 4. *& ad tit. ff. de jurisd. nu.* 11. mandari potest, etiamsi is qui merum imperium habet, adversa laboret valetudine. *Matth. Steph. lib. 1. de jurisd. c. 18. Dn. D. Scip. Gentil. lib. 3. de jurisd. c. 28. & 29. c* Quæro an prorogatio jurisdictionis recte fiat de legato? Affirm. *l. 1. & ibi glo. ff. de jud.* Dissent. *Azo in l. 1. n. 7. C. de jurisd. Cyn. in l. si quis in consensu, n. 15. C. de Episcop. audien. Zasius in l. 15. ff. de jurisdict. v. ord. Camer. p. 2. titul.* 4. §. zum vierdten. *Mynsing.* 2. *obs.* 52. *A. Gail.* 1. *obs. n.* 3.

XIX.

An interdicta compe-tant pro jurisdi-ctione.

Anceps autem quæstio est, an pro jurisdictione competant interdicta? Dd. affirmant: Ex praxi quidem consuetudinaria, & pro statu Reipublicæ hodiernæ (quo publica cum privatis sunt confusa,) *a.* recte: ex jure vero nostro non item. *b*

a *Matth. Hubner. thes.* 117. *de interdict.* b *idem Hubner. th.* 52. *de interdict. Bocer. class.* 4. *disput.* 5. *th.* 52. Præclare Giphanius *in tract. de ord. judic. sub tit. de causis & quast. judicior. De causis publicis*, inquit, *non in judiciis, sed in consiliis, sive Senatu agitur ac disceptatur, ut de imperio, de jurisdictione, de Principatu, de*

vectigalibus, quorum species decimæ esse videntur. Vulgo tamen plærique interpretes de publicis quoque his causis in judiciis agendum putant, actiones induxerunt, ut de jurisdictione & Imperio & decimis & vectigalibus actionem confessoriam, sic de urbe vel arce putant rei vindicatione agendum. *Guid. Pap. decis.* 60. Quomodo olim Iulianus qui I C. & Imp. cum à Severo Imperium occupante sibi metueret, dicitur cum Severo interdicto de Imperio egisse; quam Historicus vocat insaniam. *Spartian. in initio vitæ Pescennii Nigri.* Adde quæ scribit Vigel. *in tract. de feud. c. 3. q.* 1. *& in repet. jur. c.* 35.

XX.

Subditorum divisio.

Subditi sunt conditionis vel eminentioris vel inferioris. Eminentioris conditionis sunt nobiles quibus etiam adnumerantur Doctores. *a* Quid verò de Doctoribus à Principe vel comitibus Palatinis creatis sentiendum sit ambigitur: Malo certe more Bullati vocantur & Doctoribus à collegiis Academicis creatis, si non præferendi, attamen æquales sunt.

a *Vide Matth. Steph. lib.* 2. *de jurisdict. p.* 1. *cap.* 7. *memb.* 2. *n.* 67. *& seqq.* b *idem Matth. Steph. lib.* 2. *de jurisdict. p.* 1. *cap.* 6. *memb.* 1. *num.* 82. *& seqq. Laurent. Ohm in tract. de jure Episcop. thes.* 17. *lit. T.* Neque quisquam hic mihi communem opinionem contrariam objiciat. Verè enim Seneca *in lib. de vita beata. Nihil præstandum esse,* inquit, *quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Nec mihi dixeris,* ait, *hac pars major esse videtur, nam vel ideo pejor est, quia non tam bene cum rebus humanis*

manis geritur, ut meliora placeant pluribus, imo turba est argumentum pessimi.

XXI.

Minor. 25. ann. ob læsionem in judicio restitutionem in integrum petere potest, etiamsi Doctoratus *a* gradum (quem parum à doctis æstimari Iohann. Garsias scribit *b*) sit assecutus. *c*

Doctor minor an restitutionem in integrum petere possit.

a Doctoratum reiterari posse respondit Decian. *consil.* 91. *num.* 1. *volum.* 2. b. *in tractat. de expens. & meliorat. cap.* 4. *num.* 6. C. Hanc opinionem tueri Fachinæus *lib.* 3. *controv. cap.* 9. *refert* Steinhausen *ad tit. ff. de minoribus, num.* 3. *Nam,* inquit, *alia est scientia juris, alia in rebus agendis prudentia, quæ non ex libris, sed usu atque experientia comparari potest.* Faciunt quæ habet Barto. *in tract. testimon. num.* 72 *&* 73. ubi ait *Licet constet aliquem esse magnum Iuristam vel Medicum: non tamen sequitur, ergo est prudens Iurista vel Medicus. Ad hoc enim requiritur, quod per practicam præcedentem, habitum fecerit ad aptandum universalia particularibus.* Adde Aristot. *lib.* 5. *Eth. ad Nicom. cap.* 9. *& ibi Acciajol. Gelsien. & Ioan. Magir.* Dissentiunt tamen nonnulli, *vid. Dn. D. Rittershus. in tract. de ultim. volunt. p.* 5. *cap.* 2. *Bocer. class.* 6. *disp.* 10. *th.* 40. *lit. a. Vigel. lib.* 5. *meth. jur. controv. c.* 13. *reg.* 18 *exc.* 11. *&* 12.

XXII.

Inferioris conditionis sunt Mercatores, Artifices, agricolæ, pastores, &c,

Bart. in tractat. testim. num. 91. *Eget civitas multis,* inquit, *scilicet, domino, eget subditis diversarum conditionum. Nam alii sunt consiliarii regentium, alii alia munera subeunt, alii*

sunt negotiatores, alii alia ministeria, artificia & opificia exercentes, quorum actus omnes sunt ad civilem vitam ordinandam. Addit tamen Bartolus mercatores & artifices negotiationibus & artificiis uti ad finem proprii boni, scilicet ut propriam substantiam augeant, ideoque illorum prudentiam magis œconomicam, quam politicam dicendam esse.

XXIII.

Inter res quæ ad Rempublicam, vel civitatem pertinent, referuntur etiam ædificia publica & privata. *a* Ædificia publica pertinent vel ad religionem, vel ad defensionem, vel ad opportunitatem civitatis. *b* Ad religionem pertinent ædes sacræ, templa, &c. Defensio habet muros, *c* turres, portas, *d* &c. Opportunitatis sunt fora, *e* theatra *f* stadia, *g* &c.

*a Vide Vigel. lib.3. meth. jur. civil. cap.*31.*&* 32. & adde *P. Gregor. lib. de Repub.* in quo 9. capitibus agit de rebus civitatum & Reipublic. *b P. Gregor. lib.*30. *syntax. art. mirabil. cap.* 2. c *Muri sancti sunt l.* 1. *& ibi gloss. ff. de rer. divis.* Adde Gilb. Reg. 2. *crast.* 4. Et si quis violaverit muros capite punitur *l. ult. ff. eod. titul.* Quod de muris Romanis tantum accipio *Bart. in d.l. ult. Clar. lib.*5. *sent. quæst.* 68. *num.*25. *Roland. à Valle vol.*2. *cons.* 8. *Gædd. in l.*5. *num.*17. *&* 18. *ff. de verb. signif.* Sunt quidem & in municipiis muri sancti *l. sanctum,*8.*§. in municipiis.*1.*ff. de rer. divis.* At certe & bona municipiorum dicuntur publica *l. inter publica.* 17. *ff. te ver. sign.* Et tamen ea subtrahens non punitur ex L. Iulia peculatus adversus eum, qui civitatis Romanæ bona subripuit

subripuit constituta, sed pœna furti. Et ita recte Accursius *in l. 4. §. ultim. ff. ad L. Iul. pecul.* & P. Gregor. 32. *syntagm. jur. cap. 19. numer.* 1. *dicta legis* 4. §. *ult.* conciliant cum *l. ob pecuniam*, 82. *ff. de furt.* Dissentit *Alciatus.* 1. *dispunct.* 3. Aliter Duarenus. P. Faber & Forner. referente Gothofre. *in d.* 14. Huc referri potest nobilis quæstio: *Num destructis mœnibus privilegia civitatis pereant?* Ad quam bene respondet *A. Gail.* 2. *obser.* 61. Addo *P. Gregor. l.* 2. *de Repub.* 3. *num.* 8. d Quæ etiam inter res sanctas referuntur. *l.* 1. *ff. de rer. divis.* e Iuxta hæc & continentes sunt carceres *P. Gregor.* 2. *de Republ.* 7. Qui autem carcerem violenter effringit, capite punitur. *l.* 1. *ff de effractoribus*, etiamsi incarceratio indebite facta fuerit *l. in eos.* 13. *ff. de custod. & exhib. reor. Damhoud. cap.* 18. *prax. criminal.* Dissentit *Bart. in l. vu ejus C. de probat. alleg. à VVensenb. ad tit. ff. de effractoribus, dummodo carcer sit summi Principis. VVesenbec. d. loco.* Dissentit *Damhoud. loco cit.* f. Nostris temporibus nulla fere theatrorum haberi solet ratio *Fr. Patrit.* 8. *de instit. Reipubl.* 14. Veteres autem putarunt multitudini nihil gratius præstari posse, quam fabulas dare & spectacula ac ludos exhibere. *Patrit. ibidem.* Quare Theodosius Rex Symmacho valde commendavit theatrorum Romanorum reparationem & fulcimentum apud Cassiodor. *lib.* 4. *var. referente P. Gregor.* 2. *de Repub.* 9. *num.* 4. Sane cum in regno tum etiam in Aristocratia plebi quædam obtruduntur simulacra, quibus veluti lacte se pascit atq; infatuatur. Inter ejusmodi simulacra etiam spectacula referuntur. *A. Clapmar.* 6. *de arcan. Rerumpubl. c.* 10. Cavendum tamen ne quod ad hone-

Destructis mœnibus an pereant civitatis privilegia.

honestam delectationem & publicam utilitatem inventum est, ad abusum & morum corruptionem convertatur. Qua de re graviter Tertullianus & Cyprianus *in libb. de spectaculis.* & P. Gregorius *d. num.*4. g Stadia sunt, in quibus homines equique currunt, ubi cum dubitatur, uter prior ad metam pervenerit; omnibus ex æquo currendi potestas denuo facienda *v. Vasq. c. 90. controv. n. 1. cum seqq. & c. 91. nu. 5. cum seqq. & c. 92.* Aliâs cujus equus prior ad metam pervenit, is victoriam reportat, nisi ipse in medio deciderit, *v. Vasq. d. c. 91. nu. 1. cum 3. seqq. Zas. in l. 1. §. item acquirimus. num. 22. & 23. ff. de acq. poss.*

XXIV.

De privatis ædificiis magistratus provideat, ne superbe nimis struantur aut instruantur, & signis aulæis aliisque oneribus exornentur.

Schonborn. 1. polit. 15. Christoph. Colerus in not. ad epist. 1. Sallust. de Rep. ord. ad verb. Nam domum, aut villam, ubi tales sumptus, inquit, *minus sunt necessarii; & corruptam luxuria civitatem palam arguunt. Sed quid tamen,* subjungit, *non audent infimi census cives in nostris urbibus, & præsertim Mercuriales isti? Ego scio, quid inde existat, odium inferiorum civium invidia cum odio Principum vicinorum, imo quod Reipubl. perniciosissimum, egestas. Nec Deus Vltor abest. Illud ne ipse male quid ominetur; dicat pro me Plinius: profecto incendia puniunt luxum, &c.*

XXV.

Pertinent etiam ad Rempu. res Fisci. Est au-
Fiscus quid. tem Fiscus propriè ærarium Principis, *a* in quod vectigalia & tributa, *b* thesauri, *c* mulctæ

& pœnæ

& pœnæ damnatorum *d* aliaque de quibus *in c. un. quæ sint regalia*, inferuntur.

a *V. Matt. Steph. lib.* 2. *de jurisd. p.* 1. *c.* 7. *memb.* 1. *Scip. Gentil. lib.* 2. *de donat. int. vir. & ux. c.* 2. b. *l. omnium*, 6. *ibi quæ inferri fisco moris est. C. de vectig*. Consistit autem vectigal in pecunia numerata, nec consuetudine introduci potest, ut species loco vectigalis solvatur. *Henning. Goden. cons.* 7. *&* 8. *Schneidvvin. in* §. *capite, n.* 3. *Inst. ad L. Aquil.* Hic quæri potest. I. An Princeps pro maritanda filia & redemptione captivorum tributum imponere possit? *Affirm. cum Boer. decis.* 126. *&* 128. *II.* Num magistratus telonium suum de uno eoque consueto loco absque imperatoris consensu in alium transferre possit? *Neg. arg. l. si cui.* 2. *vers. verum. ff. de servit. P. Frid. Mindan. lib.* 2. *de mandat. c.* 42. *n.* 4. *&* 5. III. Num culpa socii vel aurigæ, nautæ vel famuli res portantis, non autem proferentis eas ad telonium socio vel Domino noceat: *Neg. Rosenthal. c.* 5. *de feud. conclus.* 40. *num.* 4. *in not. ad lit. d. & concl.* 41. *in fin. arg. l. fraudati.* §. 1. *ff. de public. fac. l. sancimus* 22. *C. de pœn.* C si thesaurus in loco religioso publico inventus fuerit, dimidium inventori, & dimidium fisco competit: Quod si vero in loco religioso proprio inventus fuerit penes inventorem, totus jure remanet: vide *Dominic. Arum. exercit: Iustin.* 4. *th.* 8. *Donell.* 4. *comm.* 14. *& ibid. Hilliger. in not.* d *c. un. quæ sint regal.* De differentia inter mulctam & pœnam vide. *Matth. VVesenb. ad tit. C. de modo mulct. quæ in judic. infligi. Matth. Steph. Cl. Dn. Doct. Scip. Gentil. thes.* 124. *de regalibus.* Pœna in eum qui album prætoris corruperit *in l.* 7. *ff. jurisd.* statuta soli actori tribuenda est.

Vectigal in quo consistat.

Plures quæstiones huc pertinentes.

Gœd.

Gæd.in l. 12. in prin. n. 15. & seqq. ff. de verb. signif. Dissentit *Zas. in Paratit. tit. ff. si quis jus dic. non obtemp.* Aliter *Duaren. in l. 25. §. ult. ff. ad SC. Syllan. & VVesenb. ad tit. ff. de jurisd. n. 13.*

XXVI.

An cives ad militiã cogi possint.

Propter aliud ad Remp. pertinent quæ ad conservandam, augendam & curandam Rempubl. comparata sunt. Conservatur Respub. etiam bello de quo sciendum, omnes omnino cives ad militiam cogi & pro gravi delicto haberi munus militiæ detrectare.

1. *Qui cum uno, 4. gravius autem, 10. cum §. seq. ff. de re milit. Valer. Max. lib. 6. c. 3.* Sed vide Panorm. *in c. sicut & infra. n. fin. ext. de jurejur. Ang. de S. Clavasio in sua summa. in verb. bellum. n. 7. Menoch. cons. 298. n. 29. P. Greg. lib. 11. de Repu. c. 3. num. 12.* Negotiatores tamen militare non posse constat ex tit. *C. negot. ne milit. & l. si cohortalis. 12. C. de cohortal. libr. 12.* vide Accurs. in *l. milites, 45. ff. ex quib. caus. major. 25. an. & in d. l. si cohortalis. 12. §. sed etiam, C. de cohort. lib. 12. Claud. Coter libr. 1. de jure. & privil. milit. c. 8. Luc. de Penna in l. un. nu. 1. C. neg. ne milit. Par. de Put. in tract. de re milit. lib. 1. sub Rubr. an viri negotiatores, & c. n. 2. P. Greg. 4. de Repub. c. 7. n. 6. & seq. sed adde Vigl. ad Rubr. Inst. de testam. mil. n. 15.*

XXVII.

Res capta cujus fiant.

Res mobiles in bello captæ ita fiunt capientium militum ut Imperatoris vel Ducis assignatione minime opus sit. *a* Immobiles vero in bello captæ Regi vel Imperatori non duci vel militi capienti adquiruntur. *b*

a *Boer. decis. 178. n 5. & seq. Gæd. in l. 3. §. ejus qui.*

*qui. nu.11.ff.de verb.sign.Diff.Bart.in l.naturalem,5.§.fin. in 1.& 2. lect. ff. de acquir. rer. domin.Bald.in §.item ea.n.6.& 7. Instit.de rer. divis.*b.*Covarru.in c. peccatum.p.2.§. 11.num. 6.de reg.jur.in 6.Donel.4.comm.21.*

XXVIII.

Fides hosti data & à Principe *a* & à privato *b* servanda est. *c* Hinc concludo captivum ab hoste legitimo hac cum conditione ut λύτρον solveret dimissum ad solutionem redire teneri; Et Principe captivo pacem contrahenti edictum de vi & metu non succurrere. *d* *Fides data hosti servanda.*

a *Matth. Cuno in tract. de pact.c.22.n.6.*b*v. Hackelman. ill. quaest.disp.9.th.1.lit.1.C.c.noli. 23. q.2. Hottom. ill. quaest.7.* d *Vid. Bodin.lib.5. de Repub.c.6.n.596.P. Greg.lib.11.de Repub. c. 15.num.14. Did. Covarru.de matrim. c. 3. §. 4. num. 13. & seq. Fortun. Garc. ad leg. conventionum. ff.de pact. Kirchner.disp.polit.17.th.2. lit. o.*

XXIX.

Incidit sæpe quæstio: num si captivus jure belli, semel de redemptione cum capiente composuerit ad certam summam possit ab eodem capiente augeri redemptionis summa, prætextu quod post pactionem qui eum cepit cognoverit facultates captivi ampliores? Negat. *Captivus an de redemptione ad pactum iteratò cogi possit.*

Vid.Guid.Pap.decis.113. incip. in facto guerrarum,P.Gregor.d.n.14.in fin.

XXX.

Nicol. Everhard. à Middelb. in Topicis. *a* recte defendit Ducem Brabantiæ Imperatoris Romani & Regis Franciæ Vasallum ob confœderationem cum Anglis antiquis Regum Franciæ hostibus contractam non potuisse argui

gui de felonia seu infidelitate ad effectum privationis feudi. *b*

a *In loco tanq. seu respect.*b *Vid.Clariss. Dn. Doct.Rittershus. lib.2. partit.feud.c.5. nu.13.*

XXXI.

Coronid. loco addo.I. Hostem veneno jure non occidi. *a* II. Christianorum inter se dissensiones non tam bella esse quam lanienas. *b*

a Clariss. Doctor meus Dn. Scip.Gent. *in orat. de re milit. Rom. & Turc.* Schonborner. *lib.6.polit.cap.*18. Kirchner *disp. polit. ult. hypoth.*5. *lit. a.* b Matth.VVesenbec. *ad tit.ff. de capt.& postlim revers.*Anton Corset.*intract.de Potestate Regia p.*5.*num.*36.ubi *non possunt*,inquit, *Reges insurgere contra fideles prout hodie Principes Christiani bella inter se gerunt.* Vnde miratur Hostiensis qualiter à suis confessoribus absolvantur,*vide Bart.in l. hostes.*24.*in fine & ibi in addit. Alban.ff. de capt. & postlimin. revers. Cæpolla in tractat. de servit. urb. præd.cap.*1.*num.*4.

Et hæc pauca in præsentiarum de Iure Publico posuisse sufficiat.

F I N I S.